CH

OR

CHRONICON
ORIENTALE.



CHRONICON
ORIENTALE,


LATINITATE DONATUM

AB ABRAHAMO ECCHELLENSI

SYRO MARONITA E LIBANO,

Linguarum Syriacæ & Arabicæ in alma Parisiensium Academia Professore Regio ac Interprete.

ACCESSIT SUPPLEMENTUM HISTORIÆ ORIENTALIS, ab eodem concinnatum.



VENETIIS.

EX TYPOGRAPHIA BARTHOLOMÆI JAVARINA.

M. DCC. XXIX.

ABRAHAMI ECCHELLENSIS
EPISTOLA DEDICATORIA,
ET PRÆFATIO.
PRIMÆ EDITIONI PRÆFIXÆ.

ILLUSTRISSIMO VIRO
PETRO SEGUIERIO,
FRANCIÆ CANCELLARIO,
AC LITTERATORUM PARENTI OPTIMO,
ABRAHAMUS ECCHELLENSIS.

PRODIT in lucem tandem, VIR ILLUSTRISSIME ATQUE EXCELLENTISSIME, Chronicon hocce nostrum Orientale cum Historia Arabum: sed vix perductum ad exitum exitium offendet, nisi tuæ dignitatis & amplitudinis suscipiatur patrocinio. Prodit, inquam, in lucem Chronicon illud, quod ex Arabia tuus erga Orientales litteras summus evocavit amor, & Latinum ut fieret, provocavit par liberalitas, auctoritas impulit. Ex quo sub alterius nomine & auspiciis prodire nec potuit, nec debuit; cum Arabicus textus tui sit juris, versionem Latinam tot redemeris beneficiis, auctoremque demum tot officiis obstrinxeris, ut nihil non tuum esse constet. Hæc autem omnia tibi surripere, aut oblivioni tradere, nonnisi cum maxima ingrati animi nota possim; quod ab ingenui hominis longe abfit conditione. Non enim sum ex eorum numero, qui secundam sequuntur fortunam, adversæ vero una adversantur, novorum patronorum expiscantes gratiam, cum populari aura, & antiquorum dispendio aliam & aliam sibi conciliantes, ac secundis semper vela explicantes ventis. Longe longe absit improbum hujusmodi hominum genus, quos parasitos verius vocaveris, ex Mecœnatum aulis, ex proborum cœtu. Quod sane vel barbaris ipsi exosum valde fuit, ut his versibus notavit Poeta Arabs:

Si non adestis nobis, dum amaris ardent omnia bellis,
Ne adsitis, dum dulcibus fruimur fructibus pacis.

Tuus igitur semper ero, ut aliquando fui, quocumque fata vocabunt, quamdiu hæc vita manebit. Ideoque non parum mea interest, AUGUSTISSIME CANCELLARIE, publice omnibus testatum relinquere, quantum singulari benignitati tuæ, benevolentiæ, ac liberalitati debeam, quemadmodum in perpetuum me debere fatebor. Tot igitur nominibus tibi devinctus, hoc munusculum, licet exiguum, ac forte barbarum videatur, grati animi mei qualecunque monumentum tibi offero, addico, & consecro. Illud autem, ut serena, qua soles, fronte suscipias, meque in tuo amplecti pergas patrocinio, etiam atque etiam efflagito, dum ego vicissim Deum Opt. Max. ubicumque terrarum ero, indesinentibus precibus sollicitabo, ut te, VIR ILLUSTRISSIME ATQUE EXCELLENTISSIME, Reipublicæ, Litteris, Litterarisque quam diutissime servet incolumem.

EJUSDEM PRÆFATIO.

FUSIOREM, *quam conceperamus, præfationem de hoece nostro Orientali Chronico, ac ejus authore, deque amplissimis in illud Notis, atque Historiæ Orientalis Supplemento, nunc tibi exhibere; benevole Lector, per temporis angustias, ac nostrum instans in Italiam, quo vocamur, iter, non licet. Quamobrem hæc paucis accipe. Nostrum exemplar anonymum est, at ejus authorem fuisse quemdam nomine filium Monachi, ex prima parte Chroniei Georgii Homaidi plane colligitur. Quoties enim (quod passim facit) hunc laudat, non solum sententia semper eadem est, sed numerata quoque verba. Eum autem fuisse Ægyptium Cophtitam, indicant stilus, numeri, ac Patriarcharum Gentis vitæ, quorum pro Dioscoriana secta labores ac certamina celebrat. Notæ quas in illud adstruximus, differentur quidem ad commodius tempus, quemadmodum & Historia Orientalis Supplementum. Quid autem diligentiæ & laboris in illis Notis concinnandis præstitimus ad varia Hæreticorum nostri temporis explodenda figmenta ac mendacia ex omnium Orientalium placitis & consensione, ipsæ Notæ prædicabunt. Interim his, qualiacumque sunt, fruere, atque vale.*

INDEX CHRONICI ORIENTALIS.

INDEX SUPPLEMENTI HISTORIÆ ORIENTALIS.

PARS PRIMA.

PARS ALTERA,

QUÆ EST DE ARABUM REGIBUS.

IN NOMINE DEI CLEMENTISSIMI, MISERICORDIS, PATRIS, ET FILII, ET SPIRITVS SANCTI.

CHRONICON ORIENTALE,

IN QUO

PATRIARCHARUM AB ADAMO usque ad Moysem, ex Hebraica, & LXX. Editione proponuntur Ætatum Paralleli, & Annorum accuratissime notatur differentia.

Agitur deinde de Judicibus Israel, Regibus Juda, ac decem Tribuum, a Saule usque ad finem Babylonicæ Captivitatis.

Necnon de Regibus Chaldæorum, Persarum, Medorum, Græcorum, Machabæorum, & Herodianorum.

Item de Romanis Imperatoribus post Christum Dominum natum, tam Paganis, quam Christianis, usque ad Heraclii annum undecimum.

Tum de Mahometanorum Sectæ exordio, deque illorum Caliphis, tam qui regnarunt in Arabia, quam in Ægypto, & Babylone, usque ad annum Hegiræ DCLV.

Necnon de Patriarcharum Alexandrinorum Cophtitarum Historia a D. Marco Evangelista, usque ad Athanasium LXXVI.

DE



DE PATRIARCHARUM ÆTATIBUS.

Numerus.	*Nomina Patrum, & Vitæ eorum, secundum Septuaginta.*	*Anni eorum.*	*Summa.*	*Computus Judæorum secundum versionem Abibabri Almontasseri.* *Anni eorum.*	*Summa.*	*Defectus.*	*Summa defectus.*
I.	ADAM ducentorum & triginta annorum erat cum genuit Seth: & vixit Adam post hoc septingentis annis; tota itaque vita Adæ fuit nongentorum ac triginta annorum.	230 700 930	230	130 800 930	130	100	100
II.	SETH ducentorum quinque annorum erat cum genuit Enos: & vixit post hoc septingentis & septem annis; tota itaque vita Seth fuit annorum nongentorum duodecim.	205 707 912	435	105 807 912	235	100	200
III.	ENOS centum & nonaginta annorum erat cum genuit Cainan: & vixit post hoc septingentis & quindecim annis; tota itaque vita Enos fuit nongentorum & quinque annorum.	190 715 905	625	90 815 905	325	100	300
IV.	CAINAN centum septuaginta annorum erat cum genuit Mahlael: & vixit post hoc septingentis & quadraginta annis; tota itaque vita Cainan fuit nongentorum & decem annorum.	170 740 910	795	70 840 910	395	100	400
V.	MAHLAEL autem cum genuit Jared erat centum sexaginta quinque annorum, & vixit post hoc septingentis triginta annis; tota itaque vita Mahlael fuit octingentorum & nonaginta quinque annorum.	165 730 895	960	65 830 895	460	100	500

Numerus.	Nomina Patrum, & Vita eorum, secundum Septuaginta.	Anni eorum.	Summa.	Supputatio Judæorum secundum versionem Abubabari Proselyti. Anni eorum.	Summa.	Defectus.	Summa defectus.
VI.	Jared centum sexaginta duorum annorum erat cum genuit Enoch: & vixit post hoc octingentis annis; tota itaque vita Jared fuit nongentorum sexaginta duorum annorum.	162 800 962	1122	162 800 962	622	✠	500
VII.	Enoch erat cum genuit Matusaleh centum sexaginta quinque annorum: & vixit post hoc ducentis annis; cum autem eum ad se sustulit Deus vivum, erat trecentorum sexaginta quinque annorum.	165 200 365	1287	65 300 165	687	100	600
VIII.	Matusaleh centum octoginta septem annorum erat cum genuit Lamech: & vixit post hoc septingentis octoginta duobus annis; tota itaque vita Matusaleh fuit nongentorum sexaginta novem annorum.	187 782 969	1474	187 782 969	874	✠	600
IX.	Lamech cum genuit Noe erat centum octoginta duorum annorum: & vixit post hoc quingentis nonaginta quinque annis; tota itaque vita Lamech fuit septingentorum septuaginta septem annorum.	182 595 777	1656	182 595 777	1056	✠	600
X.	Noe cum genuit Sem, Cham, & Japhet erat quingentorum annorum: & vixit donec venit Diluvium centum annis: vixitque post hoc trecentis quinquaginta annis; tota itaque vita Noe fuit nongentorum quinquaginta annorum.	500 100 359 950	2256	500 100 350 950	1656	✠	600
XI.	Sem cum genuit Arphaxad erat centum & duorum annorum: & vixit post hoc quingentis annis; tota itaque vita Sem fuit sexcentorum & duorum annorum.	102 500 602	2258	102 500 602	1658	✠	600

Numerus.	*Nomina Patrum, & Vitæ eorum, secundum Septuaginta.*	*Anni eorum.*	*Summa.*	*Computus Judæorum secundum versionem Abibabri Almontasseri.* *Anni eorum.*	*Summa.*	*Defectus.*	*Summa defectus.*
XII.	Arphaxad cum genuit Cainan erat centum triginta quinque annorum: & vixit post hoc quadringentis triginta annis, tota itaque vita Arphaxad fuit quingentorum & sexaginta quinque annorum.	135 430 565	2393	35 403 438	1693	100	700
XIII.	Cainan cum genuit Saleh erat centum triginta novem annorum, & vixit post hoc trecentis triginta annis, tota itaque vita Cainan fuit quadringentorum sexaginta novem annorum.	139 330 460	2532	Judæi abraserunt omnino Cainan ex suis Codicibus.	✠	139	839
XIV.	Saleh cum genuit Heber erat centum triginta annorum: & vixit post hoc trecentis triginta annis, tota itaque vita Saleh fuit quadringentorum & sexaginta annorum.	130 330 460	2662	30 430 460	1723	100	593
XV.	Heber cum genuit Phaleg erat centum triginta quatuor annorum: & vixit post hoc ducentis septuaginta annis, tota itaque vita Heber fuit quadringentorum & quatuor annorum.	134 270 404	2796	34 430 464	1757	100	1039
XVI.	Phaleg cum genuit Reu erat centum triginta annorum: & vixit post hoc ducentis novem annis, tota itaque vita ejus fuit trecentorum triginta novem annorum.	130 209 339	2926	30 209 239	1787	100	1139
XVII.	Reu centum triginta duorum annorum erat cum genuit Sarug: & vixit post hoc ducentis septem annis, tota itaque vita Reu fuit trecentorum triginta novem annorum.	132 207 339	3058	32 207 239	1819	100	1239
XVIII.	Sarug cum genuit Nachor erat centum triginta annorum: & vixit post hoc annis ducentis, tota itaque vita Sarug fuit trecentorum triginta annorum.	130 200 330	3188	30 200 230	1849	100	1339

Numerus.	*Nomina Patrum, & Vitæ eorum, secundum Septuaginta.*	*Anni eorum.*	*Summa.*	*Computus Judæorum secundum versionem Abibabri Almontasseri.* *Anni eorum.*	*Summa.*	*Defectus.*	*Summa defectus.*
XIX.	Nachor cum genuit Tareh erat septuaginta novem annotum: & vixit post hoc centum viginti duobus annis; tota itaque vita Nachor fuit ducentorum, & unius anni.	79 122 201	3267	29 119 148	1878	50	1389
XX.	Tareh cum genuit Abraham erat septuaginta annorum: & vixit post hoc centum ttiginta quinque annis; tota itaque vita Tareh fuit ducentorum quinque annorum.	70 135 205	3337	70 135 205	1948	✻	1389

EX LIBRI GENES. Cap. XII.

DIXIT *autem Deus ad Abram: Egredere de terra tuæ nativitatis, & de domo patris tui ad terram quam monstrabo tibi. Faciamque te ingentem magnam, & extollam te, & benedicam nomini tuo, erisque benedictus; & benedicam benedicentibus tibi, & maledicam maledicentibus tibi, atque in te benedicentur universæ nationes terræ. Egressus est itaque Abram sicut præceperat ei Deus, & adduxit secum Lot filium fratris sui, & omnem suam substantiam, & animas. Erat autem Abram tunc temporis filius septuaginta quinque annorum, cum egressus est de Haran.*

A completis itaque septuaginta quinque annis, sumendum est initium quadringentorum triginta annorum egressionis filiorum Israel de Ægypto.

GENES. Cap. XV.

Tum dixit Deus Abram: Certo scias quod peregrinum futurum sit semen tuum in terra aliena, & subjicient eos, & male facient eis quadringentis annis. Verumtamen ego judicabo populum illum, qui subjicient eos, & affligent; & egredientur de medio eorum cum substantia magna. Tu autem effereris ad patres tuos in pace, & sepelieris in senectute optima, ac venerabili.

EXOD. Cap. XII.

Dicitur quoque in libro secundo Legis: *Habitatio autem filiorum Israel in terra Ægypti fuit quadringentorum triginta annorum. Itaque post quadringentos & triginta annos, hoc eodem die egressi sunt milites Dei de terra Ægypti. Erat autem nox illa servata apud Deum, ut illos educeret de terra Ægypti.* In ea etiam complerum est tempus quadringentotum triginta annotum, ex quo locutus est Deus ad Abram. Anno autem septuagesimo quinto vitæ suæ descendit Abram in Ægyptum propter penuriam quæ acciderat. In ejus quoque diebus constructa est Jericho a septem Regibus.

Numerus.	*Nomina Patrum, & Vitæ eorum, secundum Septuaginta.*	*Anni eorum.*	*Summa.*	*Computus Judæorum secundum versionem Abibahri Almontasseri.*			
				Anni eorum.	*Summa.*	*Defectus,*	*Summa defectus.*
XXI.	Abraham cum genuit Isaac centum erat annorum; & vixit post hoc septuaginta quinque annis; tota itaque vita Abrahæ fuit centum septuaginta quinque annorum.	100 75 175	3437	100 75 175	2048	✠	1389
XXII.	Isaac cum genuit Jacob sexaginta erat annorum: & vixit post hoc centum viginti annis; tota itaque vita Isaac fuit centum octoginta annorum.	60 120 180	3497	85 120 147	2133	✠	1389
XXIII.	Jacob cum genuit Levi erat octoginta quinque annorum: & vixit post hoc sexaginta duobus annis; tota itaque vita Jacob fuit centum quadraginta septem annorum.	85 62 147	3582	85 62 147	2218	✠	1389
XXIV.	Levi cum genuit Cahat erat quadraginta annorum: & vixit post hoc nonaginta septem annis; tota itaque vita Levi fuit centum triginta septem annorum.	40 97 137	3622	40 97 137	2258	✠	1389
XXV.	Cahat cum genuit Amram erat sexaginta annorum: & vixit post hoc septuaginta tribus annis; tota itaque vita Cahat fuit centum triginta trium annorum.	60 73 133	3682	60 73 133	2318	✠	1389
XXVI.	Hamram cum genuit Moysen erat octoginta annorum: & vixit post hoc quinquaginta septem annis; tota itaque vita Hamram fuit centum triginta septem annorum.	80 57 137	3762	80 ✠ ✠	✠	Hic est finis annorum, quos Judæi ex vitis Patrũ dempserunt: atque hinc finem habuit ipsorum computus.	✠
XXVII.	Moyses cum allocutus est Pharaonem, & eduxit filios Israel de Ægypto, erat octoginta annorum, ex quibus quadraginta transegit in Ægypto, & alios quadraginta in Madian.	80 ✠ ✠	3842	80 ✠ ✠	✠		✠

DIES, qua præceperat Deus Moysi, & Aaroni immolare Agnum in terra Ægypti, ea nocte qua egressi sunt, fuit feria quarta vigesimatertia mensis Barmehati, & decima-nona Martii, & decima-quarta lunæ Nisan, quæ erat luna Di-Alhagia. Erat autem dies iste, in quo sol ingressus est primum signum Arietis, & est initium annorum mundi; eratque dies ille solemnis ac celeberrimus apud Ægyptios; atque ideo præceperat Deus, ut immolarentur animalia, quæ colebant, & aspergeretur sanguis eorum super portas filiorum Israel. Feria autem quinta summo mane egressi sunt filii Israel de Ægypto, & completi sunt quadringenti & triginta illi anni. Moysi vero, cum complevisset in deserto quadraginta annos, dixit Deus: *Ascende ad montem, & addere populo tuo, & assume Josue filium Nun, & constitue illum, ipse enim præcedet populum donec introducat eos in terram promissionis, quemadmodum juravit Patribus eorum Abraham, Isaac, & Jacob*. Et mortuus est Moyses agens centesimum vigesimum annum, nempe ab Orbis conditu anno 3882.

DE JUDICIBUS FILIORUM ISRAEL.

Numerus.	NOMINA JUDICUM FILIORUM ISRAEL, ex libro Judicum.	Anni.	Summa.
XXVIII.	JOSUE filius Nun rexit populum post mortem Moysis Prophetæ triginta & uno anno: tota autem vita ejus fuit centum ac decem annorum.	31	3913
XXIX.	PHINEES filius Eleazari filii Aaron summi Sacerdotis erat cum Josue filio Nun, proptereaque aliud tempus ipsi non tribuitur.	✠	✠
XXX.	CHUSAN impius cognomento Rasathaim Rex Tyri & Sidonis subjecit filios Israel octo annis, quoniam filii Israel mala perpetrarant coram Domino, & coluerant Baalim, & Astaroth Idola, & connubio tradiderant filias & filios suos gentibus, & adoraverant Deos earum; ideo tradidit eos in manu Chusan, qui oppressit illos.	8	3921
XXXI.	OTHONIEL filius Cenez de Judicibus filiorum Israel occidit Chusan impium, & rexit eos. Dicitur enim: Et clamaverunt filii Israel ad Deum, & liberavit eos Othoniel filius fratris Caleb, cui opitulatus est Dominus, & factus est Judex filiis Israel, & occidit Chusan, quievitque terra a bellis quadraginta annis.	40	3961
XXXII.	EGLON Rex Moab de filis Lot subjecit eos octodecim annis, quia defuncto Othoniel reversi sunt filii Israel ad opera sua pessima, ideoque oppressit eos Eglon octodecim annis.	18	3979
XXXIII.	AHOD filius Gera fuit Judex filiorum Israel. Dicitur enim: Et clamaverunt ad Dominum, qui suscitavit eis Ahod filium Gera de Tribu Beniamin, qui utraque manu pro dextra utebatur, qui, cum munus obtulisset Eglon, & ingressus esset ad eum, percussit illum gladio ancipiti in ventre, & mortuus est, quem secuti sunt filii Israel, & occiderunt ex Moabitis decem circiter millia virorum. Et quievit terra octoginta annis.	80	4059
XXXIV.	SAMGAR filius Ahod Judex quoque fuit. Fertur enim in Textu, Ahod interfecto Eglon Judicem fuisse post illum octoginta annis.	✠	✠

Numerus.	*NOMINA JUDICUM FILIORUM ISRAEL,* *ex libro Judicum.*	*Anni.*	*Summa.*
XXXV.	JABIN Rex Chanaan, & Sisara Dux exercitus ejus oppresserunt filios Israel viginti annis, quoniam filii Israel reversi sunt ad opera sua pessima coram Domino: quamobrem post mortem Ahod tradidit eos Dominus in manus Jabin Regis, qui regnabat in Asor, cujus exercitus Ducis nomen erat Sisara, habebatque nongentos falcatos currus, & subjecit filios Israel viginti annis.	20	4079
XXXVI.	BARAC de Tribu Nephthali, & Debbora quadraginta annis rexerunt filios Israel. Dicitur enim: Erat autem Debbora Prophetissa judicans filios Israel eo tempore, quæ misit Barac cum decem millibus de filiis Nephthali, & occidit Sisaram.	40	4119
XXXVII.	MADIANITÆ, qui sunt Arabes Hozib, & Zib, subjecerunt filios Israel septem annis, quoniam perpetraverant mala coram Domino, itaur coacti sint fugere in montes, & habitare in speluncis, atque dispergi per varias regiones.	7	4126
XXXVIII.	GEDEON filius Joas quadraginta annis judicavit Israel. Hunc Angelus Dei adhortatus est ad salvandum Israel: quamobrem egressus est contra Madianitas, eosque fugavit, itaut posthac numquam sint ausi caput attollere. Et quievit terra a bellis omnibus diebus Gedeonis.	40	4160
XXXIX.	ABIMELECH regnavit super filios Israel tribus annis, misitque Dominus spiritum pessimum super Abimelech, quoniam interfecerat septuaginta fratres suos, & vindictam sumpsit de illo Dominus, ac de habitatoribus Sichem, qui opitulati sunt ipsi, & fortem præbuerunt illi manum ad hoc; interfecitque illum mulier fragmine molæ, quo percusserat illum de mœnibus turris, & fregit caput ejus. Qui vocavit Armigerum suum, & ait ad eum: Evagina gladium tuum, & occide me, ne forte dicatur, quod a fœmina interfectus sim; qui jussa perficiens, interfecit eum. Adeoque evenerunt omnia mala habitatoribus Sichem, & maledicta, quibus maledixit eos Joatham filius Gedeonis.	3	4169
XL.	THOLA filius Phua patrui Abimelech factus est Judex viginti tribus annis, eratque de Tribu Issachar, qui mortuus, & sepultus est in Samir.	23	4192
XLI.	JAIR Galaadites filius Galaad Judicem egit viginti duobus annis, habebatque triginta filios sedentes super triginta pullos asinarum, erantque illi etiam triginta oppida, qui mortuus, & sepultus est in Camon.	22	4214

Numerus.	NOMINA JUDICUM FILIORUM ISRAEL, *ex libro Judicum.*	Anni.	Summa.
XLII.	Philisthiim, & filii Ammon de filiis Lot subjecerunt eos octodecim annis; quoniam filii Israel reversi sunt ad perpetranda opera pessima coram Domino, & coluerunt Baalim Idolum, & Astaroth relinquentes cultum Domini. Quamobrem accensus est furor Domini contra eos, & tradidit ipsos Philisthiim & filiis Ammon octo annis, qui subjecerunt eos, & vehementer oppresserunt.	18	4232
XLIII.	Jephte fuit Judex sex annis, immolavitque filiam suam Domino ob votum quod voverat. Decertavit autem Jephte cum filiis Ammon, quos tradidit Deus in manus ejus, reportavitque de illis victoriam. Et contenderunt cum illo filii Ephraim dicentes: Cur egressus es ad debellandos filios Ammon, nos vero non vocasti? igitur volumus incendere domum tuam; & congregavit Jephte viros Galaad, & pugnavit contra Ephraim, percussitque ex illlis quadraginta duo millia.	6	4238
XLIV.	Aphsan, qui & Nahsor de Bethlehem fuit Judex septem annis. Habebat autem triginta filios, & triginta filias, quas emittens foras maritis dedit, & introduxit triginta nurus triginta filiis suis, & mortuus est, ac sepultus in Bethlehem.	7	4245
XLV.	Ahialon de Tribu Zabulon fuit Judex decem annis, & mortuus est, ac sepultus in terra Zabulon.	10	4255
XLVI.	Abdon filius Illel Aphtathæi quadraginta habebat filios, & triginta ex eis nepotes, ascendentes super septuaginta pullos asinarum: judicavit filios Israel octo annis: mortuusque est, ac sepultus in terra Ephraim.	8	4263
XLVII.	Philisthiim subjecerunt filios Israel quadraginta annis. Erat autem quidam vir de tribu Dan nomine Manue habens uxorem sterilem, quæ nunquam pepererat. Cui apparuit Angelus Domini, & dixit: Utique concipies, & paries filium: cave ergo ne bibas vinum, nec siceram, nec immundum quicquam comedas. Cum vero pepereris puerum, ne radas caput ejus novacula, nec transeat super caput ejus ferrum, quoniam ipse erit gigas fortissimus, & Deus liberabit Israel a Philisthiim per manus ejus. Quæ concepit & peperit filium, vocavitque nomen ejus Samson.	40	4303
XLVIII.	Samson gigas fuit Judex viginti annis, eratque gigas fortissimus, qui maxilla asini occidit mille viros: oppresso autem vehementi siti erupit aqua de maxilla asini, bibitque. Vinctus catenis ferreis non secus eas rumpebat ac fila telarum.	20	4323
XLIX.	Octo autem annis remanserunt filii Israel post Samsonem absque Judice, aut Rectore.	8	4331

Numerus.	*NOMINA JUDICUM FILIORUM ISRAEL, ex libro Judicum.*	*Anni.*	*Summa,*
L.	Heli sacerdos rexit filios Israel quadraginta annis. Filii autem ejus perpetrabant mala coram Domino, ac scelera cum mulieribus in ipso templo committebant: quamobrem ait ipsi Dominus: Loquens locutus sum, ut tu, & filii tui ministrarent in conspectu meo usque in sempiternum, nunc autem absit hoc a me.	40	1437
LI.	Samuel Propheta rexit filios Israel viginti annis; & erat magnus in oculis eorum. Ipse autem unxit Saul, & David in Reges super filios Israel, & cognoverunt a Dan usque ad Bersabee, quod Dominus esset cum Samuele Propheta, & defunctus est, congregatique sunt filii Israel, planxerunt illum, & sepelierunt eum in sepulchro ejus in urbe Ramatha.	20	4391
	DE REGIBUS DUODECIM TRIBUUM.		
LII.	Saul filius Cis de Tribu Benjamin regnavit super filios Israel quadraginta annis, & est primus Rex qui regnavit super eos. Erant autem Saul isti filii, Jonathas, Jessui, Melchisua; habebat quoque duas filias, nomen primogenitæ Merob, & nomen minoris Melchal; & nomen uxoris ejus Achinoam filiæ Achimaas, & nomen principis militiæ ejus Abner filii Ner. Perpetuo autem versatus est in bellis, donec occidit semetipsum.	40	4431
LIII.	David Rex filius Isai regnavit super filios Israel quadraginta annis, ex quibus septem in Hebron, & triginta tribus Jerusalem. Ejus autem gesta notissima sunt in libris Regum. Defunctus est in bona senectute, ac sepultus in civitate David.	40	4471
LIV.	Salomon quadraginta regnavit annis cum quiete & pace, magnumque obtinuit regnum. Et erat aurum in diebus ejus in manibus plebis instar luti: at argentum nihili habebatur. Novissimum vero seduxerunt mulieres cor Salomonis, & irritavit Deum, mortuusque est atque sepultus cum patribus suis.	40	4511

DE REGIBUS JUDA

ET

DE REGIBUS

ISRAEL.

DIVISIO REGNI JUDA,

BENJAMIN, ET ISRAEL.

DIVISUM est autem regnum post mortem Salomonis inter Reges Juda, & Reges Israel. Nam Jeroboam filius Nabath Ephrataeus, qui erat filius mulieris viduae, nomine Sarvad, & servus Salomonis, contra quem rebellaverat, cum egrederetur aliquando de Jerusalem, occurrit ipsi Ahias Propheta Silonites habens pallium novum, quod apprehendens Ahias Propheta scidit in duodecim partes, & dixit Jeroboam: Tolle ex istis decem partes: quoniam ita dicit Dominus Deus Israel: Ecce ego auferam regnum de manu Salomonis, & dabo tibi decem Tribus. Porro una Tribus remanebit ei, ut sit lucerna David servo meo coram me in sempiternum in Jerusalem. Quod cum enunciatum esset Salomoni, quaesivit Jeroboam, ut illum interficeret, qui e conspectu ejus fugiens se contulit in Ægyptum, & fuit in Ægypto donec nunciata est ipsi mors Salomonis, tunc enim reversus est in Jerusalem. Populus autem post mortem Salomonis congregatus est ad Roboam filium ejus, & dixit ei: Salomon pater tuus maximopere nos oppressit, quamobrem imminue tu paululum de jugo ejus, erimus tibi servi. Quibus dixit Roboam: Digitus meus minimus grossior est pollicibus patris mei, quamobrem si pater meus dura servitute vos oppressit, ego flagellis vos opprimam. Tunc conclamavit populus: quae nobis pars cum David, aut quae haereditas cum filio Isai? Et accitum Jeroboam Regem constituerunt, nec secutus est quisquam filium Salomonis praeter Tribum Juda solam. Et conflavit Jeroboam duos Virulos aureos, & posuit unum in Bethel, & alterum in Dan; constituitque ibi altare ad sacrificia, & sacerdotes de extremis populi assumpsit Vitulo, constituitque diem solemnem in medio mensis octavi, sicuti mos erat in terra Juda. Hinc posuimus Reges Juda ex una parte, & Reges Israel ex altera e regione; supputationem vero sub Regibus Juda.

Numerus.	NOMINA REGUM JUDA, & Benjamin.	Anni.	Summa.
LV.	Roboam regnavit ſuper Juda , cum quadrageſimum primum ageret annum; & regnavit ſeptemdecim annis in Jeruſalem. Filii autem Juda perpetrarunt mala coram Domino, & extruxerunt aras Idolis ſuper excelſos colles, & ſubter altas arbores, & coinquinati ſunt in abominationibus Gentium. Cum defunctus eſt Roboam, & abiit ad patres ſuos, ſepultuſque eſt in civitate David. Ante mortem vero ſuam coegit ex Tribu Juda & Benjamin centum octoginta millia virorum ferentium gladium, egreſſuſque eſt ad debellandas reducendaſque decem Tribus ad regnum ſuum; ſed prohibente Domino reverſus eſt.	17	4528
LVI.	Et regnavit Abiam filius ejus poſt illum anno decimo octavo regni Jeroboam filii Nabath. Et regnavit in Jeruſalem tribus annis; & ambulavit in omnibus peccatis patris ſui peſſimis. Coegitque quadringenta millia virorum juvenum contra Jeroboam filium Nabath. Qui Jeroboam ex adverſo coegit octingenta millia bellatorum ſtrenuorum, & obviam ipſi ad bellandum egreſſus eſt. Quem metuens Abiam reverſus eſt. Eo tempore conſtruxit Jeroboam Sichem. Ruſus bellum commiſerunt, in quo filii Juda victoriam reportaverunt de filiis Iſrael, & occiderunt ex illis quingenta millia virorum juvenum, & diminuti ſunt filii Iſrael, & magnificati ſunt filii Juda. Et mortuus eſt Abiam, & abiit ad patres ſuos.	3	4531
LVII.	Et regnavit Aſa filius ejus poſt eum quadraginta & uno anno, & recte ambulavit, ac ſecundum juſtitiam, ſicut David pater ejus, & eradicavit omnia idola, quæ fecerat pater ejus, & accepit idolum Maachæ matris ſuæ, quod colebat, & conſcidit illud in fruſta, atque combuſſit in torrente Cedron; & erat cor ejus perfectiſſimum cum Deo Domino ſuo, quievitque terra a bellis, habebatque viros ſagittarios fortiſſimos ducenta triginta millia. Egreſſuſque eſt autem contra illum Zara Indus cum exercitu magno, qui conſtabat decies centenis millibus, & curribus trecentis. Oravitque Aſa coram Domino, & egreſſus eſt obviam Indo, & fudit eum, infinita propemodum occiſa multitudine, & multos captivos duxit, multaque tulit ſpolia, quoniam Dominus confregit eos coram ipſo. Et mortuus ſepultuſque eſt in civitate David.	41	4572
LVIII.	Joſaphat filius Aſæ regnum ſuſcepit anno quarto regni Achab Regis Iſrael, regnavitque annis 25. in Jeruſalem, optima opera edens coram Domino; ſed Idola, & aras ſuper quibus immolabant extra Domum Dei, non eradicavit. Erant autem duces exercitus ejus Ednas, qui habebat ſub ſe trecenta millia: Johanan ſub quo ducenta octoginta millia: Amaſias ſub quo ducenta millia: Eliada ſub quo ducenta millia: Jozabad ſub quo centum octoginta millia, exceptis iis qui erant in urbibus.	25	4597

Numerus.	NOMINA REGUM *Iſrael.*	Anni.
I.	Regnavit Jeroboam , qui eſt primus Rex Iſrael , viginti duobus annis, & peſſime ſe geſſit. Et mortuus eſt poſtquam infinita perpetravit mala , & induxit cultum Idolorum inter filios Iſrael.	22
II.	Nadab filius Jeroboam regnavit ſuper filios Iſrael anno ſecundo regni Abiæ Regis Juda, quem poſt annum ſecundum regni occidit Baaſa filius Ahiæ anno tertio regni Abiæ Regis Juda , & regnavit poſt illum. Cum autem obtinuiſſet regnum occidit univerſam ſtirpem Jeroboam, nec quempiam ex illis reliquit , juxta verbum Domini, quod locutus eſt per Ahiam Propbetam contra Jeroboam filium Nabath, qui ſcelera peſſima perpetravit coram Domino.	2
III.	Anno tertio regni Arabiæ Regis Juda regnavit BAASA filius Ahiæ ſuper univerſum Iſrael viginti quatuor annis in Therſa , & ſcelera perpetravit, ac peſſima opera coram Domino , ambulavitque in via Jeroboam filii Nabath , & peccata ac crimina ſequutus eſt. Et defunctus eſt Baaſa, & abiit ad patres ſuos, ſepultuſque eſt in Therſa.	24
IV.	Exactis triginta & uno annis regni. Aſæ regis Juda , regnavit AMRI ſuper filios Iſrael duodecim annis, ex quibus ſex in Therſæ; tum emit montem Samaran a Somer duobus talentis argenti , & ædificavit ibi civitatem, & vocavit nomen ejus Samariam . Fecit autem malum, & peſſime ambulavit coram Domino in viis Jeroboam filii Nabath. Et mortuus eſt Amri , & abiit ad patres ſuos, ſepultuſque eſt in Samaria.	12
V.	Regnum poſt illum ſuſcepit ACHAB filius ejus, tenuitque octodecim annis, perpetravitque crimina ac mala atrociora iis, quæ perpetraverat Jeroboam filius Nabath. Inſuper uxorem duxit Jezabel, quæ occidit Prophetas Domini. Coluit etiam Idolum, & adoravit illud. Urbem maledictionis, nempe Jericho, reſtauravit.	18
VI.	Ochozias filius ejus regnavit poſt illum ſuper Iſrael duobus annis , anno decimo-ſeptimo regni Joſaphat Regis Juda , fecitque malum in conſpectu Domini ambulans in via Jeroboam filii Nabath, & mortuus eſt.	2
VII.	Huic ſuffectus eſt JORAM frater ejus anno decimo-octavo regni Joſaphat Regis Juda, regnavitque duodecim annis, & fecit malum in conſpectu Domini. Hunc ſagitta percuſſit Jehu inter ſcapulas, quæ egreſſa eſt per pectus ejus, ſtatimque corruit, & mortuus eſt. Anno octavo regni ejus ſublatus eſt Elias in cælum . Et manſit populus uno anno abſque Rege.	12

Numerus.	NOMINA REGUM JUDA, & Benjamin.	Anni.	Summa.
LIX.	Anno quinto regni Joram filii Achab regis Israel, regnavit Joram filius Josaphat super Juda in Jerusalem octo annis; ambulavitque in viis Regum Israel, quemadmodum ambulavit Achab, & uxorem duxit filiam Achab, ac malum perpetravit coram Domino. Noluit autem Dominus disperdere Judam propter David servum suum, sicut promiserat ei, ut daret lucernam domui ejus cunctis diebus. Et mortuus est Joram, & abiit ad patres suos, & sepultus est in civitate David.	8	4605
LX.	Et regnavit Ochozias filius ejus pro eo anno undecimo regni Joram filii Achab Regis Israel; anno uno in Jerusalem super Juda, & ambulavit in via Achab, & malum fecit in conspectu Domini, quia filius sororis Achab erat. In hunc insurgens Jehu occidit illum.	1	4606
LXI.	Videns autem Athalia mater Ochoziæ, quod filius ejus interfectus esset, occidit omnem masculum stirpis regiæ. Soror autem Ochoziæ abscondit Joas filium ejus spatio sex annorum. Post hæc eduxerunt filium Regis, & constituerunt Regem. Quod audiens Athalia ad Domum Domini accurrit, & cum vidisset Regem stantem, scidit vestimenta sua. Quæ præcipiente Joiada sacerdote ad portam Equorum educta interficitur ibi.	$6\frac{1}{2}$	$4612\frac{1}{2}$
LXII.	Anno septimo regni Jehu regnavit Joas super Jerusalem quadraginta annis, fecitque rectum in conspectu Domini; verumtamen altaria & sacrificia eorum non abstulit. Et convocavit Joiadas sacerdos sacerdotes, ac præcepit illis instaurare Domum Domini; & ædificare illam. Quod factum est anno vigesimo-tertio regni Joas. Surrexerunt autem servi Joas in eum, & occiderunt, sepultusque est cum patribus suis. Et mortuus est Joiadas sacerdos centesimum trigesimum agens annum.	40	$4652\frac{1}{2}$
LXIII.	Et regnavit Amasias filius ejus post illum anno secundo Jehu Regis Israel, regnavitque in Jerusalem 29. annis, & fecit rectum coram Domino. Confirmatus vero in regno occidit servos, qui insurrexerant in patrem suum, illumque interfecerant. Expeditionem quoque fecit contra Edom, & interfecit ex illis decem millia. Ipse autem interfectus est a suis militibus, & sepultus in Jerusalem cum patribus suis.	29	$4681\frac{1}{2}$
LXIV.	Regnavit autem post illum Ozias filius ejus 52. annis in Jerusalem, & recte ambulavit in conspectu Domini. Sed ausus est aliquando ingredi ad altare Dei, cum non esset sacerdos, quamobrem percussit eum lepra Deus usque ad diem sui obitus, & latuit in domo sua, nec apparebat hominibus; constituitque filium suum pro se, ut judicaret populum. Et defunctus est Ozias, abiitque ad patres suos.	25	$4733\frac{1}{2}$

Numerus.	NOMINA REGUM Iſrael.	Anni.
VIII.	Jehu viginti octo annis regnavit in Samaria, occiditque univerſam Regiam ſtirpem; interfecit quoque Jezabel, & concidit eam, quam comederunt canes, quemadmodum dixerat Elias Propheta. Achab autem ſeptuaginta filii erant, qui occiſi ſunt, & capita eorum miſſa ſunt in cophinis. Combuſſit inſuper Baal Idolum, & ejus altaria deſtruxit. Et defunctus eſt, abiitque ad patres ſuos, & ſepultus eſt in Samaria.	28
IX.	Et regnavit Joachaz filius ejus poſt illum ſeptemdecim annos, & mortuus eſt, ac ſepultus in Samaria, fecitque malum in conſpectu Domini, extruxitque altaria Idolis.	17
X.	Et regnavit poſt illum filius ejus Joas anno trigeſimo-ſeptimo regni Joas Regis Juda. Regnavit autem ſexdecim annis ſuper Iſrael, fecitque malum coram Domino, nec declinavit a peccatis Jeroboam filii Nabath. Mortuus eſt Joas, abiitque ad patres ſuos. In diebus ejus defunctus eſt Eliſæus Propheta.	16
XI.	Quindecim annis ex regno Amaſiæ filii Joas Regis Juda exactis, regnum obtinuit Jeroboam filius Joas ſuper filios Iſrael in Samaria; & regnavit quadraginta & uno anno, fecitque malum coram Domino, & abiit ad patres ſuos anno vigeſimo-ſeptimo regni Azariæ Regis Juda. Poſt ejus obitum remanſit regnum abſque Rege undecim annis.	41
XII.	Anno trigeſimo-octavo regni Oziæ filii Amaſiæ Regis Juda regnavit Zacharias filius Jeroboam ſuper Iſrael in Samaria ſex menſibus. Perpetravit autem mala coram Domino, nec declinavit a peccatis Jeroboam filii Nabath. Et interfecit illum Sellum filius Jabes, & regnavit poſt illum.	1/2
XIII.	Sellum filius Jabes anno trigeſimo-nono regni Oziæ regnavit uno menſe, & interfecit illum Manahem in Samaria, & regnavit poſt illum.	1. menſe.
XIV.	Anno item trigeſimo-nono regni Oziæ Regis Juda, regnavit Manahem ſuper filios Iſrael in Samaria decem annis, & defunctus eſt, abiitque ad patres ſuos.	10
XV.	Et regnavit Phaceja filius ejus poſt illum anno quinquageſimo Oziæ Regis Juda ſuper Iſrael in Samaria duobus annis, & interfecit illum Phacee filius Romeliæ.	2
XVI.	Exactis regni Oziæ Regis Juda quinquaginta duobus annis regnavit Phacee in Samaria viginti annis, & interfecit illum Oſee filius Ela anno ſecundo poſt mortem Joatham filii Oziæ, & remanſerunt ſine Rege decem annis.	20
XVII.	Anno decimo-quarto regni Achaz Regis Juda regnavit Oſee filius Ela ſuper filios Iſrael in Samaria novem annis, fecitque malum coram Domino. Hic eſt ultimus Regum Iſrael, nec fuit illis poſt eum Rex uſque nunc.	9

Numerus.	NOMINA REGUM JUDA, & Benjamin.	Anni.	Summa.
LXV.	Anno secundo Phacee Regis Israel regnavit Joatham filius Oziæ super Juda sexdecim annis in Jerusalem, & ambulavit recte coram Domino. Bella commisit cum filiis Ammon, & superavit eos, & imposuit illis singulis annis centum talenta argenti, decem millia coros tritici, ac totidem coros hordei. Et defunctus est Joatham, abiitque ad patres suos.	16	$4749\frac{1}{2}$
LXVI.	Anno decimo-septimo regni Phacee filii Romeliæ Regis Israel, regnavit Achaz filius Joatham sexdecim annis in Jerusalem, nec fecit quod placitum erat coram Domino. Insuper filium suum consecravit Idolis, transferens per ignem. Et mortuus est Achaz, sepultusque cum patribus suis in civitate David.	16	$4765\frac{1}{2}$
LXVII.	Et regnavit Ezechias filius ejus post eum anno tertio regni Osee Regis Israel, super Juda viginti-novem annis, & ambulavit in omnibus secundum David patrem suum. Confregit statuas Idolorum, & dissipavit excelsa eorum, contrivitque serpentem æneum, quem fecerat Moyses Propheta: quoniam filii Israel illum coluerant, & vocabant *serpentem suspicionis*. Et auxit illum Deus quindecim annis vitæ; postea vero mortuus est, & abiit ad patres suos: nec fuit similis illi ex Regibus Juda neque ante, neque post illum. In diebus ejus erat Esaias Propheta.	29	$4612\frac{1}{2}$
LXVIII.	Defuncto Ezechia, & ad patres suos recepto, regnavit Manasses filius ejus post illum in Jerusalem 55. annis, & incubuit pessimis operibus, fecitque malum in conspectu Domini, & coinquinatus est in abominationibus Gentium, & erexit aras Idolis quas destruxerat pater ejus, & adoravit militiam cœli atque coluit. Optimos quosque interfecit, & effudit sanguinem innocentem, implevitque Jerusalem sanguine Sanctorum. Et quidem ea perpetravit, quæ nec Amorrhæi. Quamobrem dixit Dominus per Prophetas servos suos: Quoniam Manasses prævaricatus est, & perpetravit opera hujusmodi, excitans peccatum Juda, ita dicit Dominus Deus Israel: Ecce ego inducam mala super Juda, & Jerusalem, ut quicunque illa audierit, tinniant ambæ aures ejus a timore: & immittam super Jerusalem, quæ immisi super Samariam, & appendam illis pondus, quod appendi domui Achab, & delebo reliquias hæreditatis meæ, tradamque illos in manus inimicorum suorum. Et defunctus est Manasses, & abiit ad patres suos.	55	$4849\frac{1}{2}$

Hic

HIC est finis Regum Israel, quibuscum deperditæ quoque sunt decem Tribus usque ad hanc hominum memoriam, remanseruntque Reges Juda tantum. Hujus causa hæc est. Osee, qui postremus est Regum Israel, subjecerat se Salmanasar Regis Assyriorum obedientiæ, & statuta reddebat illi tributa. Post hoc vero pacem inivit Osee cum Rege Ægypti, ejusque imploravit opem contra Regem Assyriorum, & ejus excussit obedientiam, & pacta fregit. Quamobrem ascendit Rex Assyriorum, & venit in Samariam, eamque obsedit tribus annis, & expugnavit demum illam anno nono Osee, ac captivas duxit universas decem Tribus in Assyriam, & habitare fecit eos in civitatibus Haluan, & Asphahan, & Medorum, nec reversi sunt usque ad hunc diem. Et congregavit Rex Assyriorum gentes de Cutha, & de Emath, & de Sapharuain, & collocavit eas in Samaria, & civitatibus ejus; & isti sunt, quos nunc vocamus Samaritanos. Cumque ibi habitare cœpissent, non timebant Dominum, quamobrem immisit in eos leones, qui dilacerarunt ex ipsis quamplures. Et annunciaverunt hoc Regi Assyriorum, qui præcepit, ut mitteretur ad eos aliquis sacerdotum, qui ex Samaria captivi ducti erant, ut doceret eos cultum Dei terræ, & judicia ejus. Venit igitur ad eos quidam de sacerdotibus, & habitavit in Bethel, & docuit eos cultum Domini, & legem ejus, adorabantque Deum, ac Idola quoque sua.

Ezechias autem Rex Juda fecit quod optimum erat in conspectu Domini, quemadmodum fecerat David pater ejus, delevitque Idola, eorum evertens altaria, & contrivit quoque serpentem æneum, quem fecerat Moyses Propheta in deserto, quoniam filii Israel seducti sunt post illum, & coluerunt, appellantes nomen ejus *serpentem suspicionis*. Et timuit Ezechias Dominum confugiens ad illum, nec fuit in Regibus Juda similis ipsi, neque ante, neque post, eratque Dominus cum illo, & in cunctis ad quæ procedebat, ferebat ipsi opem. Rebellavit quoque contra Regem Assyriorum, & non servivit ei. In fugam vertit Philistæos, & eorum devastavit urbes. Anno decimo-quarto regni Ezechiæ ascendit Sennachetib Rex Assyriorum ad universas civitates Juda munitas, & obsedit eas. Tunc misit Ezechias Rex Juda ad Regem Assyriorum nuncios, & ait illi: Recede a me, & ne inferas mihi malum, & ego quicquid imposueris mihi tributi ad te feram. Indixit itaque Rex Assyriorum Ezechiæ Regi Juda trecenta talenta argenti, & triginta talenta auri. Misitque ad illum Ezechias quicquid repertum fuit in Domo Domini eo tempore. Rursus misit Rex Assyriorum adversus Ezechiam Regem in Jerusalem ingentem exercitum; stetitque princeps exercitus, & exclamavit alta voce ad Judæos, dicens: Audite sententiam Regis magni, Regis Assyriorum ita dicentis: Ne seducat vos Ezechias, non poterit enim vos liberare a manibus meis, nec ponat fiduciam vestram in Domino, dicatque vobis: Utique Dominus liberabit nos, & proteget, nec superare nos poterit Rex Assyriorum in ista civitate. Quamobrem egredimini ad me, & comedite unusquisque fructum ficus suæ, vinearum vestrarum, & olivarum, nec decipiat vos Ezechias, dicens: Utique Dominus liberabit vos. Quisnam Deorum potuit eruere terram suam de manu mea, ut possit Dominus eruere Jerusalem? Quod cum audivisset Ezechias Rex, scidit vestimenta sua, & opertus est sacco, ingressusque est Domum Domini; & misit ad Esajam Prophetam, dicens: Dies iste, dies jejunii est. Cui respondit: Noli timere verba Regis Assyriorum; Ecce ego immittam contra eum spiritum, dicit Deus, & revertetur in regionem suam vacuus, ibique interficietur. Ingruente autem nocte egressus est angelus Domini, & interfecit de exercitu Regis Assyriorum ducenta octoginta quinque millia virorum in ictu oculi. Cæteri celeri fuga ad suam regionem reversi sunt. Contra autem Regem Assyriorum insurrexerunt filii ejus, & gladio interemerunt, quemadmodum dixerat Esajas Propheta.

Numerus.	NOMINA REGUM JUDA, & Benjamin.	Anni.	Summa.
LXIX.	Et regnavit Amon filius ejus post eum duobus annis, & fecit juxta opera patris sui pessima. Contra quem insurgentes servi sui occiderunt illum in domo sua; & congregatus populus interfecit eos, qui Regem occiderant, & sepelierunt illum cum patribus suis.	2	$4851\frac{1}{2}$
LXX.	Et regnavit Josias filius ejus post illum triginta & uno anno in Jerusalem, fecitque bonum, & recte ambulavit coram Domino juxta omnia, quæ fecit David pater ejus In diebus ejus reperit Helcias sacerdos unum librum de libris Legis, quem obtulit Regi. Qui ascendit ad Domum Domini cum omni populo Juda, & lectus est coram eis liber. Post quod collegit Idola, altaria, & vasa eorum, & combussit ea omnia extra Jerusalem in valle Cedron. Occidit insuper sacerdotes Idolorum, & eradicavit ea ex omnibus civitatibus Juda. Celebravit etiam anno 18. sui regni Phase solemnissimum Domino in Jerusalem; verumtamen iram suam non avertit Deus a Juda, neque placatus est ipsis, propter irritationes, quibus provocaverat eum Manasses operibus suis pessimis. Ascendit itaque Pharao Claudus, egressusque est Josias ad pugnandum cum illo, qui sagitta percussus interiit, & portaverunt eum servi ejus mortuum, & sepelierunt eum cum patribus ejus.	31	$4882\frac{1}{2}$
LXXI.	Populus autem tulit Joachaz filium ejus, & constituerunt eum sibi Regem pro patre; qui regnavit tribus mensibus in Jerusalem, fecitque malum coram Domino, sicut Manasses; & veniens Pharao Claudus transtulit illum in Ægyptum captivum, indixitque populo terræ tributum centum talenta argenti, & decem talenta auri, mortuusque est Joachaz in Ægypto.	menses 3	4882 menses 9
LXXII.	Et constituit Pharao Nechao, sive Claudus Eliacim fratrem Joachaz filium Josiæ Regem, vocavitque nomen ejus Joakim, regnavitque undecim annis, & fecit malum coram Domino, ac pessime se gessit sicut Manasses avus ejus. In diebus ejus ascendit Nabuchodonosor Rex Babylonis in Jerusalem, & præstitit ei obedientiam Joakim tribus annis, tum rebellavit. Quamobrem reversus Nabuchodonosor Rex Babylonis, vinxit eum catenis, & adduxit in Babylonem cum omnibus vasis Domus.	11	4893 menses 9

Numerus.	NOMINA REGUM JUDA, & Benjamin.	Anni	Summa.
LXXIII.	Et regnavit Joachin post illum tribus mensibus, & fecit malum coram Domino. Eo tempore ascendit Nabuchodonosor Rex Babylonis in Jerusalem; & obsedit eam, atque in angustiam redegit. Egressusque est Joachin Rex Juda ad Nabuchodonosor cum servis suis, & principibus, & conduxit eum Rex Babylonis anno octavo regni sui. Et protulit ex Jerusalem quicquid erat in domibus Regis, & in thesauris Domus Domini. Captivos quoque duxit omnes habitatores Jerusalem, & universos principes, ac fortes exercitus, qui in ea erant, & captivos duxit decem millia virorum, & omnem artificem, & clusorem, nec reliquit quempiam in terra illa, exceptis pauperibus populi.	menses 3	4894
LXXIV.	Et constituit Rex Babylonis pro Joachin Matthaniam patruum ejus, & vocavit nomen illius Sedeciam, qui regnavit in Jerusalem undecim annis. Rex vero Babylonis captivum duxit Joachin, & una cum illo Danielem Prophetam, & tres pueros, Ananiam, Azariam, & Misaelem. Sedecias autem rebellavit contra Regem Babylonis, & noluit amplius præstare ipsi obedientiam. Quamobrem ascendit Nabuchodonosor Rex Babylonis cum ducibus, & exercitibus suis in Jerusalem, & obsedit eam anno undecimo regni Sedeciæ; quem captum adduxerunt ad Regem Babylonis. Qui eruit oculos ejus, & catenis vinxit illum, ac filios suos coram ipso mactavit, & adduxit in Babylonem. Postea veniens Nabuzatdan combussit Domum Domini, & domum Regis, & reliquam urbem depopulatus est, & captivos duxit, relictis tantum pauperibus terræ, ut vineas colerent, & exercerent agriculturam. Et accepit aurum, argentum, & æs, misitque in Babylonem. Apprehensum quoque Sarajam summum sacerdotem, & Sophoniam sacerdotem secundum, misit ad Regem Babylonis; percussitque eos, & interfecit. Nec regnavit amplius Sedecias post captivitatem, juxta verbum Jeremiæ Prophetæ. Dies, qua incensa est Domus Domini, & in captivitatem ducti sunt filii Juda, erat dies Martis, nona Lunæ Augusti, qui est mensis quintus Hebræorum, qui respondet decimosexto mensis Mesræ, anno quater millesimo nongentesimoquinto, qui est nonus mensis Dil-haggia.	11	4590

DE REGIBUS POST CAPTIVITATEM.

Numerus.	*NOMINA REGUM, ET HISTORIÆ EORUM post Captivitatem.*	*Anni.*	*Summa.*
LXXV.	Scriptum est in fine Prophetiæ Jeremiæ Prophetæ ita: Cum esset in anno trigesimo-septimo transmigrationis Joachin Regis Juda, mense duodecimo, vigesima-quinta mensis, elevavit Evilmerodach Rex Babylonis ipso anno regni sui, Joachin Regem Juda, & eduxit eum de domo carceris. Et loquutus est cum eo bona, & posuit thronum ejus super thronos eorum, qui secum erant. Et mutavit vestimenta carceris ejus, & comedebat cum eo cibum semper cunctis diebus vitæ suæ. Fuit autem ejus transmigratio ante universalem Captivitatem undecim annis: quos si addemus annis captivitatis Nabuchodonosor, qui sunt viginti-sex, summa erit triginta-septem annorum, quibus exactis exordium sumpsit regnum Evilmerodach filii Nabuchodonosor, atque ita vera habebitur ejus annorum ratio. Itaque Nabuchodonosor Rex Babylonis regnum obtinuit ante captivitatem viginti-sex annos, & post illam novem ac decem.	26	4931
LXXVI.	Evilmerodach filius Nabuchodonosor Regis regnavit vigintitribus annis.	23	4954
LXXVII.	Temporis regni Baltassar rationem ad verum calculum reducere non potuimus ob diversitatem, quæ est inter Chronographos: tantum habemus quod dicit Daniel Propheta, nempe Baltassar Regem Babylonis fecisse grande convivium optimatibus suis post victoriam reportatam de Dario Medo, & Cyro Persa, in quo afferri jussit vasa Domus Domini, quæ asportaverat Nabuchodonosor avus ejus, & bibit in eis ipse, & uxores ejus, concubinæ, ac optimates regni. Statimque apparuit Manus scribens in muro characteres, quos nemo interpretari potuit, nisi Daniel Propheta. Scriptura autem ejusmodi erat: *numeravit*, *appendit*, *divisit*: Quæ ita Daniel Regi interpretatus est: *numeravit*, nempe Deus numeravit regnum tuum, & complevit illud: *appendit*, nempe Deus appendit te, & invenit mancum: *divisit*, nempe divisum est regnum tuum, & datum est Medis, & Persis. Eadem nocte interfectus est Baltassar, & translatum est regnum ad Darium Medum annos natum septuaginta-duos.	20	4974

Numerus.	NOMINA REGUM, ET HISTORIÆ EORUM post Captivitatem.	Anni.	Summa.
LXXVIII.	Darius filius Assueri de stirpe Medorum obtinuit regnum Chaldæorum anno uno.	1	4975
LXXIX.	Erat autem Cyrus Persa cum Dario Medo cum interfectus est Baltassar, & expugnaverunt ambo Babylonem; sorte autem missa contigit Babylon Dario, Cyro vero ejus territorium. Cyrus autem voverat, se remissurum captivitatem Judæorum, atque ædificaturum illis Templum, si regnum Babylonis obtineret aliquando. Defuncto Dario, & Rege constituto Cyro, completi sunt septuaginta anni. Itaque dimisit Captivitatem anno primo sui regni, & Templum extruxit. Dicit quippe Esdras sacerdos: Anno secundo adventus eorum ad Domum Dei, in Jerusalem mense secundo, cœperunt Zorobabel filius Salathiel, & Josue filius Josedec, & fratres eorum sacerdotes, & fundamentum jecerunt Templi Dei. Completumque est ædificium die tertia mensis Adar, anno tertio regni Darii regis Persarum. Solitus enim mos est, ut defuncto Rege Æra ab ejus morte sumatur, uti est Æra Alexandri, Æra Diocletiani, & ejusmodi.	3	4978
LXXX.	Cambyses filius Cyri regnavit annis quinque, & est Nabuchodonosor secundus, cujus meminit Ptolomæus in libro Almagesti, ejusque Æra usus est.	5	4983
LXXXI.	De quatuor Regibus, quorum singuli Darius vocabantur, prophetavit Daniel Propheta, eorumque meminit dicens: In anno primo Darii Medi, tres Reges stabunt in Perside, & quartus ditabitur opibus nimiis super omnes, & cum roboratus fuerit in sua regione, concitabit omnes adversum regna Græcorum. Primus est Darius Medus, qui regnavit sub regno Chaldæorum, reliqui tres sunt Reges Persarum.	30	5013
LXXXII.	Samardius Magus, in cujus diebus Magorum religio emersit, fuitque primus Rex ex Magis; regnavit anno uno.	1	5014
LXXXIII.	Assuerus, cujus a consiliis Aman erat, maritus Estheris Judææ neptis Mardochæi, viginti regnavit annis. Sub eo interitum Judæorum molitus est Aman, verumtamen eos liberavit Deus per manum Estheris Amano deperdito.	20	5034
LXXXIV.	Artaxerxes filius Assueri, & Estheris Judææ quadraginta regnavit annis. Hujus Esdras pincerna erat. Anno vigesimo ejus regni nunciatum est Esdræ, portas Jerusalem incensas fuisse, & murum destructum: qui acceptis a Rege litteris, & omnibus necessariis eo profectus est, eamque restauravit anno trigesimo secundo regni Artaxerxis, consummavitque opus spatio duodecim annorum.	40	5074

DIXIT Esdras sacerdos: Et factum est in mense Casleu, anno vigesimo, & ego eram in Susis castro, venit quidam de iis, qui superfuerant e captivitate Jerusalem nomine Hanani, & dixit mihi: Qui remanserunt in Civitate, in afflictione magna sunt, & in opprobrio: at murus Jerusalem dissipatus est, & portæ ejus combustæ sunt igni. Cumque audissem verba hujuscemodi, sedi, & flevi, & luxi, diebus multis jejunans, & orans coram Deo cæli. Ego autem eram pincerna Regis. Et factum est in mense Nisan anno vigesimo Artaxerxis Regis: Et vinum erat in manibus meis, implevique calicem vino, & præbui Regi, & placuit illi. Dixitque mihi Rex: Esdra, quare vultus tuus tristis est prætet morem, cum non sis ægrotus? nequaquam hoc procedit nisi a malis cogitationibus. Et timui a verbis ejus, ac dixi: Vivat Rex in æternum; quomodo non mæreretur vultus meus, atque altereretur, cum mœror, & mœstitia insideant in intimo cordis mei, quoniam Civitas, in qua sunt sepulchra patrum meorum deserta est, & portæ ejus combustæ sunt igni? Et ait mihi Rex: Quid postulas? Et imploravi opem Dei cæli, & dixi: Si recte videtur Regi mittere me in regionem Judææ, ut ædificem Civitatem, in qua sepulchra sunt patrum meorum. Dixitque mihi Rex, & Regina, quæ sedebat ad latus ejus: Usque ad quod tempus erit iter tuum, & quando reverteris? Et constitui ei tempus, & placuit apud Regem, & misit me, deditque mihi litteras, ut omnia necessaria ad ædificium Domus mihi ministrarentur. Ingressusque sum Jerusalem civitatem, & dixi populo: Vos videtis afflictionem, in qua versamur, quamobrem venite, & ædificemus muros Jerusalem, & non simus ultra opprobrium. Et indicavi eis manum Dei mei, quod esset bona mecum, & litteras Regis. Et surrexit Eliasib sacerdos magnus, & fratres ejus sacerdotes, & ædificaverunt portam Gregis, & portas ejus. Et diviserunt Civitatem, & ædificarunt illam, ac perduximus murum ad umbilicum.

Factum est autem cum audissent Sanaballat, & Tobias, & Gentes, ac Ammanitæ, quod jam excitata essent mœnia, & obducta cicatrix, irati sunt valde, & decreverunt inito consilio, ut venirent, & pugnarent contra nos in Jerusalem. Et factum est a die illa, ut quidam nostrum operi incumberent, & quidam parati essent cum armis, lanceis, scutis, arcubus, & loricis, ira omnes Judæi parati erant: ædificantium enim unusquisque gladio erat accinctus. Vigilabamus quoque noctu, vices excubiarum subeuntes: interdiu vero una manu faciebamus opus, altera vero tenebamus gladium, donec absoluta sunt mœnia Civitatis, ac portæ ejus, & fores. Factum est autem, cum nunciatum esset Sanaballat, & Tobiæ, & Gossem Arabi, & cæteris inimicis nostris, quod ædificassem ego murum, & non esset in ipso residua interruptio, (usque ad tempus autem illud valvas non posueram in portis) miserunt Sanaballat, & Gossem ad me, dicentes: Veni, & conveniamus simul, & moliebantur, ut facerent mihi malum. Misi ergo ad eos nuncios dicens. Non. Qui miserunt iterum ad me minitantes, ac dicentes: Tu, & Judæi cogitatis, ac molimini rebellionem contra Regem, & propterea ædificas Domum hanc, & hunc murum, ut Regem super eos te constituas. Verum hæc Regi deferentur,

Absoluta autem sunt mœnia vigesima-quinta mensis Ailul. Anno trigesimo-secundo regni Artaxerxis veni ad Regem, & elapso anno uno postulavi a Rege, & reversus sum Jerusalem.

Numerus.	NOMINA REGUM, ET HISTORIÆ EORUM post Captivitatem.	Anni.	Summa.
LXXXXV.	Artaxerxes major regnavit triginta annis.	30	5104
LXXXXVI.	Saadonius anno uno.	1	5105
LXXXXVII.	Darius secundus septemdecim annis.	17	5122
LXXXXVIII.	Artaxerxes frater Cyri Darii viginti & uno anno.	21	5143
LXXXXIX.	Artaxerxes, qui & Achos, viginti annis. Is extruxit in Ægypto palatium Sciamhi, seu Ceræ, quod illuvioni aquarum obnoxium erat, donec Hamrus filius Alasi expugnavit Ægyptum, & quod circa illud tentoria tetendit, perinde Alfostat, sive Tentorium usque nunc dictum est.	20	5163
XC.	Asis, cujus tempore extiterunt Plato & Socrates, undecim annis.	11	5174
XCI.	Darius quartus ex iis, quorum meminit Daniel, ut supra notatum est, septem annis. Hunc occidit Alexander, & a Persis ad Græcos translatum est regnum. Ac post illum cœpta est Æra Alexandrina.	7	5181
XCII.	Alexander filius Philippi Macedonis, qui vocatur *Bicornis*, quoniam obtinuit duo cornua Solis, nempe regnavit ab Oriente ad Occidentem, sexdecim annis.	16	5197
XCIII.	Ptolomæus frater Alexandri septem annis.	7	5204

Numerus.	*NOMINA REGUM, ET HISTORIÆ EORUM post Captivitatem.*	*Anni.*	*Summa.*
XCIV.	Ptolomæus, qui nominatur & Alexander, viginti & uno anno. Is adduxit ex senioribus Israel septuaginta duos senes, e quibus duo mortui sunt in itinere, remanseruntque Septuaginta, qui interpretati sunt libros Legis, & Prophetarum. Ex horum numero extitit Eleazarus, quem occidit Antiochus, quia noluit adorare Idolum ejus. Ex eodem quoque numero erat Simeon Sacerdos, qui portavit Dominum super brachia sua.	21	5225
XCV.	Ptolomæus cognomento Λαγώς, seu Lepus, viginti-novem annis.	29	5254
XCVI.	Ptolomæus cognomento Philadelphus viginti-sex annis.	26	5280
XCVII.	Ptolomæus cognomento Evergetes viginti-quinque annis.	25	5305
XCVIII.	Ptolomæus cognomento Philopator septem-decim annis.	17	5322

HISTORIA MACHABÆORUM, ID EST MŒRENTIUM.

ERAT inter Judæos vir quidam nomine Mathathias, filius Joannis filii Simeonis Sacerdotis ex filiis Joarib cognomento Hasmonæus, ipseque erat summus Sacerdos, & rector populi, habebatque quinque filios. In ejus diebus misit Antiochus Epiphanes filius Antiochi majoris Rex Antiochiæ exercitum in Domum sanctam, eamque dolo obtinuit, & contaminavit Templum suis Idolis, coëgitque filios Israel ad ea colenda. Occiditque Eleazarum sacerdotem, & septem fratres cum matre, quod ipsi nequaquam assentiri voluissent, ut colerent Idola; hoc autem fuit anno decimo-nono Ptolomæi, qui cognominatur Epiphanes. Eodem anno defunctus est Mathathias sacerdos. Erat autem Mathathias filius Joannis vir optimus, fugitque ad quemdam montium, & moratus est ibi cum quibusdam Judæis. Qui cum audisset afflictionem, quam suæ genti intulerant Græci, ægerrime id tulit, & maximo affectus est dolore, ac mœrore, zelatusque est Deo, Sanctuario ejus, & Genti suæ. Cumque recessisset Antiochus a Domo sancta, misit Mathathias Judam filium suum clam ad civitates Juda, præcipiens eis zelari Deo. Et surrexerunt ex eis quotquot strenui erant, ac fortes, & religionis calore concitati, convenitque ad illum populus multus. Qui cum vidisset aliquando Judæum quemdam immolantem suem super altare, quod extruxerant Græci dolo Regis, impetum fecit in illum Judæum, & gladio amputavit collum ejus. Tum occidit ducem, qui præerat sacrificiis. Quod videntes socii Mathathiæ animo assumpto irruerunt in exercitum Græcorum, e quibus, Deo adjuvante, plures trucidarunt, fugientes vero insecutus est Mathathias cum sociis, & interfecerunt ad ultimum, defeceruntque a Græcis. Quod audientes Judæi ad illum turmatim accurrunt.

Instante obitu vocavit Mathathias filios suos, qui erant quinque, commendavitque ipsis quid agendum erat. Eo defuncto fecerunt filii ejus juxta ipsius præceptum, & præfecerunt sibi fratrem suum Judam. Quod cum nunciatum esset Antiocho, eo misit tres duces cum tribus fortissimis exercitibus, & præcepit eis, ut penitus deperderent Judæos. Quod cum delatum esset Judæ, & senioribus Judæorum, convenerunt ad Domum Dei, jejunaverunt, ciliciis sese induerunt, & straverunt cinerem. Absolutis orationibus & precibus, præcepit Judas sacerdotibus, ut buccinis Sanctuarii occinerent: quo facto impetum fecerunt in eos, ac Deo adjuvante, trucidarunt ex illis quamplures, & reliqui in fugam versi sunt, quos sequentes Judas, & socii occiderunt, acceperuntque eorum spolia. Antiochum vero vehementissimo morbo percussit Deus, quo mortuus est, & regnavit post illum filius ejus Eupator, qui & Antiochus vocatus est a nomine patris sui. Judas autem filius Mathathiæ, & Judæi purificaverunt Sanctuarium, & novum condentes altare, imposuerunt supra illud ligna, & sacrificia; tum orantes Deum deprecati sunt, ut mitteret ignem super altare, & apparuit ignis, combussitque ligna & sacrificia, mansitque in Domo accensus us-

que ad destructionem secundam. Fecerunt etiam solemnitatem dedicationis altaris octo diebus, statutumque id est in singulos sequentes annos. Occidit etiam Judas Nicanorem ducem Regis Demetrii. Ipsi successit Jonathas frater ejus, qui est tertius ex Hasmonæis, postquam administravit Principatum septem annis. Quare in una pagina collocabimus Regis Machabæos, & in altera e regione Reges Græcorum: supputatio vero annorum sub Regibus Græcorum apponetur.

Numerus.	NOMINA REGUM Machabæorum.	Ann.
I.	Mathathias filius Joannis de filiis Joarib sacerdotis cognomento Hasmonæus liberavit Judæos a jugo Antiochi, regnavitque super eos, & defunctus est anno decimo-nono regni Ptolomæi, qui cognominatur Epiphanes, & post annum obtinuit regnum Judas filius ejus.	19
II.	Judas filius Hasmonæi sacerdotis septem regnavit annis. Eo autem offerente sacrificium, & orante descendit ignis, & combussit illud, nec extinctus est usque ad destructionem Domus secundæ.	7
III.	Jonathan frater ejus, & est tertius ex filiis Hasmonæi, regnavit sex mensibus.	menses 6.
IV.	Simeon frater ejus regnavit octo annis, tum interfecit illum Prolomæus filius Simeonis, qui dicitur & Hircanus, ejus gener.	8
V.	Hircanus triginta & uno anno regnavit. Ejus tempore destruxit Seleucius filius Antiochi Templum, quod extruxerat Sanaballat in Samaria.	31
VI.	Aristobulus filius Hircani regnavit uno anno tantum.	1
VII.	Alexander frater ejus regnum obtinuit post illum viginti-septem annis, reliquitque duos filios, Hircanum scilicet, & Aristobulum. In diebus ejus Judæi trifariam dissecti sunt, nempe in Pharisæos, Sadducæos, & Herodianos.	27
VIII.	Et regnavit post illum Alexandra ejus uxor novem annis, & defuncta est. Cum autem adoleverint filii ejus, constituit Hircanum primogenitum summum sacerdotem, & Aristobulum filium minorem Ducem exercitus.	9

Numerus.	*NOMINA REGUM* *Græcorum.*	*Anni.*	*Summa.*
XCIX.	Ptolomæus cognomento Epiphanes viginti-quatuor annis.	24	5346
C.	Ptolomæus Philometor viginti-qninque annis.	25	5371
CI.	Ptolomæus Evergetes viginti-tribus annis.	23	5394
CII.	Ptolomæus cognomento Soter regnavit viginti annis.	20	5414
CIII.	Ptolomæus Philometor decem annis.	10	5424
CIV.	Ptolomæus Auletes octodecim diebus.	dies 18.	✠
CV.	Ptolomæus, qui dicitur & Dionysius, regnavit viginti & uno anno.	21	5445
CVI.	Cleopatra filia Dionysii regnavir triginta circiter annis. Hæc aquæductum Alexandriæ construxit, & ad eam adduxit aquam dulcem ex flumine Nilo Ægypti. Eadem extruxit Pharum opera cujusdam sapientissimi hominis, qui Acaphius nominabatur. Ex triginta autem annis, quibus regnavit, octodecim fuerunt ante Imperium Augusti Cæsaris, & postquam secundo Imperium obtinuit duodecim.	30	5475

Numerus.	NOMINA REGUM *Machabæorum.*	Anni.
IX.	Regnum itaque tradidit (Alexandra) Ariſtobulo, & ſummum ſacerdotium Hircano, quo contentus fuit, donec diſſenſiones diſſeminavit inter eos Antipater parens Herodis Idumæi, & malorum ac inimicitiarum extitit auctor. Ariſtobulus itaque adminiſtrato Regno tribus annis cum dimidio, captivus ductus eſt, atque mortuus.	3½
X.	Et regnavit Hircanus frater ejus poſt illum quadraginta annis. Cum autem regnum obtinuiſſet Cæſar Auguſtus Romæ, miſit ad illum Hircanus pretioſiſſima munera. Quamobrem Antigonus nepos Hircani profectus eſt ad Regem Perſarum auxilia petens contra patruum: & captus eſt Hircanus, ductuſque ad Regem Perſarum, manſitque ibi donec ab Herode Rege accerſitus, & dolo interfectus, qui ultimus extitit Rex filiorum Haſmonæi. Judæi autem conſtituerant ſibi Regem Antigonum, qui uno regnavit anno; tum ab Herode regno ſpoliatus eſt.	40

DE IMPERATORIBUS ROMANIS, DEQUE REGIBUS HERODIANIS.

Numerus.	NOMINA CÆSARUM IMPERATORUM ROMANORUM.	Anni.	Summa.
CVII.	Auguſtus Cæſar regnavit quinquaginta-ſex annis cum dimidio, ex quibus quatuor cum dimidio ante necem Pompeii Ducis, quod eſt initium regni ſecundi; & donec Cleopatram regno ſpoliavit, annis duodecim; & donec Chriſtus Dominus natus eſt, viginti-quinque annis, & poſt Chriſti Domini nativitatem, quindecim annis.	25	5500

JESU CHRISTI NATIVITAS.

NATUS est Dominus noster JESUS CHRISTUS, cui gloria, nocte, quæ præcessit diem Martis, vigesima-nona mensis quatti Ægyptiorum, qui est Chihac, anno quinquies millesimo quingentesimo ab Orbe condito, & est decima Lunæ Sciahban mensis Arabum .. Quo tempore Herodes profectus est in Ægyptum ad Cleopatram, & inde Romam, obtinuitque ab Augusto Cæsare regnum Judæorum in Jerusalem, & constitutus est dies ille primus regni Herodis, & est dies decima-septima mensis Tamuz, seu Julii, qui est dies jejunii. Acceptumque Antigonum, & catenis vinctum ablegavit in Ægyptum ad Antonium maritum Cleopatræ amicum suum, misitque illi etiam pecuniam, rogans ut Antigonum occideret; quod fecit anno tertio regni Herodis, & est item annus tertius regni Antonii mariti Cleopatræ. Siquidem cum is eam in uxorem duxisset, rebellavit contra Augustum Cæsarem, qui cum suis exercitibus in Ægyptum trajecit, interfecitque Antonium & Cleopatram, & regnum eorum obtinuit. Anno decimo-octavo sui regni destruxit Herodes Templum, illudque iterum ædificavit juxta formam, qua extructum erat a Salomone Rege. Natus est autem Dominus noster CHRISTUS anno vigesimo-quinto regni ejus; (Herodis) cum defunctus est quinto die morbi post necem Antigoni filii sui, septuagesimum agens annum. Regnavit autem triginta & uno anno, ex quibus ante Nativitatem Domini CHRISTI viginti-quinque, & post Nativitatem Domini sex.

Augustus autem Cæsar unus ex ducibus Senioris, qui Romanam regebat urbem, ad Occidentales subigendas plagas cum exercitibus profectus est, dum Pompejus Senioris vicarius in Oriente morabatur. Qui Augustus expugnato Occidente Romam reversus est, eamque domuit Cæsar, Seniore depulso, & Collegis occisis. Post hæc Cæsari denuntiatum est, Pompejum collectis exercitibus ad illum debellandum properare. Verum prælio commisso victoria Cæsari cessit interfecto Pompejo, quo facto misit in Ægyptum Antonium cum Antipatro, qui eam regionem Cæsari subegerunt; & matrimonio copulata est Cleopatra Antonio duci exercitus Cæsaris, descivitque a Cæsare. Quamobrem exercituum expeditione facta perrexit in Ægyptum Augustus Cæsar, interfecitque Antonium sui exercitus ducem, simulque Cleopatram, & regno spoliavit, ac Romana provincia facta est exinde Ægyptus, & Alexandria. Imperavit autem Augustus annos quinquaginta-sex cum dimidio: quatuor, ac menses sex ab interfecto Seniore cum collegis (ex quo initium habuit imperium Cæsaris) ad necem Pompeii ducis; & a nece Pompeii ad excidium regni Cleopatræ filiæ Dionysii duodecim, & ab excidio regni Cleopatræ ad Nativitatem Domini nostri CHRISTI in Bethlehem viginti-quinque annos, & vixit postquam natus est Dominus noster CHRISTUS annos quindecim, quibus completi sunt anni quinquies mille quingenti ab Orbis conditu.

Numerus.	NOMINA REGUM HERODIANORUM. *post Nativitatem Domini.*	Anni.
XI.	Herodes post Nativitatem Domini nostri CHRISTI sex regnavit annis, & ante Nativitatem ejus viginti-quinque, ex quibus sex sub regno Cleopatræ.	6
XII.	Archelaus, qui se Herodem quoque nominavit, paucis post suæ uxoris obitum diebus a misso duce ab Augusto Cæsare Jerusalem captus est, & catenis vinctus Romam adductus, ubi mortuus est, postquam regnum administravit septem annis.	7
XIII.	Regnum suscepit post illum Antigonus ejus frater, qui & ipse quoque se Herodem nuncupavit, regnavitque viginti & uno anno, sub quo cruci affixus est Dominus noster CHRISTUS; tum mittens Tiberius Cæsar comprehendit Antigonum, illumque ablegavit in Hispanias, ibique mortuus est.	21
XIV.	Agrippas filius Aristobuli interfecti, filii Herodis, regnavit viginti-tribus annis.	23
XV.	Agrippas filius Agrippæ, cujus tempore fuit Captivitas, & destructio Jerusalem, regnum viginti tenuit annis. Hic ultimus est Regum Judæorum, post quem excisi sunt, & ad nihilum redacti, & ducti captivi, eorumque destructum est Sanctuarium usque in hodiernum diem.	20

Numerus.	NOMINA CÆSARUM Imperatorum Romanorum.	Anni.	Summa
CVIII.	Auguſtus Cæſar poſt Nativitatem Domini noſtri CHRISTI regnavit quindecim annis.	15	5515
CIX.	Tiberius Cæſar filius ejus viginti-tribus regnavit annis, & ejus anno decimo-quinto Dominus noſter CHRISTUS baptizatus eſt, anno vero decimo-nono cruci affixus.	23	5538
CX.	Cajus Cæſar quatuor annis.	4	5542
CXI.	Claudius Cæſar quatuordecim annis. Ejus tempore ſuum ſcripſit D. Matthæus Evangelium.	14	5556
CXII.	Nero Cæſar tredecim annis, occidit Petrum & Paulum.	13	5569
CXIII.	Galba Cæſar ſeptem menſibus,	menſes 7.	✠
CXIV.	Otto Cæſar tribus menſibus.	menſes 3.	✠
CXV.	Vitellius Cæſar octo menſibus.	menſes 8.	5571
CXVI.	Veſpaſianus Cæſar novem annis cum dimidio.	$9\frac{1}{2}$	$5580\frac{1}{2}$

DE

DE EXCIDIO TEMPLI, ET URBIS HIEROSOLYMITANÆ.

FUIT autem destructio Domus Sanctæ die Martis nona mensis Augusti, quæ est vigesima-quinta Abibi, & nona Lunæ Ragebi, anno quinque millesimo quingentesimo septuagesimo-septimo ab Orbe condito: & est similis diei, in qua combusserat Nabuchodonosor Domum primam. Nam mala, & seditiones quotidie magis magisque gliscebant in regione Judæorum, donec eo profectus est Vespasianus dux exercitus Romanorum Imperatoris, & obsedit Jerusalem usque ad mortem Neronis: tunc enim Romam reversus Imperium suscepit relicto Tito filio, ut Urbem obsidione urgeret, quam obsedit donec expugnavit eam, & combussit Sanctuarium, ac captivam duxit gentem Judæorum. Rescientes autem Judæi qui remanserant in Urbe, Sancta Sanctorum jam incensa fuisse, combusserunt omnia Civitatis palatia, pulcherrima quæque domicilia, ac atria regia, cum omnibus, qui erant in eis, thesauris plurimis, armis, atque facultatibus. Postridie autem diei, qua Sanctuarium incensum est, apparuit quidam in Urbe ex Judæis, qui sese Prophetam deprædicabat, dicebatque: Hæc Domus utique ædificabitur absque manibus humanis, virtute scilicet Dei Optimi Maximi, uti prius erat: resistite igitur fortiter Romanis, eorumque Imperium excutite. Quod audientes qui superfuerant ex Judæis, convenerunt, & pugnaverunt cum Romanis, a quibus superati sunt, atque victi, & usque ad ultimum trucidati. Multi quoque ex plebe Judæorum ceciderunt, quibus antehac misericordia moti Romani pepercerant, ac bene fecerant.

Et egressus est Oseas sacerdos ad Titum habens duo candelabra, duas mensas ex auro, & ingentem summam vasorum Sanctuarii, omnia ex auro purissimo, quæ obtulit Tito. Titus vero ipsum comprehendit, ac oppressit plurimum exigens ab illo thesauros; cui Oseas tradidit thesauros quamplures refertos auro, argento, gemmis pretiosissimis, sacerdotalibus vestibus, ac multis aromatibus, quibus acceptis interfecit illum. Post hæc recessit Titus ab Jerusalem Romam petens; adduxitque secum spolia, & thesauros regionis Judæorum, cum captivitate.

De numero eorum, qui mortui sunt ex Judæis spatio obsidionis; itemque de numero eorum, qui interfecti sunt, & in Captivitatem ducti, præter eos, quos securitate donavit Titus.

REFERT Manahem unus custodum unius portæ Civitatis, se numerasse mortuos, qui elati sunt ex porta, cui præerat, fueruntque centum & viginti-quinque millia, atque octingenti. Referunt quoque Principes Judæorum, qui ad Romanos accepta fide transierant, se calculos subduxisse mortuorum, qui ex omnibus portis elati sunt tempore obsidionis, ut sepelirentur, fueruntque sexcenta millia, præter eos, qui in puteos projecti sunt, & in plateis, vicis, ac domiciliis defuncti, nec habuerunt qui eos sepulturæ traderent. Egressi sunt etiam ex iis quidam ad Romanos, qui illos interfecerunt. Joseph Benegorion refert, se calculos subduxisse eorum, quos interfecerant Romani in bello, & eorum, quos occiderant seditiosi tempore obsidionis in Urbe; & fuerunt decies centena millia, & centum homines: quos autem captivos secum duxerat Titus, fuerunt nonaginta-novem millia hominum. Ubicumque autem Titus castra metabatur, projiciebat ex illis feris, quas secum habebat, donec eos consumpsit.

Numerus.	NOMINA CÆSARUM *Imperatorum Romanorum.*	Anni.	Summa
CXVII.	Titus Cæsar filius Vespasiani, qui destruxit Domum sanctam destructione secunda, quatuor regnavit annis.	4	$5584\frac{1}{2}$
CXVIII.	Domitianus Cæsar frater Titi regnavit quindecim annis. Iste magnopere oppressit Christianos.	15	$5599\frac{1}{2}$
CXIX.	Nerva Cæsar uno regnavit anno.	1	$5600\frac{1}{2}$
CXX.	Trajanus Cæsar novemdecim regnavit annis. Iste occidit Ignatium Patriarcham Antiochenum, itemque Simeonem filium Cleophæ Episcopum Jerusalem annum agentem centesimum vigesimum, postquam Episcopatum rexit quadraginta duobus annis, decem nempe ante destructionem Jerusalem, reliquis vero post destructionem. Ejus tempore suum conscripsit Evangelium Joannes.	19	$5619\frac{1}{2}$
CXXI.	Ælius Adrianus Cæsar regnavit viginti & uno anno. Hic columnam, seu titulum erexit super portam Jerusalem, in quo appendit tabulam cum hac inscriptione; *Urbs Ælia*. Columna autem nunc dicitur *Satellum David*. Fossam quoque effodere curavit ex flumine Ægypti ad mare rubrum, eoque conduxit aquam dulcem.	21	$5640\frac{1}{2}$
CXXII.	Antonius Cæsar regnavit viginti-duobus annis.	22	$5662\frac{1}{2}$
CXXIII.	Aurelius Cæsar regnavit decem & novem annis.	19	$5681\frac{1}{2}$
CXXIV.	Commodus filius Antonini duodecim regnavit annis. In ejus diebus eduxerunt Persæ Azdscirum filium Tabcchi filii Sasani Astachatensis, & hoc est initium regni Persarum super terra Babylonis, Amedi, & Persidis. Ejus tempore floruit Galenus medicus auctor artis mediex.	12	$5693\frac{1}{2}$
CXXV.	Pertinax Cæsar tribus regnavit mensibus.	menses 3.	✠

Numerus.	NOMINA CÆSARUM Imperatorum Romanorum.	Anni.	Summa
CXXVI.	Julianus Cæsar regnavit duobus mensibus.	menses 2.	⊕
CXXVII.	Severus Cæsar regnavit tredecim annis.	13	5706½
CXXVIII	Antonius Cæsar filius ejus regnavit sex annis.	6	5712½
CXXIX.	Macrinus Cæsar uno regnavit anno.	1	5713½
CXXX.	Antonius Cæsar tribus regnavit annis.	3	5716½
CXXXI.	Alexander Cæsar tredecim annis regnavit. Anno autem ejus Imperii nono regnavit Azdſcirus filius Tabechi filii Saſani.	13	5719½
CXXXII	Maximinus Cæsar tribus annis. Sub eo martyrio coronati ſunt Sergius, & Bacchus.	3	5732½
CXXXIII.	Pupienus Cæsar regnavit tribus menſibus.	menses 3.	⊕
CXXXIV.	Gordianus Cæsar regnavit quatuor annis. Sub eo apparuit Manes auctor hæreſis Manichæorum. Sub eo quoque floruit Gregorius Thaumaturgus Cæſaræ Philippi.	4	5736½
CXXXV.	Philippus Cæſar regnavit ſeptem annis. Primo ejus Imperii anno regnavit Sapor filius Azdſciri in Perſide.	7	5743½
CXXXVI	Decius Cæſar uno regnavit anno. In diebus ejus fugerunt ſeptem illi Adoleſcentes, & latuerunt in antro urbis Epheſi. Sub eo martyrio quoque coronatus eſt ſanctus Mercurius.	1	5744½

Numerus.	NOMINA CÆSARUM Imperatorum Romanorum.	Anni.	Summa
CXXXVII.	Gallus Cæsar duobus regnavit annis.	2	$5746\frac{1}{2}$
CXXXVIII.	Valerianus Cæsar quatuordecim regnavit annis. In ejus diebus martyrii laureola coronati sunt Cosmas, Damianus, & fratres eorum, ac mater. Sub eo apparuit Paulus Samosatenus.	14	$5760\frac{1}{2}$
CXXXIX.	Claudius Cæsar uno regnavit anno. Sub quo Paulus Patriarcha Antiochenus sectæ Paulianistarum auctor fuit.	1	$5761\frac{1}{2}$
CXL.	Aurelianus Cæsar annis sex regnavit, & anno sexto ejus Imperii natus est Constantinus Imperator.	6	$5767\frac{1}{2}$
CXLI.	Tacitus Cæsar regnavit sex mensibus.	menses 6.	5768
CXLII.	Probus Cæsar regnavit sex annis.	6	5774
CXLIII.	Carus Cæsar regnavit duobus annis.	2	5776
CXLIV.	Diocletianus Cæsar, cujus tempore quadrifariam partitum erat Imperium. Diocletianus enim Antiochiæ degebat, Maximianus vero filius ejus in Oriente, Maximinus Romæ, & Constantinus in Asia, at Diocletianus præcipuus erat. Quoniam autem Ægypti, & Alexandrini contra illum rebellaverant anno decimo-nono ejus Imperii, Alexandriam missa sunt ejus edicta, ut clauderentur Ecclesiæ Christianorum, & reserarentur Idolorum templa, occiderque quotquot thura Idolis offerre noluerunt. Hinc infinita propemodum multitudo martyrii coronam assecuta est. Interfecit quoque Petrum Patriarcham Alexandrinum, & filios Regum, ac Principum exilio mulctavit in Ægyptum, nempe Claudium, Victorem, & Basilidem. Postquam autem Imperium tenuit viginti & uno anno, percussit eum cæcitate Deus, ut eleemosynam peteret ad portas urbis Antiochiæ, & mortuus est morte pessima.	21	5797

Numerus.	NOMINA CÆSARUM *Imperatorum Romanorum.*	Anni.	Summa
CXLV.	Maximianus filius ejus defuncto patre Imperium tenuit uno anno, & perpetravit mala multo majora, & atrociora, quam pater ejus. In ejus diebus martyrio coronata est Barbara, ac alii quamplures.	1	5798
CXLVI.	Constantinum Magnum defuncto Diocletiano Maximianus filius ejus ab Imperio expellere moliebatur. Anno decimo-septimo Imperii Constantini apparuit ei in somnio signum Crucis, audivitque vocem sibi dicentem: *Porta hoc signum, vinces hostes tuos.* Qua de re cum inquisisset, illum certiorem fecerunt Sacerdotes Christiani de hujus mysterio. Statimque tulit Constantinus figuram Crucis, egressusque est ad Maximianum debellandum, fususque est Maximianus coram illo, & fugiens Romam submersus est in flumine cum exercitu suo, & Imperium obtinuit Romanum Constantinus ab ortu usque ad occasum. Anno decimo-nono sui Imperii credidit, & baptizatus est. Helena vero mater ejus profecta est Jerusalem, & detexit pretiosissimum lignum Crucis, & Sepulchrum, & ædificavit Templum Resurrectionis, & Golgothæ. Anno autem post ejus conversionem ad fidem decimo-nono coegit sanctum illud Concilium Nicææ trecentorum octodecim Episcoporum, qui anathemate percusserunt Arium, ac omnes qui ejus sequebantur sententiam, & composuerunt vulgatissimum illud Symbolum. Summa autem ejus Imperii fuit quinquaginta annorum, e quibus ante fidem susceptam sub obedientia Diocletiani octodecim, & post fidem triginta-duo.	32	5830
CXLVII.	Constantinus filius Constantini. Ejus tempore floruit Cyrillus Jerosolymitanus, scripsitque ad illum, dicens: In diebus patris tui Constantini amantissimi Deo, apparuit Jerusalem lignum salutiferæ Crucis, & detecta sunt Sancta Loca: At in diebus tuis, Imperator, apparuerunt miracula, non quidem e terra, sed ex cælo; siquidem apparuit Jerusalem super Sepulchro hora tertia solemnitatis Pentecostes Crux composita ex ingenti splendore, quæ quidem non uni, aut duobus apparuit, sed omnibus civibus palam; videruntque illam oculi spatio trium horarum. Splendor vero ejus superabat splendorem Solis, illumque obscurabat. Quod propter miraculum adjecta sunt multa hominum millia ad cognitionem Dei, ac in fide Christiani effecti sunt. Iste autem viginti-quatuor regnavit annis.	24	5854

Numerus.	NOMINA CÆSARUM. *Imperatorum Romanorum.*	Anni.	Summa
CXLVIII.	Julianus Apostata. Hujus tempore floruit Abbas Antonius, qui omnium primus in Ægypto solitudinem incoluit, & extruxit Monasteria. In Syria florebat quoque eo tempore Abbas Hylarion, & ipse omnium primus incoluit solitudinem Jordanis, ibique Monasteria ædificavit. Hunc Imperatorem transfixit hasta Sanctus Mercurius martyr, & occidit illum, quod Basilium Episcopum Cæsareæ vinxerat.	2	5856
CXLI.	Jovianus uno regnavit anno.	1	5857
CL.	Valentinianus regnavit duodecim annis.	12	5869
CLI.	Valens post Valentinianum regnavit duobus annis.	2	5871
CLII.	Gratianus regnavit uno anno.	1	5871
CLIII.	Theodosius major Imperator fidelis regnavit septemdecim annis. Anno primo ejus Imperii coadunatum fuit Concilium secundum Constantinopolitanum centum quinquaginta Episcoporum, in quo anathemate perculsus est Macedonius Spiritus Sancti hostis; & Sabellius qui dicebat: *Pater Filius Spiritus Sanctus*, constituebatque in una natura Divina unam personam, omittebatque particulam, *&c*. Anathemate quoque perculserunt Apollinarem, qui dicebat: *Magnus*, *Major*, *Maximus*. Vocabat enim Spiritum Sanctum *Magnum*, Filium vero *Majorem*, & Patrem *Maximum*. Anno octavo ejus Imperii apparuerunt septem illi Adolescentes, qui fugientes sese absconderant a Decio Imperatore impio: erit igitur spatium eorum dormitionis centum triginta-sex annorum. Hic Imperator Theodosius extruxit Ecclesiam Gethsemani.	17	5889
CLIV.	Arcadius filius ejus tenuit Imperium tredecim annis. Ipse extruxit monasterium Alkosairi in monte Moctabi in Phostato Ægypti dicatum nomini Sancti Arsenii. Tempore ejus floruit Joannes Chrysostomus Patriarcha Constantinopolitanus.	13	5902

Numerus.	NOMINA CÆSARUM Imperatorum Romanorum.	Anni.	Summa
CLV.	Theodosius minor filius Arcadii regnavit quadraginta-duobus annis. Anno vigesimo-primo Imperii ejus celebratum est tertium Concilium Ephesi ducentorum Episcoporum, qui anathemate percusserunt Nestorium, & ejus sequaces, præsidente magno Cyrillo Patriarcha Alexandrino.	42	5944
CLVI.	Marcianus Imperator imperium sex annis tenuit. Sub eo celebratum est Concilium quartum Chalcedonense contra Dioscorum anno primo Imperii ejus, erantque in illo sexcenti triginta Episcopi. Marcianus enim Pulcheriam sororem Theodosii in uxorem duxerat post obitum ejus, quæ Imperium ipsi tradidit. Cum igitur consensum Dioscorus Patriarcha Alexandrinus ipsi præstare noluisset, sua sede illum amovit, & mortuus est in exilio. Illi vero, qui Imperatoris sententiam sunt secuti, vocati sunt *Melchitæ*, id est, Imperiales, seu Regii.	6	5950
CLVII.	Leo major sexdecim annis.	16	5966
CLVIII.	Leo pater Zenonis Jacobita uno anno.	1	5967
CLIX.	Zeno Imperator filius ejus Jacobita 17. annis.	17	5984
CLX.	Anastasius Jacobita exilio mulctavit Eliam Patriarcham Jerosolymorum, & Flavianum Patriarcham Antiochenum, quod opinioni Melchitarum addicti essent, constituitque pro Flaviano Severum. Severus autem discipulum habebat quemdam nomine Jacobum, qui defuncto Imperatore clam vagabatur, & homines revocabat ad sectam Dioscori, ita annuente, & præcipiente Timotheo Patriarcha Alexandrino.	27	6011
CLXI.	Justinus Chalcedonensis insectatus est Jacobitas, & in exilium abegit Severum Patriarcham Antiochenum. Regnavit novem annis.	9	6020
CLXII.	Justinianus Imperator regnavit triginta-novem annis. Ejus tempore celebrata est quinta Synodus Constantinopolitana centum sexaginta-quatuor Episcoporum, qui damnaverunt Origenem, & ejus sectatores.	39	6059

Numerus.	NOMINA CÆSARUM Imperatorum Romanorum.	Anni.	Summa
CLXIII.	Justinus Imperator tredecim annis.	13	6072
CLXIV.	Tiberius Imperator tribus annis.	3	6075
CLXV.	Mauritius Imperator, quem interfecit Phocas, viginti annis.	20	6095
CLXVI.	Phocas Imperator, quem interfecit Heraclius, octo annis.	8	6103
CLXVII.	Heraclius Imperator triginta & uno annis, ac quinque mensibus regnavit, scilicet ab anno nongentesimo vigesimo-secundo Alexandri, & defunctus est die Dominica nona Februarii, quæ respondet decimæ-quintæ Amseiri anni nongentesimi quinquagesimi-quarti Alexandri. Ejus tempore initium habuit Imperium Moslaminorum; regnavit enim Heraclius Imperator ante Moslaminos undecim annis, & viginti annis post initium Imperii ipsorum. Quamobrem recensebimus ex ejus annis in hisce tabulis undecim tantum, reliqui vero computabuntur in summa annorum Moslaminorum.	11	6114

DE MOSLAMINORUM IMPERIO.

FUIT initium Imperii Moslaminorum die Jovis prima Moharrami, quæ est decima-quinta Julii, & vigesima prima Abibi, anno ab Alexandro nongentesimo trigesimo-tertio. Contigit quippe Hegira eo anno, quo Heraclius Phocam occidit, & obtinuit Imperium, nempe anno primo sui Imperii. Rejecimus autem annos Heraclii viginti posteriores, & sequuti sumus annos Hegiræ, quod proximiores sint nobis, adeoque facilius annorum subducitur ratio ad nostra hæc tempora. Cum vero anni Hegiræ sint Lunares, eo modo eos descripsimus, tum convertimus ad eos annos Solares, & eamdem trivimus viam, ac ante in annorum vera ratione subducenda ab Adamo. In una autem tabula descripsimus nomina Calipharum Moslaminorum, & Regum eorum in Ægypto, & Babylone a Mahometo usque ad hæc nostra tempora, qui sunt Caliphæ Habbasidarum, Fatemitarum, & Reges Ajubitarum, aliorumque; & expandimus annos singulorum, ac dies, atque reduximus eos ad Solares. In tabula vero subjecta quatuor distinximus columnas, in quarum prima posuimus annos, ac dies Lunares, quibus singuli regnarunt Caliphæ, in secunda summam eorum, in tertia illorum reductionem in Solares, in quarta demum summam annorum ab Orbe condito.

Numerus.	NOMINA ET HISTORIÆ *Calipharum.*	*Anni Caliphatus.*	*Summa annorum Lunarium*	*Reductio eorum in Solares.*	*Summa annorum Mundi.*
I.	Mahometus Abulcasemus filius Ab-dallahi, filii Abdalmotlabi, natus est in planitie Mechensi nocte præcedente diei Lunæ decima Rabihi prioris anno Elephantis. Æra autem Hegiræ initium habuit diei Jovis prima anni illius, quo Mahometus sese fuga contulit ab urbe Mecha ad Madinam. Defunctus vero est die Lunæ duodecima Rabihi prioris. Vixit annis sexaginta-tribus, e quibus decem transegit Madinæ.	anni 10 dies 71	anni 10 dies 71	anni 9 dies 329	anni 6123 dies 320
II.	Abubacrus Sadekus filius Abikahaphæ creatus est die Lunæ, qua defunctus est Mahometus, obiitque morbo Phtisis. Erat autem procerus, exilis, levis barbæ ac raræ, contemptor rerum humanarum, devotus, fugiens, abstinensque a deliciis mundanis; nam accipiebat singulis diebus ex publico ærario tres denarios tantum. Est primus omnium, qui collegit Alcoranum.	anni 2 dies 100	anni 12 dies 171	anni 2 dies 76	anni 6125 dies 360
III.	Homarus filius Alchottabi, cognomento Abuhaphsus, creatus est eadem die, qua obiit Abubacrus. Ipse Ægyptum cepit pacifice a Mocaucaso; Alexandriam vero vi expugnavit. Pugione percussit eum Abululua puer Mogairi, & post dies tres mortuus est. Erat autem valde fuscus, itemque calvus. Primus omnium appellatus est Amir-almumanina, id est, *Imperator fidelium*: primusque margaritis usus est, easque gestavit. Ipse cepit Damascum, Hames, Kinsarin, Basan, Jerusalem, & Madaien urbem Regiam Cosdroes, ex qua eam retulit divitiarum summam, quæ vix exprimi potest. Expugnavit quoque Adrichan, Raka, Nisiben, & alia loca.	anni 10 dies 178	anni 22 dies 349	anni 10 dies 70	anni 6136 dies 65
	Quinque dies Interregni usque ad Imperium Hothmani summæ adjiciendi sunt.				

Numerus.	NOMINA ET HISTORIÆ Calipharum.	Anni Caliphatus.	Summa annorum Lunarium	Reductio eorum in Solares.	Summa annorum Mundi.
IV.	Horhmanus filius Haffani inaugurarus est prima Moharrami, & interfectus est die Paschatia Mahomero filio Abubacri agens octogesimums secundum annum. Eo anno quo defunctus est, præcepir Alvalido filio Hacabæ, ut Codices Alcorani dilaccrarer, & lavarer accro, quod magna dissensio de Alcorano orta esser. Siquidem reversus Hadifa ex bello Armenico dixit ipsi: Consule populis antequam dissentiant dissensione Judæorum, & Judæorum. Qui air: Quid est hoc? Respondit: Expugnavi Armeniam, Haracam, & Syriam, ubi comperi Harachenses pro infidelibus habere Syros, & eorum librum; contra Syros pro infidelibus habere Harachenses. Tunc præcepit Zaido filio Thabeti, qui descripsit Codicem, & contulit illum cum Codice, qui crar apud Haphesum, combussitque Codices ab illo dissentientes.	anni 11 dies 344	anni 34 dies 344	anni 11 dies 223	anni 6147 dies 293
V.	Ali filius Abutalebi Calipha creatus est ea die, qua inrerfectus est Horhmanus. Erar mundi contemptor, elargiendis eleemosynis deditus, & religionis Mahomeranæ propugnator accrrimus.	anni 4 dies 262	anni 40 ✠	anni 4 dies 219	anni 6152 dies 147
VI.	Alhasanus filius Ali crearus est Calipha Cuphæ ea die, qua obiit pater ejus. Anno quadragesimo-primo profectus est Moavia filius Abisaphiani Cupham, cui occurrir Alhasanus ibidem, & inierunt pacem, rradita Moaviæ rerum summa, cessitque illi Alhasanus Imperii jura. Ejus tempore interfectus est Alhosainus die Veneris, qui eo nomine semper celebris habitus est; & interfecti sunt cum illo novem millia equitum: occiditur autem agens annum ætatis quinquagesimum-nonum.	✠ dies 82	anni 40 dies 80	✠ dies 182	anni 6152 dies 329
	Quatuor dies interregni addantur summæ.				

DE CALIPHIS OMAYTIS.

Numerus.	NOMINA CALIPHARUM *familiæ Omayæ.*	Anni Caliphatus.	Summa annorum Lunarium	Reductio eorum in Solares.	Summa annorum Mundi.
VII.	Moavia filius Abisaphiani inauguratus est Calipha, & defunctus Damasci agens septuagesimum-octavum ætatis annum. Erat candidus procerus, extantibus oculis, prolixa barba, lato pectore, ac amplis naribus. Erat etiam magnæ majestatis, & auctoritatis apud homines.	anni 19 dies 94	anni 59 dies 178	anni 18 dies 253	anni 6171 dies 221
VIII.	Jazidus filius Moaviæ inauguratus est Calipha ea die, qua defunctus est pater ejus, dum ageret annum trigesimum-nonum. Ipse interfecit Alhosainum. Fuit valde fuscus, magno capite, Variorum vestigiis in vultu notatus, brevibus digitis. Misso exercitu obsedit Bocharam, cujus regnum mulier quædam nomine Chaton tenebat, quæ opem contra Moslaminos imploravit Regis Sagdi, juravitque ipsi se illi tradituram in uxorem. Qui opem illi tulit cum centum-viginti millibus, & multis præliis, ac pugnis commissis obsedit Mecham, & portam Alcaabæ combussit cum trabibus, unde muri nigredinem contraxerunt. Obsedit quoque Madinam, eamque expugnavit, devastavit, & civium effuso sanguine totam urbem depopulatus est.	anni 3 dies 249	anni 63 dies 73	anni 3 dies 226	anni 6175 dies 72
IX.	Moavia filius Jazidi filii Moaviæ inauguratus est Calipha, qua die defunctus est pater ejus, nempe 15. Rabihi prioris. Caliphatum administravit 45. diebus, tum illo sese abdicavit, & 40. diebus post Imperii abdicationem defunctus est 23. agens annum, & sepultus est ad latus patris sui, nulla relicta prole.	✠ dies 45	anni 63 dies 118	✠ dies 45	anni 6175 dies 115
	Nonaginta-novem dies interregni usque ad Caliphatum Abd-allahi Ben-azzabiri addantur summæ.				
X.	Abd-alla filius Alzobiri inauguratus est Mechæ vigesima-prima Ragebi. Cum autem Imperium obtinuisset Abd-almalech filius Marovani, misit contra illum Alhagiagium, quem interfecit, & patibulo affixit agentem septuagesimum secundum annum.	✠ dies 128	anni 63 dies 325	✠ dies 128	anni 6175 dies 334

Numerus.	NOMINA CALIPHARUM *familiæ Omayæ.*	Anni Caliphatus.	Summa annorum lunarium	Reductio eorum in Solares.	Summa annorum Mundi.
XI.	Marovanus filius Alhocmi inauguratus est Chabiæ mense Ragebi. Sub ejus Caliphatu motus excitarunt Sciaitæ ad vendicandam mortem Alhosaini, præfecerunt sibi Solimanum filium Saradi, & erat numerus eorum, qui ad illum convenerant, sexdecim millia.	✠ dies 198	anni 64 dies 266	✠ dies 295	anni 6176 dies 254
XII.	Abd-almalech filius Marovani, & pater Alvalidi inauguratus est Calipha Damasci mense Ramdani agens sexagesimum annum. Erat forma quadratus, albus, hiante ore, dentibus intricatis, & obtusis naribus: cognominabatur autem Abazian. Erat vero summopere avarus, itaut agnomine diceretur *Distillatio lapidis*.	anni 21 dies 15	anni 85 dies 281	anni 20 dies 152	anni 6197 dies 41
XIII.	Alvalidus filius Abd-almalechi filii Marovani, filii Alhoemi suffectus parenti adhuc viventi die Jovis decima-quinta Scevali, & defunctus est quadragesimum-octavum agens annum, & quosdam menses. Erat fortissimus, ac valde strenuus, & deditissimus ducendis & dimittendis uxoribus, nam sexaginta-tres duxit uxores. Ipse construxit Delubrum Damasci, destruxitque Ecclesiam sancti Joannis, & addidit illam Delubro. Duodecim millia marmoribus elaborandis operam navabant in ædificio dicti Delubri, in quo insumpsit quinquies decies centena millia, & sexcenta millia denariorum, etamque in eo sexcentæ catenæ aureæ.	anni 9 dies 236	anni 95 dies 113	anni 9 dies 138	anni 6206 dies 179
XIV.	Solimanus filius Abd-almalechi filii Marovani inauguratus est Calipha qua die defunctus est Alvalidus frater ejus, nempe die Sabbati 15. mensis Giamadi posterioris, morbo laterum, agens 45. annum. Fuit procerus, pulcher, eloquens, lisertus, abhorrens ab effusione sanguinis, helluo, luxuriosus, comedebatque singulis diebus centum circiter libras.	anni 2 dies 242	anni 98 dies 50	anni 2 dies 221	anni 6209 dies 34
XV.	Homarus filius Abd-alazizi filii Marovani, filii Alhoemi, inauguratus est Calipha qua di obiit patruus ejus Solimanus, nempe die Veneris vigesima Saphari. Maximopere deditus erat contemptui rerum, justitiæ, & religioni, cui semper posthabebat res mundanas.	anni 2 dies 222	anni 100 dies 202	anni 2 dies 130	anni 6211 dies 164

Numerus.	NOMINA CALIPHARUM familiæ Omajæ.	Anni Caliphatus.	Summa annorum Lunarium	Reductio eorum in Solares.	Summa annorum Mundi.
XVI.	Jazidus filius Abd-amalechi, filii Matovani, filii Alhocmi inauguratus eſt Calipha qua die defunctus eſt patruus ejus Homarus filius Abd-alazizi, nempe die Veneris vigeſima-quinta Ragebi, obiitque agens annum vigeſimum-nonum. Erat magno corpore, & addictiſſimus muſicæ; & luſibus. Eo diligebat puellam quamdam, ut ea mortua maximo conflictatus ſit mœrore, cadaverque illius triduo apud ſe ſervarit, donec fœtuit.	anni 4 dies 29	anni 104 dies 231	anni 3 dies 350	anni 6215 dies 549
XVII.	Haſciamus filius Abd-amalechi filii Alhocmi inauguratus eſt Calipha qua die defunctus eſt frater ejus, ſcilicet vigeſima-quinta Sciabani. Erat luſcus, candidus, tendens ad flavedinem, politiæ, & regiminis peritiſſimus, ſed ſummopere avarus, & invidus. Veſtimentorum adeo amator erat, ut hujuſmodi ejus ſupellectili aſportandæ ſexcenti cameli deſtinati eſſent; reliquit duodecim millia interularum. Cum autem vita exceſſiſſet, prohibuit Alvalidus, ut nemo illum involveret, adeoque involvit illum famulus ejus.	anni 19 dies 219	anni 124 dies 95	anni 19 dies 13	anni 6234 dies 162
XVIII.	Alvalidus Abul-habbaſus filius Jazidi, filii Abd-almalechi, filii Matovani, filii Alhocmi Calipha inauguratus eſt qua die obiit patruus ejus Haſciamus menſe Rabihi poſterioris. Interfecerunt illum homines factionis Jazidi filii patrui ejus, & amputatum caput ejus circumtuletunt per Damaſcenam urbem dum ille agebat 42. annum. Cauſa ejus necis vitia, & evidens infidelitas fuerunt, necnon Sadducæorum hæreſis. Crearunt autem Damaſceni cives filium patrui ejus Jazidum, qui confirmato Imperio dixit: Quicumque afferet ad me caput Alvalidi centum millibus denariorum donabitur; & interfectus eſt, & allatum ad illum caput ejus.	anni 1 dies 81	anni 125 dies 176	anni 5 dies 69	anni 6235 dies 231
XIX.	Jazidus filius patrui Alvalidi filii Abd-almalechi, filii Matovani, filii Alhocmi inauguratus eſt vigeſima-octava Giamadi poſterioris, & periit peſte in ſolemnitate Paſchatis, agens quadrageſimum annum. Pendebat ad opinionem & ſententiam Cadraitarum; ideoque cum Imperium obtinuiſſet Marovanus Alhomat, (id eſt aſinus) defodit ſepulchrum ejus, & cadaver patibulo affixit; quoniam vero ſtipendia militum diminuit, cognominatus eſt *Diminutus*.	✠ dies 160	anni 125 dies 336	✠ dies 160	anni 6236 dies 26

Numerus.	NOMINA CALIPHARUM familiæ Omayæ.	Anni Caliphatus.	Summa annorum Lunarium	Reductio eorum in Solares.	Summa annorum Mundi.
XX.	Abrahimus filius Alvalidi, filii Abd-almalechi filii Marovani, filii Alhocmi inauguratus est ea die, qua defunctus est frater ejus Jazidus mense Dialhagia. Qui cum vidisset rerum omnium perturbationem, sese abdicavit, tradiditque rerum summam Marovano filio Mahometi Giahdensi, & post aliquod tempus interfecit illum filius Marovani, & patibulo affixit. Ratis erat superioribus labris, impotens, & ineptus ad regimen, itaut ejus sequaces aliquando salutarent illum ut Calipham, aliquando ut Ducem, aliquando absque ullo titulo.	✠ dies 69	anni 126 dies 50	✠ dies 69	anni 6236 dies 95
XXI.	Marovanus filius Mahometi Giahdensis inauguratus est Calipha mense Saphari, quem interfecit Saleh patruus Abilhabbasi Saphahi in quodam oppido Ægypti superioris, nomine Bausir. Hic est ultimus Calipharum familiæ Omayæ, qui fuerunt quatuordecim, quorum primus fuit Moavia filius Abisaphiani, & iste ultimus. Erat autem prudens, strenuus, optimi consilii, & regiminis, sed adversa fortuna, & statuto tempore elapso nihil prodest consilium, neque apparatus; conversa enim ducitur capillo, adversa vero disrumpit catenas.	anni 5 dies 23	anni 131 dies 73	anni 4 dies 330	anni 6241 dies 63

DE CALIPHIS HABBASIDIS.

Numerus.	*NOMINA ET HISTORIÆ Calipharum Habbasidarum.*	*Anni Caliphatus.*	*Summa annorum Lunarium*	*Reductio eorum in Solares.*	*Summa annorum Mundi.*
XXXII.	Abu-habbasus Saphahus Abd-alla filius Mahometi, filii Alhabbasi inauguratus est Cuphæ die Veneris decima Rabihi prioris, & defunctus est morbo varorum Hascemiæ, agens trigesimum-secundum annum cum dimidio. Erat candidus, pulchra facie, liberalis, & optimis moribus. Is coegit homines familiæ Omayæ, qui erant circiter octoginta viri, & interfecit eos usque ad ultimum. Nam singulis assignavit unum ex suis armis instructum, & cum exclamasset quidam eorum, *Habd-sames pater tuus pater noster est, nec sumus tibi alieni*, manus percussit Abd-alla: tunc unusquisque sibi assignatum trucidavit, & interfecerunt eos, ut præceperat Abd-alla. Et digestis ordine impositus est tapes, sedensque super eos ipse cum suis cibum advocavit, & dum comedebant, audiebant eorum lamentationes, donec mortui sunt. Tum misit Abuhabbasus patruum suum Damascum, qui expugnavit eam, interfecto Alvalido, & depopulatus est Damascum triduo cum dimidio, & destruxit mœnia usque ad ultimum lapidem, ac sepulchra Omaytarum desodit, inceditque igne.	anni 4 dies 266	anni 135 dies 339	anni 4 dies 222	anni 6245 dies 285
XXXIII.	Abu-giafar Abd-alla filius Mansuri, filii Alhabbasi inaugurarus est Calipha qua die obiit frater ejus, dum esset in itinere Mechano, & defunctus est apud puteum Maimon Mechæ agens sexagesimum-tertium annum. Ipse construxit Bagdadum, sive Babylonem, & incoluit eam anno centesimo quadragesimo-quinto. Tanta fuit morum probitate, prudentia, rectitudine consilii, ac suavitate administrationis, ut vix exprimi possit. Erat quoque prudentissimus, ac rerum experientia exercitatus; necnon terribilis, cui sola suspicio sufficiebat, & accusatio ad interficiendum. Summopere avaritiæ fuit deditus, adeo ut *Viscosi* cognomen adeptus fuerit. Numerus eorum quos interfecit, fuit sexcentorum millium.	anni 21 dies 348	anni 157 dies 332	anni 21 dies 119	anni 6267 dies 39

Numerus.	*NOMINA ET HISTORIÆ Calipharum Habbasidarum.*	Anni Caliphatus.	Summa annorum Lunarium	Reductio eorum in Solares.	Summa annorum Mundi.
XXIV.	Mahomerus Almohdi Obaid-alla filius Mahometi inauguratus est Calipha qua die defunctus est pater ejus Mechæ, cum esset Bagdadi die sabbati sexta mensis Dialhagia, & defunctus est in quodam oppido Masidani vigesima-secunda Moharrami, agens quadragesimum-secundum annum cum dimidio. Erat colore pallidus, habens in oculo dextro maculam albuginis.	anni 10 dies 45	anni 168 dies 22	anni 9 dies 301	anni 6276 dies 340
XXV.	Musa Alhadi, & est pater Mahometi, inauguratus est Calipha qua die obiit pater ejus, & defunctus est Bagdadi die Veneris decima-quarta Rabihi prioris, vigesimum-quartum agens annum. Jam decreverat abdicare fratrem suum Rascidum a successione Imperii, & inaugurare filium suum, sed subita mors intercessit inter ipsum, & propositum suum. Erat strenuus, magnanimus, liberalis, difficilis accessu, & desideriorum.	anni 1 dies 52	anni 169 dies 64	anni 1 dies 43	anni 6278 dies 18
XXVI.	Haron Rascidus Abu-mahomerus filius Almohdi inauguratus ea nocte qua defunctus est frater ejus, & natus Almamunus; obiit vero nocte Sabathi tertia Giamadi posterioris agens quadragesimum-septimum annum, & menses. Habebat a secretis Giahfarum filium Chaledi, filii Barmachi. Erat pulcher, corpulentus, & pinguis. Omnium Calipharum fuit liberalissimus, & munificentissimus, optimis carminibus componendis deditus, necnon strenuus, addictus bellis, & peregrinationibus, adeoque octies in suo Caliphatu peregrinatus est. Occidit Giahfarum, qui ipsi a secretis erat, de cujus necis causa non conveniunt scriptores. Nam quidam asserunt, Rascidum absentiam Giahfari & suæ sororis Habbasæ ferre non potuisse, quare matrimonio illos copulavit eo pacto, ut illam aspiceret, sed ne tangeret, vetuit, tamen reddidit gravidam, quæ peperit puerum, misitque illum Mecham, timens Rascidum fratrem, qui hoc percipiens occidit Giahfarum: sed hoc longe distat a veritate. Alii ferunt, Giahfarum ædificasse domum amplissimam, & impendisse viginti decies centena millia denariorum; neque Rascidum per villam aut hortum transire solitum, quin ei diceretur, hæc sunt Giahfari. Alii tradunt, quod, cum illum amovere non posset vivum, ne secreta sua aperiret, & aliquid mali inde nasceret, misit Masrurum noctu, qui eum adduxit ad palatium Rasci-	anni 23 dies 78	anni 192 dies 152	anni 22 dies 190	anni 6300 dies 210

Numerus.	*NOMINA ET HISTORIÆ* *Calipharum Habbasidarum.*	*Anni Caliphatus.*	*Summa annorum Lunarium*	*Reductio eorum in Solares.*	*Summa annorum Mundi.*
	di, cui præcepit, ut caput illius sibi afferret; ille vero bis pro ipso rogaturus reversus est. Quamobrem iratus Rascidus, conviciis illum affecit, quare abscidit caput ejus, & attulit Rascido, agentis annum trigesimum-septimum. Prehendit autem filium ejus Fadhlum, & omnes liberos eorum, ministros, & servos, ac in carcerem conjecit, bonis fisco addictis.				
XXVII.	Mahomerus Alaminus filius Rascidi, filii Almohdi inauguratus est Calipha Tusæ die insequente noctem qua defunctus est pater ejus, dum esset Bagdadi, septima Giamadi posterioris. Erat autem prodigæ liberalitatis, sed pessimis moribus, & effundendo sanguini deditus. Tandem interfectus est, & amputatum caput ejus.	anni 4 dies 228	anni 197 dies 25	anni 4 dies 185	anni 6305 dies 28
XXVIII.	Almamunus filius Haronis Rascidi, filii Almohdi inauguratus est Calipha die insequente noctem qua occisus est frater ejus Alaminus, nempe die Mercurii decima-octava Ragebi, dum agebat annum quadragesimum-octavum. Ejus tempore defunctus est Alamamus Mahometus filius Adrisi Sciahsæus in Ægypto quinquagesimum quartum agens annum.	anni 20 dies 161	anni 217 dies 186	anni 19 dies 308	anni 6324 dies 336
XXIX.	Almohtasemo Billa Abutsaac Abrahimus filius Haronis Rascidi inauguratus est Calipha Tarsi ea die qua obiit frater ejus Almamunus. Et profectus est Bagdadum die Sabathi initio mensis Ramdani. Obiit Sarmanræ die Jovis decima-octava mensis Rabihi prioris quadragesimum-sextum agens annum.	anni 8 dies 246	anni 226 dies 177	anni 8 dies 159	anni 6333 dies 130
XXX.	Alvateko Billa Abugiafar filius Rascidi inauguratus est Calipha Sarmanræ, qua die obiit pater ejus Almohrasemo, & defunctus est trigesimum-sextum agens annum. Erat candidus, & in dextro oculo maculam albuginis habebat, amplo pectore, prolixa barba. Ferunt, hunc ob nimium coitum hydropisis morbum contraxisse, quo periit.	anni 5 dies 271	anni 231 dies 348	anni 5 dies 117	anni 6338 dies 341
	Giafar Almoruachelo pater Alfadli Giafari filii Abi-isaaci inauguratus est Sarmanræ ea die qua obiit frater ejus Alvateko, die sabathi vigesima-quarta Dialhagia, & interfectus est die Mercurii tertia Scevali. Siquidem Almontansero fi-				

Numerus.	NOMINA ET HISTORIÆ Calipharum Habbasidarum.	Anni Caliphatus.	Summa annorum Lunarium	Reductio eorum in Solares.	Summa annorum Mundi.
XXXI.	lius ejus misit pueros suos per portam Ripæ, qui ingressi interfecerunt eum in domo sua, & in frusta conciderunt. Acciderunt in ejus Caliphatu terribiles terræ motus Cumæ, & in ejus suburbiis, adeo ut numerus eorum, qui ædificiorum ruinis interierunt, ascenderit ad quadraginta millia & nonagintanovem. Idem accidit in Perside, Chorasan, Syria, & Arabia Felice, audiebanturque e turbinibus voces horrendæ, & minantes, collapsæ sunt arces, domicilia, & pontes. Item terræmotu concussa sunt Madaietum, Ballsum, Raka, Harran, Rasalhainum, Emessa, Damascus, Edessa, Tarsus, Massisa, Laodicæa. Ora vero maritima Syriæ ita concussa est, ut omnia ædificia corruerint, nec nisi pauci habitatores evaserint. Antiochiæ ex eodem terræmotu ceciderunt mille quingentæ domus, necnon ex ejusdem mœnibus nonaginta circiter turres, & mons ejus divulsus cecidit in mare, unde conciratum est mare, & ascendit ex eo fumus niger fœtidus.	anni 14 dies 275	anni 240 dies 269	anni 14 dies 122	anni 6353 dies 104
XXXII.	Almontasero Billa Abugiafar Mahometus inauguratus est Calipha ea nocte qua interfectus est parens ejus Almotuachelo, die Mercurii quarta Sceuali, & obiit in Tigri die Sabathi tertia Rabihi posterioris vigesimum-quintum agens annum. Magnis erat oculis, naso obtuso, brevi statura, candidus, quadratus, & summa præditus majstate.	⊕ dies 178	anni 247 dies 93	⊕ dies 178	anni 6353 dies 282
XXXIII.	Almostahino Billa Abulhabbaso Ahmetus inauguratus est die Lunæ quarta mensis Rabihi posterioris, & interfectus est nocte diei Lunæ ad vesperam sextæ ejusdem Rabihi posterioris, & allatum est caput ejus ad Almohrazzum.	anni 3 dies 266	anni 251 dies 204	anni 3 dies 233	anni 6355 dies 150
XXXIV.	Almohtazzo Billa Abu-abdalla Alzebiro inauguratus est Calipha Bagdadi quarta Moharrami, & invitus sese abdicavit die Lunæ tertia Ragebi. Nam ejus janitor Salehus filius Vasifi venit ad eum cum quibusdam, & cum vocarent eum, ut aperiret, respondit se potionem sumpsisse, cumque ultro urgerent, jussit, ut aliqui eorum ingrederentur, qui ingredientes traxerunt eum pedibus usque ad portam domus, & exposuerunt eum Soli, qui modo unum, modo alterum pedem attollebat, &	anni 3	anni 254	anni 3	anni 6360

Numerus.	NOMINA ÆT HISTORIÆ Calipharum Habbasidarum.	Anni Caliphatus.	Summa annorum Lunarium	Reductio eorum in Solares.	Summa annorum Mundi.
	demittebat. Illum autem colaphis cædebant; & dicebant, Depone Caliphatum, donec se abdicavit; & reliquerunt eum tribus diebus absque cibo & potu, tum intruserunt eum in caveam gypso oblinitam, & portam clauserunt, qui sequente die inventus est mortuus, dum agebat annum vigesimum-tertium.	dies 200	dies 204	dies 167	dies 315
XXXV.	Almohtadi Billa Abu-abdalla Mahometus filius Alvatechi inauguratus est vigesima-nona Ragebi, ipsique omnium primus votum dedit, & suffragium Almohtazzo. Et interfectus est die Martis decima-quarta Ragebi, traditus est enim cuidam, qui ejus testiculos conculcavit, donec mortuus est, trigesimum-septimum agens annum. Alii tradunt, illum pugione confodisse, & ex ejus bibisse sanguine.	✠ dies 344	anni 250 dies 194	✠ dies 344	anni 6361 dies 296
XXXVI.	Almohtamedo Ala-alla Abulhabbas Ahmetus inauguratus est Calipha, qua die interfectus est patruus ejus Almohtadi quarta-decima Ragebi, & defunctus est nocte diei Lunæ decimæ-nonæ Ragebi, quinquagesimum agens annum, & menses aliquos. Anno ducentesimo septuagesimo obiit Ahmetus filius Tulun.	anni 23 dies 4	anni 272 dies 198	anni 22 dies 119	anni 6384 dies 49
XXXVII.	Almohtadhedo Billa Abul-habbas inauguratus est Calipha Bagdadi, qua die defunctus est patruus ejus Almohtamedo undecima Ragebi, & obiit Bagdadi die Lunæ vigesima tertia mensis Rabihi prioris. Ferunt quidam, eum veneno sublatum esse agentem quadragesimumsextum annum.	anni 9 dies 269	anni 283 dies 212	anni 6 dies 271	anni 6393 dies 220
XXXVIII.	Almoctafi Billa Abu-mahometus inauguratus est Calipha, qua die defunctus est parens ejus vigesima-prima Rabihi posterioris, & defunctus est agens trigesimum & unum annum, & menses quosdam. Erat pulcher, religiosus, abhorrens a sanguinis effusione, liberalis, ac multarum divitiarum.	anni 6 dies 196	anni 294 dies 308	anni 6 dies 130	anni 6399 dies 350

Numerus.	NOMINA ET HISTORIÆ Chalipharum Habbasidarum.	Anni Caliphatus.	Summa annorum Lunarium	Reductio eorum in Solares.	Summa annorum Mundi.
XXXIX.	Almoctadero Billa Abulfadari Giafar inauguratus est Calipha Bagdadi, qua die defunctus est frater ejus Almoctafi decima-tertia Dilkadabis sese abdicavit, & postea restitutus est. Tandem interfecit illum quidam ex militibus Munesi Almodfari, & attulit caput ejus ad ipsum Munesum: fuitque id die Mercurii vigesima-septima Scevali, dum ille agebat annum trigesimum-octavum, unum mensem, & quinque dies.	anni 24 dies 340	anni 319 dies 293	anni 24 dies 79	anni 6424 dies 64
XL.	Alkahero Billa Abu-mansur Mahometus Calipha inauguratus est Bagdadi die Jovis vigesima-octava Scevali, tum depositus est, & oculis orbatus die Mercurii sexta Giamadi prioris, & defunctus est postquam eleemosynam petiit ad portam Templi, dicebatque hominibus: Ego eram Princeps vester heri, hodie vero sum ex pauperibus vestris, vosque rogo, ut mihi eleemosynam erogetis. Dedit autem ipsi Benabimusa Hascemensis mille drachmas. Ejus tempore defunctus est Hothmanus filius Hassani in Ægypto anno trecentesimo vigesimo-primo. Captus quoque est Ahmetus ejus nepos filius Almoctafi, & positus in quadam domo, quæ gypso occlusa est, ubi fuit suffocatus. Eodem anno obiit mater Almoctadri. Alkahero enim cum pecuniam ab ea peteret, & illa non indicaret ipsi nisi centum & triginta denariorum millia, eam percussit, multisque afflixit tormentis, & suspendit capite in terram demisso, ita ut urina ejus totum corpus perfunderet. Quæ ei dicebat: Nonne mater tua sum, & his suppliciis me afficis? & post hæc mortua est.	anni 1 dies 185	anni 321 dies 124	anni 1 dies 174	anni 6425 dies 238
XLI.	Alradi Billa Abul-habbas inauguratus est die Mercurii sexta Giamadi prioris, qua die depositus est patruus ejus Alkahero. Et defunctus est hydropisis morbo nocte sabathi decima-sexta Rabihi prioris annum agens trigesimum secundum, & aliquos menses. Erat autem munificus, liberalis, poeta disertissimus, & eloquentissimus rhetor, plurimumque delectabatur conversatione doctorum virorum, eorumque familiaritate, ac multis virtutibus præditus erat.	anni 6 dies 306	anni 328 dies 75	anni 6 dies 240	anni 6432 dies 113

Numerus.	NOMINA ET HISTORIÆ Chalipharum Habbasidarum.	Anni Caliphatus.	Summa annorum Lunarium	Reductio eorum in Solares.	Summa annorum Mundi.
XLII.	Almottaki Billa Abu-isaac Abrahimus filius Almoctaderi inaugurarus est Calipha, qua die obiir frater ejus Alradi, nempe die Mercurii vigesima mensis Rabihi prioris. Tum deposuit illum Tuzun die Sabathi vigesima mensis Safari, & orbavit oculis, vixirque posthac viginti quatuor annis, & mortuus est.	anni 3 dies 330	anni 332 dies 50	anni 3 dies 297	anni 6436 dies 45
XLIII.	Almostacsi Billa Abul-casemus Abdalla Calipha inauguratus est, qua die Caliphatu sese abdicavit patruus ejus Almottaki, nempe vigesima Safari. Tum deposuit illum Moazzadaula filius Buja, quod hoc modo factum est. Ingressus ad illum aliquando Moazzadaula, & procidens in terram manus ejus osculatus est, tum posita sede sedit, accesseruntque ex suis viri duo Dilamitæ, & manus extenderunt ad Almostacsium, qui manus illis porrexit, existimans eos velle manus suas osculari. illi vero accepta manu traxerunt illum ex sua sede, & imposita sindone collo, conduxerunt illum peditem ad domum Moazzadaulæ, ubi oculis orbatus est, & vinculis constrictus, domus vero Caliphatus deprædara est, ut nihil penitus in ea remanserit.	anni 1 dies 120	anni 333 dies 170	anni 1 dies 107	anni 6437 dies 154
XLIV.	Almotiho Lilla Abul-habbas inaugutatus est Calipha ea die qua depositus est patruus ejus Almostaesi, nempe vigesima-secunda Giamadi posterioris. Tum sponte sese abdicavit, tradiditque Caliphatum filio suo Abd-olcarimo, cognominavitque illum Altaicho Lilla. Ejus tempore mortuus est Abu-bacrus Ahscidus dominus Ægypti, & suffectus est ipsi Cafur Ahscidus.	anni 29 dies 138	anni 362 dies 308	anni 28 dies 188	anni 6465 dies 342
XLV.	Altajeho Lilla Abubacrus Abdolcarimo filius Almotibi Calipha inauguratus est ea die qua pater ejus Almotiho sese Caliphatu abdicavit, nempe die Mercurii decima-tertia Dialkada. Tum deposuit illum Bahaiadaula filius Buja, & vinculis obstrinxit, ac domum Caliphatus depopulatus est die Sabathi decima-nona Sciabani, unamque ejus aurium amputavit.	anni 17 dies 272	anni 380 dies 226	anni 17 dies 86	anni 6483 dies 63

Numerus.	NOMINA ET HISTORIÆ *Calipharum Habbasidarum.*	Anni Caliphatus.	Summa annorum Lunarium	Reductio eorum in Solares.	Summa annorum Mundi.
XLVI.	Alkadero Billa Abul-habbas Ahmetus inauguratus est vigesima-prima Seiabani, obiitque undecima Dialhagia. Erat valde religiosus, justissimus, eleemosynis erogandis deditissimus, & grati animi nota insignis.	anni 41 dies 110	anni 421 dies 336	anni 40 dies 29	anni 6523 dies 92
XLVII.	Alkaiemo Beamralla Abugiafar Abd-alla Calipha inauguratus est, qua die obiit parens ejus Alkadero, nempe undecima mensis Dialhagiæ; & defunctus est decima-tertia Sciabani. Deposuerat enim illum Basasirus, & oravit Bagdadi pro Almostansero domino Ægypti, & cessatum est orari pro Habbasidis integro anno, cum restitutus est Calipharui Alkaiemo, & oratum est pro Habbasidis. Et ingressus est Basasirus Bagdadum cum vexillis Ægyptiacis, & oratum est iterum Almostanseri domini Ægypti nomine. Deinde prehendit Basasitus Principem Principum, & vinculis constrinxit illum, mutavitque vestimenta, & publice circumduci per Bagdadum jussit, pone eum existente quodam, qui verberibus illum impelleret. Deinde indutus fuit pelli Tauri recenti, cornibus ejus capiti impositis, & suspensus maxilla ad uncos, donec mortuus est. Et asportavit inde infinitas propemodum divitias; & cessatum est iterum orari nomine Habbasidarum integro anno.	anni 44 dies 138	anni 466 dies 220	anni 43 dies 125	anni 6566 dies 217
XLVIII.	Almoktadi Beamr-alla Abul-casemus filius Aldochira inauguratus est Calipha qua die obiit avus ejus Alkaiemo, & defunctus est decima-quinta Moharrami, trigesimum-octavum annum & aliquos agens menses.	anni 19 dies 149	anni 486 dies 15	anni 18 dies 307	anni 6585 dies 159
	Almostadhero Billa Abul-habbas Ahmetus inauguratus est Calipha qua die obiit parens ejus, nempe decima-quinta Moharrami. Ejus tempore Joppen gladio obtinuerunt Franci, & pactionibus pacis Arsofam, subjugaruntque majorem partem regionis maritimæ. Anno quadringentesimo nonagesimo-quinto obsidione & vallis circumdederunt Franci Tripolim, & oppresserunt magnopere. In cujus auxilium eo accurrerunt exercitus Damasci, Emessæ, & Aleppi; sed victoria tandem cessit Francis, & in turpissimam fugam	anni 25	anni 115	anni 24	anni 6609

Numerus	NOMINA ET HISTORIÆ Calipharum Habbasidarum.	Anni ejus Caliphatus.	Summa annorum Lunarium	Reductio eorum in Solares.	Summa annorum Mundi.
XLIX.	converſi ſunt Moslemani, & urbem pactionibus pacis ceperunt Franci, poſt obſidionem ſeptem annorum. Poſt hæc Antiochia egreſſi profecti ſunt Jeroſolymam, quam facile ceperunt, incluſeruntque omnes Judæos Jeroſolymæ in quadam ſynagoga, & igne incenderunt eos, occideruntque ex Moslemanis pluſquam ſeptuaginta millia hominum. Inter cætera ſpolia reperunt clibanum argenteum quadraginta libris Damaſcenis pendentem, & viginti lampades aureas. Ejus autem tenuerunt Imperium uſque ad Saladinum, nempe nonaginta & uno anno. Poſt expugnatam Tripolim, quæ erat magna urbs, ingenſque Moslemanorum eam colebat numerus, atque doctorum virorum, Accam ſive Ptolemaidem obſederunt claſſi circiter nonaginta navium terra marique. Gentis Rex erat Balduinus Dominus Jeroſolymæ, & gladio ceperunt eam. Ejus gubernator erat tunc Zahradaula filius Gaiuſci, qui timore perculſus fugit. Poſt hæc ceperunt quoque ipſi Franci Betytum & Sidonem, poſt vehementiſſimam obſidionem, ac magno terrore eſſe cœperunt in tota Syria, & omnibus regionibus maritimis. Deinde expugnaverunt Tyrum, & ſuæ ditioni addiderunt. Alii tradunt ejus gubernatorem, qui Ab-dalmalecho dicebatur, eam Francis vendidiſſe. Tum obtinuerunt vi ab Iſmaelitis Banajas. Omnia hæc geſta ſunt in Caliphatu Almoſtadheri Billa.	anni 25 dies 97	anni 511 dies 112	anni 24 dies 190	anni 6609 dies 349
L.	Almoſtarſedo Billa Abulfadlo filius Almoſtadheri Calipha inauguratus eſt poſt mortem parentis ejus, vigeſima tertia Rabihi prioris, in quem impetum facientes Bataniтæ interfecerunt illum die Jovis decima-ſeptima Dialkadæ, quadrageſimum-quintum annum, & aliquos agentem menſes. Ejus tempore obſederunt Franci Aleppum, ſocium habentes Saifadaula Dobais filius Sadkæ, cumque jamjam eam eſſent capturi, accidit paulo poſt meridiem ingens aquarum alluvies, quæ Francorum corripuit tentoria, & ingentem ſubmerſit numerum, ac bonorum magnam vim devaſtavit. Eadem die, nocte ingruente, Aleppum appulit Ak Sankar Barſakæus, & expulit inde Francos, imperiumque obtinuit urbis, & reverſus eſt Azazum, quem eo perſequentes Franci, inde expulerunt, & fuderunt exercitum, magna ſuorum accepta ſtrage.	anni 17 dies 202	anni 528 dies 314	anni 17 dies 17	anni 6627 ⊕

Numerus.	NOMINA ET HISTORIÆ Calipharum Habbasidarum.	Anni Caliphatus.	Summa annorum Lunarium.	Reductio eorum in Solares.	Summa Annorum Mundi.
LI.	Alaseedus Billa Abu-giafar Almansur filius Almostarseedi Calipha inauguratus est Bagdadi, vigesima Dialkadæ, quem Calipharu deposuit Sultanus Mashudus decima-quarta Dialkadæ, fugirque propterea Mausulum, & habiravit ibi, interfectusque est demum Asphahani a Batanitis.	✠ dies 352	anni 527 dies 311	✠ dies 352	anni 6627 dies 352
LII.	Almoktasi Beamr-alla filius Almostadheri inauguratus est Calipha qua die depositus est nepos ejus Alrasedus Dialkada, defunctusque est prima Rabihi prioris. Iste majestatem Caliphis Habbasidarum restituit, & Sultanorum ab illis removit auctoritatem & potentiam. Tempore Almoktasi accidit ingens terræmotus, qui tredecim evertit urbes, nempe Hemat, Aleppum, Moarram, Scizar, Casartab, Apamæam, Emessam, Talatabum, Arcem Cordæorum, Orpham, Laodicæam, Tripolim, Antiochiam, sed vehementior fuit Hemat, ubi ingens numerus sub ruinis periit, & nonnisi pauci evaserunt.	anni 24 dies 105	anni 554 dies 61	anni 23 dies 207	anni 6651 dies 196
LIII.	Almostangedo Billa Abul-motdaffaro inauguratus est Calipha secunda Rabihi prioris, una post obitum sui patentis Almotaki die. Ejus tempore fuit terræmotus ille magnus, qui dictus est terræ motus Aleppi, fertur enim periisse sub ruinis quindecim millia hominum. Ejus quoque tempore initium habuit Imperium Ajubitarum, nempe anno 558. Eodem anno invaserunt Franci Ægyptum, ceperuntque urbem Balbaisum, & quotquot in ea invenerunt, peremerunt gladio. Inde profecti sunt Alcairum cum numerosissimo exercitu; quamobrem eorum timore perculsus Sciaur ipsum Alcairum igne incendit. Quo facto, legatos misit ad eorum Regem, pacem petens, pro qua decies centena millia denariorum offerebat, cui acquievit, recessitque inde. Hoc etiam anno Ægypti regnum occupavit Saladinus, habebatque a consiliis judicem Alfadelum. Is occidit ex Nigritis quinquaginta millia, & eorum regionem igne consumpsit. Anno autem 565. Damiatam invaserunt Franci, sed post quinquagesimum unum diem obsessionis, recesserunt ab illa.	anni 11 dies 27	anni 565 dies 88	anni 10 dies 273	anni 6662 dies 104

Numerus.	NOMINA ET HISTORIÆ Calipharum Habbasidarum.	Anni Caliphatus.	Summa annorum Lunarium	Reductio eorum in Solares.	Summa annorum Mundi.
LIV.	Almostadi Benur-alla Abu-mahometus Alhasanus inauguratus est Calipha qua die obiit parens ejus, ex ejusdem testamento mense Rabihi prioris, & defunctus est initio Dialkadæ. Primordiis ejus Imperii finem habuit regnum Fatemitarum, nempe eorum qui erant ex prosapia Ali in Ægypto, quorum postremus fuit Aladhedus, & initium habuit in Ægypto Imperium Habbasidarum, postquam inde exularunt plusquam ducentis annis. Et occupavit Saladinus Regiam, potitusque est omnium facultatum ac thesaurorum, qui in ea erant, quorum numerus & pretium vix exprimi possit. Cepit quoque filios Aladhedi, & uxores, & vinculis obstrinxit, ac in uno inclusit loco. Damascum post hæc profectus est, & obtinuit eam: expugnavit etiam Emessam, Hemat, Balbech, & pactionibus sese dedit Aleppus. Anno 572. excitavit mœnia Alcairi, jussitque extrui arcem montis Almoktami. Ædificavit quoque monumentum Sciaphahi. Post annum commissum fuit celebre illud certamen Ramalæ ad flumen Talasafiam.	anni 9 dies 208	anni 574 dies 276	anni 9 dies 109	anni 6671 dies 243
LV.	Alnassero Ladin-alla Abulhabbas inauguratus est Calipha Bagdadi qua die obiit parens ejus Almostadi, prima Dialkadæ; & defunctus est nocte festi Azymorum, septuagesimum agens annum. Ejus tempore erumpere cœperunt Tartari.	anni 46 dies 324	anni 621 dies 266	anni 45 dies 189	anni 6727 dies 37
LVI.	Aldahero Beamr-alla Abunassero inauguratus est Calipha qua die obiit Alnassero parens ejus, ex ejusdem testamento: In vincula autem illum conjecerat, e quibus eum liberavit moriturus. Et defunctus est quarta-decima Ragebi quinquagesimum agens annum.	✠ ✠	anni 622 ✠	✠ ✠	anni 6727 ✠
LVII.	Almostansero Billa Abugiafar inauguratus est Calipha qua die obiit parens ejus Aldahero vigesimum agens annum.	✠ ✠	✠ ✠	✠ ✠	✠ ✠
LVIII.	Caliphatus Almostaasami Billa. Anno sexcentesimo quinquagesimo-sexto, decima-octava Moharrami invaserunt Tartari urbem Bagdadum, & obsederunt eam, ceperuntque die Lunæ duodecima Safari, quæ respondet tertiæ Amsciri, anno martyrum nongentesimo septuagesimo-quarto, occideruntque universum exercitum, ac cives urbis, nec evaserunt ex illis nisi perpauci.	✠ ✠	anni 655 dies 42	✠ ✠	anni 6749 dies 152

DE CALIPHIS ÆGYPTI, SIVE FATEMITIS.

Numerus.	NOMINA ET HISTORIÆ Calipharum Fatemitarum.	Anni Caliphatus.	Summa annorum Lunarium	Reductio eorum in Solares.	Summa annorum Mundi.
I.	Caliphatus Almohdi Abu-mahometi Abd-allæ cœpit anno ducentesimo nonagesimo-octavo Salgiamasæ in provincia Cyrinensi, quæ est in Occidente, ubi princeps fidelium salutatus est die Lunæ septima Dialhagiæ. Extruxitque Almohdiam, & eam incoluit. Deinde Africæ occupavit regnum, necnon Siciliam, & provincias Occidentis. Ægyptum peragratus quoque est sub mercatoris habitu, tum reversus in Occidentem, tenuitque Imperium usque ad annum 322. quo obiit decima Rabihi prioris.	anni 25 dies 92	anni 321 dies 69	anni 24 dies 184	anni 6425 dies 183
II.	Alkajemo Beamr-alla Abulcasemus Mahometus filius Almohdi Dominus Cairavani inauguratus est post obitum patris sui Almohdiæ ex testamento decima Rabihi prioris, & defunctus est in Occidente die Dominico 13. Scevali.	anni 11 dies 210	anni 333 dies 279	anni 12 dies 99	anni 6437 dies 262
III.	Almansuro Billa Abu-dahero Ismael filius Mahometi, filii Almohdi, inauguratus est post obitum patris sui die Lunæ decima-quarta Scevali, defunctusque est die Veneris ultima Scevali anno 341. annum agens 37. Natus autem est Al mohdiæ.	anni 7 dies 16	anni 340 dies 295	anni 6 dies 305	anni 6444 dies 202
IV.	Almoezzo Ladin-alla Abutamimo Maado filius Ismaelis Almansuri, filii Mahometi, filii Almohdi, inauguratus est Calipha die obitus parentis sui in Occidente, nempe die Veneris. Suos exercitus misit ex Africa in Ægyptum præfecto duce Giauhar ejus puero, die Dominica vigesima-quarta mensis Rabihi prioris, anno trecentesimo quinquagesimo octavo. Et ingressus est Giauhar cum exercitu suo Cairum die Martis decima-septima Sciabani, & oratum	anni 23	anni 364	anni 22	anni 6467

Numerus.	NOMINA ET HISTORIÆ Calipharum Fatemitarum.	Anni Caliphatus.	Summa annorum Lunarium	Reductio eorum in Solares.	Summa Annorum Mundi.
	est nomine Almoezzi, remota oratione nomine Habbasidarum. Is excitavit palatium Caliphatus Cairi, jussitque suis, ut unusquisque sibi domum Cairi extrueret, & stabilitum est ibi regnum ejus, obiitque Cairi undecima Rabihi prioris anno trecentesimo sexagesimo-quinto, quadragesimum-quintum cum dimidio natus annum, fœdus Imperii relinquens filio suo Almansuto Nazaro.	dies 152	dies 92	dies 266	dies 103
V.	Alazizo Billa Abul-mansuto Nazaro filius Almoezzi Calipha inauguratus est qua die obiit parens ejus, nempe die Veneris tertia Rabihi posterioris, & defunctus est die Martis vigesima-tertia Ramdani in balneo Balbaisi, quadragesimum-secundum annum & aliquos agens menses. Inter cætera quæ de justitia Almoezzi parentis Alazizi referuntur, hoc unum est. Uxor Alascidi, eorum cadente Imperio, deposuerat apud Judæum quemdam muliebrem vestitum unionibus ac variis distinctum gemmis, cujus (cum post aliquod tempus periisset eum a Judæo, & ille reddere noluisset) obtulit ipsi manicam, qui abnuit; illa vero tantum addidit illi, ut tandem obtulisset ei totum vestitum, contenta sola manica: sed Judæus ille totum abnegavit. Quamobrem veniens ad palatium, ingrediendi permissionem petiit, quæ cum ipsi concessa esset, ingressa controversiam cum Judæo exposuit. Quem cum Princeps accersisset, & ille neque sponte, neque immanibus suppliciis fateri voluisset; misit quosdam, qui vestitum in domo Judæi quærerent, quem in muro absconditum invenerunt. Hunc videns Almoezzo, ejus pulchritudine obstupuit, tradiditque illum mulieri. Quæ, ut ipsum acciperet, aut muneris nomine, aut pretio rogavit, qui nequaquam voluit. Quæ dixit ei: Domine mi, hic vestitus mihi conveniebat dum eram domina Ægypti, at in hoc statu minime convenit: tamen noluit illum accipere. Quamobrem illa assumpto vestitu abiit.	anni 21 dies 172	anni 385 dies 264	anni 20 dies 308	anni 6488 dies 46

Numerus.	NOMINA ET HISTORIÆ *Calipharum Fatemitarum.*	Anni Caliphatus.	Summa annorum Lunarium	Reductio eorum in Solares.	Summa Annorum Mundi.
IV.	Alhacemo Beamt-alla Abuali filius Almansuti, filii Nazari inauguratus est Calipha die qua obiit parens ejus nempe die Mattis vigesima-octava mensis Ramdani, anno trecentesimo octuagesimo-sexto, dum agebat annum decimum, sex menses, & sex dies. Egressus aliquando ex Palatio, amplius non est reversus, quia fuit interfectus. Causa autem ejus necis hæc fuit. Misit aliquando ad sororem suam Sctalmoch, dicens: Tu admittis viros ad te propter hoc, & hoc. Quæ præcepit cuidam Principum, ut duos ex suis mitteret ad montem Almoctabum, qui ibi insidias illi tenderent. Qui cum eo noctu ascendisset cum quodam puero equite, interfecerunt illum, vestigia necis abscondentes. Cadaver vero ad sororem secreto attulerunt, quod in domo sua sepelivit. Quæ Principes post hoc coegit in Palatio, & regnum filio ejus constituit, interfecitque omnes, quibus suum arcanum aperuerat. Trigesimum-sextum annum, & aliquos menses habebat, cum interfectus est. Erat autem pessimis moribus, demens, insanæ mentis, ac in negotiis peragendis nimium inconstans. Nam negotia quædam summo imperio urgebat aliquando, & paulo post contraria penitus præcipiebat. Noctu per urbis plateas circuibat, & loca publica ad cognoscendum gregis & populorum statum. Constituit prætetea vetulas quasdam, quæ domos ingrediebantur, & quæ venabantur, ad illum referebant. Occidit mulieres quamplurimas, quas occlusit in balneis, & calore ac fœtoribus interfecit. Eo pervenit illius Tyrannis contra populos & oppressio, ut nulla ejus majestatis habita ratione, obsignatas offerrent illi schedulas conviciis plenas. Ex papyro compegerunt aliquando simulachrum mulieris, calceamentis & velis ornatum, collocaveruntque illud in via schedulam obsignatam manu habens, quæ convitia turpissima contra illum continebat. Quo cum pertransiisset Alhachemo, eamque vidisset tamquam schedulam illam sibi porrigentem, ipsam accepit: & cum legisset, ægerrime id tulit: quamobrem ut caperetur, jussit, sed ex compacta papyro esse reperit. Tunc Cairum igni incendi præcepit, & interfici quotquot in ea erant. Et incensa est quarta pars Cairi, & dimidia prædæ data, ac captæ mulieres vendebantur. Ægyptii vero pro se ac suis fortiter pu-	anni 25 dies 31	anni 410 dies 295	anni 24 dies 124	anni 6512 dies 170

Numerus.	NOMINA ET HISTORIÆ *Calipharum Fatemitarum.*	Anni Caliphatus.	Summa annorum Lunarium	Reductio eorum in Solares.	Summa annorum Mundi.
	gnabant, itaut milites ea incenderent loca, quæ domini rueri non poterant. Ille autem, ut abstinerent a te hujusmodi palam jubebat, clam vero hortabatur servos, & milites, ac armis instruebat, urgebatque ut institutum prosequerentur. Tunc cives Cairi invadere decreverunt Palatium Regium, Quare timens Alhachemo conscendit suum asinum, & profectus est ad servos, & milites, eosque avertit ab incendio. Stulta autem plebs, ac dementes credebant Alhachemum fuisse Deum, ac propterea exclamabant ante illum: *O noster creator! o vivificans! o mortificans!* Christianos, & Judæos summopere afflixit, eorum destruxit Ecclesias, Præsules occidit, & subdidit suppliciis, itaut ingens eorum numerus Moslemanam religionem amplexari coactus fit: sed pœnitentia facti correptus, permisit illis, ut ad suam revertcrentur religionem, suasque instaurarent Ecclesias. Ferunt eum dixisse aliquando suo concionatori: *Quot sunt in tua lancea?* Qui respondit: sexdecim millia hominum, qui credunt te esse Deum. Egressus autem est contra Alhachemum quidam ex Omayris de filiis Hascemi nomine Alvelido, & multa commissa sunt bella inter illum & Alhachemum, cui tandem victoria cessit, captumque Alvelidum publice circumduci jussit per urbem Cairum, tum interfici				
V.	Aldahero Leazazi Din-alla-Abul-hasan Ali filius Alhachemi inauguratus est Calipha, cum interfectus est Alhachemo pater ejus die Martis ultima Scevali, anno 411. annos agens sexdecim, & menses aliquos, defunctusque est Cairi 15. Sciabani anno 427. & suæ ætatis 31. cum aliquibus mensibus.	anni 15 dies 282	anni 427 dies 222	anni 15 dies 119	anni 6527 dies 289
VI.	Almostansaro Billa Abu-tanim Maado filius Daheri, filii Alhachemi inauguratus est Calipha Cairi qua die obiit parens ejus Aldahero, die scilicet Dominica decima-quinta Sciabani anno 427. obiitque nocte diei Jovis decima-octava Dialhagiæ anno 487. Ejus tempore Bagdadum ingressus est Basasiræus cum Ægyptiacis vexillis, in quibus scriptum erat: *Alamamo Almostansaro Abutamim Maado.* Et oratum est nomine Almostansari tam in Delubro Almansuri Bagdadi, quam in reliquis aliis Delubris, & cessatum est orari pro Habbasidis. Et captus est Calipha Bagdadi, ac vinculis constrictus est Anæ.	anni 60 dies 121	anni 486 dies 343	anni 58 dies 198	anni 6586 dies 122

Numerus.	*NOMINA ET HISTORIÆ Calipharum Fatemitarum.*	*Anni Caliphatus.*	*Summa annorum Lunarium.*	*Reductio eorum in Solares.*	*Summa annorum Mundi.*
IX.	Almostaali Billa Abul-casemus Ahmetus filius Almostansari, filii Alhachemi inauguratus est qua die obiit parens ejus Almostansaro decima-nona Dialhagiæ, anno quadringentesimo octua-gesimo-septimo, ejusque ætatis decimo-quinto, & mensibus undecim. Defunctusque est decima-septima Safari, anno quadringentesimo nonage-simo-quinto. Ejus tempore Joppem gladio ex-pugnaverunt Franci, & Arsufam receperunt pa-ctionibus, subjugaruntque majorem partem re-gionis maritimæ.	anni 7 dies 59	anni 494 dies 47	anni 6 dies 349	anni 6593 dies 104
X.	Alamero Beahcam-illa Abuali Mansuro filius Almostaali inauguratus est Calipha qua die o-biit parens ejus Almostaali decima-septima Sa-fari, anno quadringentesimo nonagesimo-quin-to. Regni summam administrabat pro illo A-lafdalo dux exercituum. Interfectus autem est in vico Sajusin Cairi in throno Pontis. Princeps eo-rum, qui illum interfecerunt, erat servus quidam Armenus, & eo interfecto Cairi imperium obti-nuit servus ille Armenus, qui divitias thesauro-rum distribuit exercitibus. At quidam rem hu-jusmodi minime approbantes ab illo defecerunt ad ducem exercituum Alafdalum, rogaruntque il-lum, ut expugnato Armeno Imperium suscipe-ret Cairi, suam operam ipsi pollicitantes. Qui Cairum veniens arctissime illud obsedit, expugna-vitque tandem, ac prædam tribus diebus per-misit militibus, & captum Armenum interfecit. Quo facto regnum sibi obtinuit, præfecitque ex-ercitibus, & rebus administrandis virum quem-dam nomine Almamun filium Batajahi, qui pri-ma ætate coquinariam exercuerat, visusque est puer aquam aspergens Cairi inter utrumque pa-latium.	anni 29 dies 251	anni 523 dies 298	anni 28 dies 301	anni 6622 dies 40
XI.	Alhafedo Ladin-alla Abulmaimun filius Almo-staali inauguratus est cum conditione expectandi puerum, qui in utero erat materno, decima-tertia Dialkadæ, anno quingentesimo vigesimo-quatto: tum inauguratus est inauguratione univer-sali decima-quinta Moharrami, anno quingentesi-mo vigesimo-quinto. Rerum summam administra-bat apud illum Ahmetus filius Alafdali dux exer-cituum, qui post aliquod tempus cepit Alhafe-dum, & vinculis constrinxit, inclusitque in car-	anni 19 dies 209	anni 543 dies 153	anni 19 dies 2	anni 6641 dies 42

Numerus.	NOMINA ET HISTORIÆ Calipharum Fatemitarum.	Anni Caliphatus.	Summa annorum Lunarium	Reductio eorum in Solares.	Summa Annorum Mundi.
	cere, ubi detentus fuit usque ad necem Alafdali filii Alafdali Ducis exercituum, quæ contigit Cairi die Martis decima-sexta Moharrami, anno quingentesimo vigesimo-sexto. Interfectus autem est, & ejus amputatum caput a pueris Principum, quod inferentes in Palatium eduxerunt Alhafedum e carcere, & Caliphatui restituerunt. Et defunctus est nocte diei Dominicæ, quinta Giamadi posterioris, anno quingentesimo quadragesimo-quarto.				
XII.	Aldafeto Beamr-alla Abulmansuro filius Alhafedi inauguratus est Calipha qua die obiit patens ejus, nempe die Dominica quinta Giamadi posterioris, anno quingentesimo quadragesimo quarto. Et interfecerunt illum Abbasus filius Tamimi, & filius ejus Nazaro, & necis absconditerunt vestigia, factumque id est nocte diei Jovis ultima Moharrami, anno quingentesimo quadragesimo nono. Quod cum perlatum esset ad domesticos ejus, scripserunt Talajaho filio Razili, qui tunc in Ægypto superiori erat, miseruntque ad illum capillos mulierum. Qui Talajahus, assumptis nigris vestimentis, ingentem coegit exercitum, & Cairum petiit sollicitantibus, & auxilia promittentibus Principibus Cairi, ut sanguinem Caliphæ vendicarent. Quod audiens Habbasus, & filius ejus Nazaro, fuga sibi consuluerunt, suis cum facultatibus, quæ ingentes erant nimis. Sed adorientes eos Franci interfecerunt Habbasum, & Nazarum captivum duxerunt.	anni 4 dies 232	anni 548 dies 30	anni 4 dies 188	anni 6645 dies 230
XIII.	Alfajezo Benasr-alla Abulcasemus filius Aldaferi inauguratus est Calipha qua die interfectus est pater ejus Aldafero, die Jovis ultima Moharrami, anno quingentesimo quadragesimo-quinto, agens annum ætatis quartum, & dies decem. Advenientem autem Talajahum filium Razili Cairum, constituerunt cives Præfectum Regni, & cognominatus est Rex Salehus, & confirmatæ sunt res ejus, operamque navavit regimini Imperii. Tum misit ad Francos petens Nazarum filium Habbasi, pro quo ingentem auri summam promisit ipsis, qui illum tradiderunt legato ejus, quem inclusum ferrea cavea adduxit Cairum, tradiditque illum Rex Salehu mulieribus, quæ multis sequentibus diebus calopodiis,	anni 6	anni 554	anni 6	anni 6651

Numerus.	NOMINA ET HISTORIÆ *Caliypharum Fatemitarum.*	*Anni Caliphatus.*	*Summa annorum Lunarium*	*Reductio eorum in Solares.*	*Summa Annorum Mundi.*
	& calceis illum percusserunt, necnon carnes ejus abscindentes ipsi comedendas præbebant. Deinde somnum ipsi impedierunt, donec mortuus est. Quo facto, patibulo illum affixerunt ad portam Zovailam, postea igne incenderunt. Rex autem Salchus regnum Alfajezi diu rexit. Interca scripsit Calipha Almoktafi Regi Alhadelo filio Zanchi, ipsi præcipiens, ut in Ægyptum proficisceretur, eamque occuparet, scripto ipsi promittens administrationem Syriæ, Ægypti, & regionis maritimæ. Eodem anno recuperavit exercitus Ægypti Gazam, expulsis Francis. Eodem quoque contigit terræmotus ille magnus, qui dicitur terræmotus Hemat.	dies 164	dies 194	dies 98	dies 328
XIV.	Alhadedo Ladin-alla Abu-mahomerus filius Alhafedi inauguratus est Calipha die qua obiit filius patrui sui Alfaiczo, nempe decima-septima mensis Ragebi, anno quingentesimo quinquagesimo-quinto, undecimum agens annum, uxoremque duxit filiam Regis Salehi, filii Razili ducis exercituum. Qui Rex Salehus ita Imperii rerum summam usurpavit, ut nihil Caliphæ præter nomen nudum relictum fuerit. Ægypti superioris administrationem dedit Sciauro Arabi. Hoc anno interfectus est Rex Salehus filius Razili, quod stipendia militum, & ministrorum Palatii diminuisset. Ideoque conjuratione facta, impetum in illum fecerunt septem servi, illumque trucidarunt. Eo occiso idem officium collatum est filio ejus, cognominatusque est Rex Alhadelo, sive Justus. Confirmato regno, justitiam egregie populis administravit, amovitque Sciaurum sua provincia, & ad se illum accersivit. Qui sibi timens Arabum coegit exercitum, & accepto ab illis juramento, contendit Cairum. Quod percipiens Alhadelo filius Razili, fuga sibi consuluit; sed captus tandem, & catenis vinctus, Sciauro oblatus est. Qui Sciaurus Cairum ingressus Alhadedum salutatum adivit, quem ille multis ornatum muneribus exercitibus suis præfecit, cognominavitque illum Principem exercituum. Confirmatus in regno Sciaurus stipendia militum diminuit, hinc multi cum Dargamo conjuratione facta illum invaserunt. Sed mature sibi consulens manus eorum evasit, profectusque est ad Nuraddinum, & aperuit illi arcana Ægypti, ejusque rerum in-	anni 22	anni 588	anni 21	anni 6684

firmam

Numerus.	NOMINA ET HISTORIÆ Calipharum Fatemitarum.	Anni Caliphatus.	Summæ annorum Lunarium.	Reductio eorum in Solares.	Summa Annorum Mundi.
XV.	firmum ſtatum, & ejus expugnationem ad ſe recepit. Reverſuſque eſt Dargam in Ægyptum, poſtquam Sciaurum expulit, quem Alhadedus muneribus honoratum ſuis exercitibus præfecit, & cognominavit illum regem Almanſuro, id eſt, victorem. Nuraddinus autem magnum coegit exercitum Regi Alhadelo, & præfecto ipſi Rege Almanſuro filio Scircuæ, miſit illum ad expugnandam Ægyptum, una cum Sciauro. Quod audiens Dargam in fugam ſe dedit, ſed a militibus Sciauri comprehenſus, & occiſus eſt. Alhadedus vero Sciaurum ſuæ dignitati reſtituit, qui cum hoc obtinuiſſet, deſeivit a Nuraddino; at ille implorata, ac obtenta Francorum ope, Alexandriam ſubjugavit, eique impoſuit tributum. Anno 564. irruptionem fecerunt Franci in Ægyptum, & pervenerunt uſque Balbaiſum, & expugnaverunt illud. Deinde Cairum profecti ſunt, obſederuntque illud, quod igne combuſſit Sciaurus, timens ne caperetur a Francis. Poſt hæc miſit Sciaurus ad Regem Francorum pacem petens, offerenſque pro illa decies centena millia denariorum, qui ipſi acquievit: at ille centum tantum millia ſolvit, reliquorum vero ſolutionem variis excuſationibus differebat. Alhadedus vero caput Sciauri amputari juſſit. Anno quingenteſimo ſexageſimo ſeptimo ocavit Rex Naſerus Saladinus Joſeph filius Aijub in Ægypto nomine Principis fidelium Almoſtadi, ex familia Habbaſidarum prima Mohattami, adhuc vivente Alhadedo. Et defunctus eſt Alhadedus decima Mohatrami, & fuit ultimus Calipha Ægypti; & reſtitutum eſt Imperium Ægypti Habbaſidis, poſtquam illud amiſerant pluſquam ducentorum annorum ſpatio. Et occupavit Rex Naſerus palarium Caliphatus, potituſque eſt omnium facultatum, & theſaurorum, qui in eo erant, qui ſane magni, & omnem narrationem excedentes & pretium erant. Cepit quoque filios Alhadedi, & uxores ejus, ac in carcere detinuit in ipſo palatio, ut nullum poſthac eorum apparuerit veſtigium, aut memoria.	dies 47	dies 57	dies 173	dies 287

DE CALIPHIS AIJUBITIS.

Numerus.	NOMINA ET HISTORIÆ Calipharum Aijubitarum.	Anni Caliphatus.	Summa annorum Lunarium	Reductio eorum in Solares.	Summa annorum Mundi.
1	Rex Alnasero Saladinus Joseph filius Principis Nagem-addini Aijub, filii Sadi obtinuit Regnum Ægypti die qua defunctus est Alhadedo decima Moharrami, anno quingentesimo sexagesimo-septimo. Et defunctus est Carachi die Mercurii vigesima-septima Safari, anno quingentesimo octuagesimo-nono, annum natus quinquagesimum-sextum, & aliquot menses. Anno quingentesimo septuagesimo-sexto Damascum profectus est, eamque occupavit, nemine resistente. Inde petiit Emessam, cujus arcem expugnare non potuit: quamobrem Hemat contendit, expugnavitque illam. Quo facto Emessam reversus cepit illam post obstinatissimam pugnam. Inde Bealbecum perrexit, & expugnavit: tum arcem Bazin post diuturnam obsidionem obtinuit, expugnavit quoque Monbegium. Anno quingentesimo septuagesimo-secundo mœnia Cairi excitari jussit, initiumque sumptum est ab arce. Anno quingentesimo septuagesimo-tertio fuit prælium Ramalæ. Inde profectus est Ascalonem, ubi ingentem numerum Francorum captivos duxit, & multam cepit prædam, reversusque est in Ægyptum. Anno quingentesimo septuagesimo-quinto commisit bellum in pratis fontium cum Francis, qui ipsi occurrerant cum decem millibus peditum, & equitum mille, quos vicit multis captivis ductis. Anno quingentesimo septuagesimo-septimo misit fratrem suum Tohait-addinum in Arabiam Felicem, quam expugnavit. Anno quingentesimo septuagesimo-nono profectus est Baisan, & Tiberiadem, multaque commisit cum Francis prælia. Tum Edessam expugnavit, Rakam, Nisibem, Sangiarum, Ametum, Aleppum, & Miafarakin. Anno quingentesimo octuagesimo-tertio prælium iterum cum Francis Saphuriæ commisit, eosque fudit, & ingentem captivorum duxit numerum. Eodem anno Tiberiadem expugnavit. Eodem fuit prælium illud Hattini, ubi salva manu cepit eos, & captivum duxit Regem Ludovicum & fratrem ejus Hasrium, Dominum Giobaili, Hacrium, & Principem, necnon Dominum Carachi,	anni 22	anni 588	anni 21	anni 6684

Numerus.	NOMINA ET HISTORIÆ Calipharum Aijubitarum.	Anni Caliphatus.	Summa annorum Lunarium	Reductio eorum in Solares.	Summa Annorum Mundi.
	nomine Arnatum, quem ſua manu interfecit, cepitque ab illis Lignum Crucis: quod prælium commiſſum eſt die Sabbati, & nonniſi pauci ex Francis evaſerunt. Poſt hæc Accam expugnavit, necnon Magdalum, Caiſam, Joppem, Nazareth, Saphuriam, Cæſaræam, & Neapolim, & immenſam propemodum prædam reportavit. Deinde obtinuit conditionibus pacis Beryrum, Sidonem, Tabiinam, Giobailum, & Aſcalonem. Inde profectus eſt Jeroſolymam, & obſidione cinxit illam die Dominica, erantque in ea ſexaginta millia pugnatorum: ſed tandem conditionibus pacis capit eam, indictis ſingulis viris Francis decem denariis, & ſingulis mulieribus quinque, parvulis vero ſingulis duobus; poſtquam Imperium Jeroſolymæ tenuerunt Franci nonaginta & uno anno. Tum Tyrum obſedit, ſed loci fortiſſimi difficultas ſpem omnem ipſi ademit, ideoque inde receſſit. Expugnavit quoque Hunain, & Antaraſum, & omnes gladio peremit ejus cives. Giabalam conditionibus pacis obtinuit, quemadmodum Laodicæam, arcem Carachi, Sciubecam, & Caucabam. Anno quingenteſimo octuageſimo-ſeptimo Accam iterum occuparunt Franci, poſt crudeliſſimum bellum, inde profecti ſunt Aſcalonem, quamobrem timens Saladinus, eam demolitus eſt, & mœnia Jeruſalem munivit, & altius excitavit. Anno quingenteſimo octuageſimo-nono mortuus eſt Rex Alnaſero Saladinus, & ſuffectus eſt ipſi in regno filius ejus Alafdalo Nur-addinus.	dies 47	dies 57	dies 173	dies 187
II.	Rex Alazizus Amad-addinus Hotmanus filius Joſephi, filii Aijubi Regnum Ægypti obtinuit die qua mortuus eſt pater ejus, nempe Mercurii vigeſima-ſeptima Safari, anno quingenteſimo octuageſimo-nono. Egreſſus aliquando ad Fajum venatum cecidit ex equo, & relatus Cairum, ibi defunctus eſt nocte diei Dominicæ 21. Moharrami anno 594.	anni 4. dies 317	anni 593 dies 21	anni 4 dies 275	anni 6689 dies 97
III.	Rex Almanſuro Mahometus filius Hormani, filii Joſephi, filii Aijub ſedit in throno regni Ægypti qua die defunctus eſt parens ejus, nempe 21. Moharrami anno quingenteſimo nonageſimo quarto, quo Cairum appulit patruus ejus Rex Alafdalus Nur-addinus Ali filius Saladini, regnoque ita potitus eſt, ut nihil remaneret Regi Almanſuro niſi nudum nomen.	✠ dies 46	anni 593 dies 67	✠ dies 46	anni 6689 dies 143

Numerus	NOMINA ET HISTORIÆ Calipharum Aijubitarum.	Anni Caliphatus.	Summa annorum	Reductio eorum in Lunarium Solares.	Summa Annorum Mundi.
IV.	Rex Alafdalo Nur-addinus Ali filius Regis Alnafdri Saladini Josephi, filii Aijub, cum Cairum pervenit, Imperium obtulerunt ei Principes, & fidem juramento confirmarunt. Qui paulo post Damascum invasit, cinxitque obsidione, eam defendente Rege Alhadelo, cui auxilium tulit suis exercitibus Rex Alcamelus Mahometus, & Afdalum Regem inde expulit, persecutusque est eum Rex Alhadelus per singulas stationes, donec ambo exercitus sibi occurrerunt Sajahæ, fususque est exercitus Regis Alafdali, qui fuga se contulit ad Barcam, ubi octo diebus moratus est, deinde Cairum ingressus decima-septima mensis Rabihi posterioris anno 596.	anni 2 dies 38	anni 595 dies 105	anni 2 dies 16	anni 6691 dies 159
V.	Rex Alhadelus Abu-bacrus filius Aijub, filii Scitcuæ, ingressus est Cairum, & obtinuit Imperium Ægypti, Syriæ, ac subjectarum ipsis provinciarum decima-septima Rabihi posterioris, anno quingentesimo nonagesimo-sexto; & defunctus est in expugnatione latronum prope Damascum, sexta Giamadi posterioris, anno sexcentesimo decimo-quinto, annum agens septuagesimum-tertium, & aliquot menses; Damasci ejus nomine rerum administrabat summam filius ejus Hisa. Anno sexcentesimo decimo-tertio fuit irruptio Tartarorum, qui colebant planitiem Sinarum conterminam, quæ dicitur Haginmagin, qui robore aucti provincias Moslemanorum infinita multitudine aggressi sunt, & totam occuparunt provinciam Haracam.	anni 19 dies 49	anni 614 dies 154	anni 18 dies 207	anni 6710 dies 1
VI.	Rex Alcamelus Mahometus filius Regis Alhadeli Abubacri regno Ægypti est potitus qua die obiit parens ejus, sexta Giamadi posterioris, anno sexcentesimo decimo-quinto. Quo anno aggressi sunt Franci, adhuc vivente Rege Alhadelo, Damiatam, & castrametati sunt ex parte Gizæ tribus mensibus, & quatuor diebus, terra marique prementes illam. Ad quos expugnandos egressus est Rex Alcamelus, & castra metatus est ex alia parte Damiatæ e regione ipsorum, Nilo utrumque exercitum dirimente. At Franci magis magisque urbem urgebant: quod videns Rex Alcamelus inde cum suis noctu se recepit Asmum. Sequente die Moslemanorum tentoria de-	anni 20	anni 634	anni 19	anni 6429

Numerus.	NOMINA ET HISTORIÆ Caliphatum Aijubitarum.	Anni Caliphatus.	Summa annorum Lunarium.	Reductio eorum in Solares.	Summa annorum Mundi.
	populati sunt Franci, & Damiatam cominus aggressi sunt. Cumque vidissent se multum temporis in ea obsidione consumpsisse, & jam defecisse, annonam, & pestem plurimum attulisse damni, postremos conatus experiri decreverunt, adeoque brevi expugnaveruntillam, atque potiti sunt, civesque omnes duxerunt captivos: quod actum est die Martis vigesima-quinta Sciabani anno sexcentesimo decimosexto, post obsidionem sexdecim mensium, & viginti-duorum dierum. Expugnata a Francis Damiata, se contulit Rex Alcamelus ad Giaugiarum, extruxitque ibi urbem, & Almansuram nuncupavit; & egressi sunt Franci, & obsederunt Regem Almansuræ, cum esset inter utrumque exercitum flumen Asmumi. Tunc ruptis a Rege Alcamelo rivorum Nili retinaculis aquarum alluvione undequaque Francos oppressit, submersitque multos. Cumque fuga sese Damiatam recipere voluissent, minime potuerunt, hostium exercitu vias occludente. Quamobrem securitatem, & pacem sibi a Rege petierunt, qui cum hac conditione ipsis concessit, ut Damiatam scilicet redderent Moslemanis, & confirmatæ sunt inter eos induciæ per octennium. Itaque Damiatam Franci tenuerunt sexdecim menses, & dies viginti-quatuor. Anno sexcentesimo vigesimo-quarto defunctus est Rex Almoaddamo Hisa. Anno vero sexcentesimo vigesimo-quinto Accam appulit Imperator cum omnibus Francis, & pacis conditionibus cepit Jerosolymam. Eodem anno Rex Alascirafo dono obtinuit Damascum a Rege Alcamelo.	dies 45	dies 599	dies 593	dies 594
VII.	Rex Alhadelus Abu-bacrus filius Regis Alcameli Mahometi, filii Regis Alhadeli regno potitus est qua die obiit parens ejus, scilicet die Mercurii vigesimaprima mensis Ragebi, anno sexcentesimo trigesimo-quinto. Hunc ceperunt, & in carcerem detruserunt Sciabl-addaula Cafurus, & Sciamsc-alachavas Masrurus, ac Safius Giauhar Nubiensis servi patris ejus, ac reliqui ministri extra Balbaisum die Veneris nona mensis Scevali, anno sexcentesimo trigesimo-septimo, miseruntque ad fratrem ejus Salehum Nagem-addinum Aijub, qui veniens regni suscepit gubernacula, & Cairum ingressus in carcerem intrusit	anni 2	anni 636	anni 2	anni 6731

Numerus.	**NOMINA ET HISTORIÆ** *Calipharum Aijubitarum.*	*Anni Caliphatus.*	*Summa annorum Lunarium*	*Reductio eorum in Solares.*	*Summa annorum Mundi.*
	Regem Alhadelum, & post aliquot dies Carachum duci jussit, ut ibi in carcere detineretur. Sed cum ille obstinato animo renueret, misit ad illum Mohsanum servum cum aliis decem, qui verberibus illum pessime acceperunt, tum suffocatum, mortuumque inde eduxerunt, & sepelierunt.	dies 78	✠	dies 55	✠
VIII.	Rex Salehus Nagem-addinus Aijub filius Regis Alcameli Mahometi regnum obtinuit die Veneris vigesima-octava Scevali, anno sexcentesimo trigesimo-septimo, & defunctus est nocte diei Jovis decima-octava Sciabani, anno sexcentesimo quadragesimo-septimo Mansuræ, quo tempore erat Rex Francorum Damiatæ. Siquidem cum suis exercitibus Damiatam appulit, & castrametatus est in Giza die Veneris vigesima-prima Safari ejusdem anni, & occupavit Damiatam die Dominica, secunda obsessionis die, ibique moratus est usque ad obitum Regis Salehi. Die vero ejus mortis egressus est Rex Francorum Damiata cum suis exercitibus, & castrametatus est e regione Mansuræ, & ibi mansit.	anni 9 dies 302	anni 646 dies 225	anni 9 dies 205	anni 6741 dies 205
IX.	Alamirus Fachr-addinus filius Sciachi constitutus fuit a Rege Saleho ante suum obitum dux exercitus, ipsique commendavit filium suum Regem Almohaddamum, qui exercitum rexit donec interfectus est a Francis die Martis quinta Dialkadæ, anno sexcentesimo trigesimo-septimo, post septuagesimum-quintum diem suæ administrationis. Quandoquidem Franci vadum fluminis Asmuni transfretaverunt, & aggressi sunt Giadilam, erantque mille quadringenti equites, quibus præerat frater Regis Francorum. Qui per varias urbis domos dispersi, & prædæ intenti interfecti sunt pene usque ad ultimum, & capita eorum allata sunt Cairum, & lanceis imposita ad portam Zuailæ, remansitque regnum absque rectore tredecim diebus.	✠ dies 75	✠ ✠	✠ ✠	anni 6741 anni 6741
X.	Rex Almoaddamo Gaiiat-addinus Tarancsiah filius Regis Salehi Aijub regno primum potitus est in Ægypto die Martis decima-nona Dialkadæ anno 647. Die autem Mercurii tertia Moharrami an-	✠	anni 647	✠	anni 6741

Numerus.	NOMINA ET HISTORIÆ Caliipharum Aijubitarum.	Anni Caliphatus.	Summa annorum Lunarium	Reductio eorum in Solares.	Summa Annorum Mundi.
	ni fexcentefimi quadragefimi-octavi reverfus eft Rex Francorum ab obfidione Manfuræ Damiatam petens, quem fequutus eft exercitus Moslemanorum, & captivos ceperunt plures ex Principibus ejus regni, occideruntque ex ejus exercitu plufquam triginta millia, & eorum bona depopulati funt. Non multo autem poft interfectus eft Almoaddamo Taranfciah, interfecerunt quippe illum Mamaluchi, & in frufta concidentes igne combufferunt, projeceruntque illum in flumen Manfuræ die Martis poftrema Moharrami, anno fexcentefimo quadragefimo-octavo.	dies 71	dies 30	dies 71	dies 248
XI.	Sciagiar-addor, cognomento Mater Chalili Salehita, præftito juramento conftituta eft Regina a Mamaluchis, Occidentalibus Principibus, & palatii Miniftris, quæ Amirum Azz-addinum Atbeeum Tutcmanum ducem præfecit exercitui die Martis ultima Moharrami, anno fexcentefimo quadragefimo-octavo. Eo tempore initum eft fœdus pacis inter Principes Salehitas, Mamaluchos, & Regem Francorum qui Damiatam reddens Moslemanis, die Veneris, ac libertate donatus eft poftquam Damiatam, & Manfuram trecentis triginta tenuit diebus. Regina vero regno fefe abdicavit, tradiditque illud Amiro Azz-addino Tutcmano die Sabbati vigefima-nona menfis Rabihi prioris ejufdem anni, & folum regni tenuit fceptrum octoginta-feptem diebus.	✠ ✠	✠ ✠	✠ ✠	✠ ✠
XII.	Rex Almohezzo Azz-addinus Atbecus Tutcmanus Salehita, cum regno potitus effet Ægypti, uxorem duxit Sciagiar-addor matrem Chalili die Sabbati 29. Rabihi pofterioris, anno 648. Regnum autem adminiftrabat nomine Regis Afciarafi filii Regis Almashudi, qui tunc annum agebat fextum. Poft hæc interfectus eft Rex Azzadinus in balneo Arcis montis; interfecit illum mater Chalili ejus uxor, opem ipfi ferentibus Nafaro Azizzo, & Mofano Giaugiaræo fervis, die Mercurii 25. Rabihi prioris anno 655. Mater vero Chalili Calipodiorum ictibus interfecta, ex arcis mœnibus dejecta eft; fervi vero illi fub eadem arce clavis affixi funt. Tunc regni adminiftrationem fufcepit Sahebus Tagi-addinus Abdalvahabo, tum officio amotus eft a Fajezo, oblatis centum millibus aureorum, ad levandam plebem vexatione.	✠	✠	✠	✠

Numerus.	NOMINA ET HISTORIÆ Calipharum Arabitarum.	Anni Caliphatus.	Summa annorum Lunarium	Reductio eorum in Solares.	Summa annorum Mundi.
XIII.	Rex Almansuro Nur-addinus Ali filius Regis Almohezzi Atbeci Principum consensu regnum obtinuit die Jovis 26. Rabihi prioris, anno 655. Et captus est eo anno Sciarf-addinus Faizensensis Alvazirus, & direpta domus ejus, ac omnia bona, demumque post magna supplicia, & assationes suffocatus est, & projectus in abyssum Halfæ, & suffectus est loco ejus Judex Judicum Badr-addinus, quo deposito suffectus est Assahebo Tagi-addinus Abd-alvahabo filius filiæ Judicis Alaazzi, qui justitiam & æquitatem exercuit, omni tyrannide procul amota.	✠	✠	✠	✠

HISTO-

H I S T O R I A
PATRIARCHARUM
COPHTITARUM
ALEXANDRIÆ.

INCIPIMUS ope Dei fcribere nomina Patriarcharum Cophtitarum Ægypti, fedis urbis Alexandriæ a Marco Evangelifta Apoftolo ufque ad hoc tempus noftrum, nempe annum nongentefimum quinquagefimum-quintum Martyrum, qui refpondet anno fexcentefimo quinquagefimo-feptimo Hegiræ: notabimufque fimul fpatium temporis, quo finguli Patriarcharum tenuerunt, & qua obierunt die, necnon compendium eventus rerum, quæ eorum tempore evenerunt.

Tempore itaque difpenfationis Domini Jefu-Chrifti, poft ejus afcenfionem ad cælos, divifæ funt Provinciæ inter Apoftolos, in quibus facrofanctum prædicarent Evangelium; ceciditque in fortem Marci Evangelistæ, ut pergeret in Ægyptum, Alexandriam, Pentapolim occidentalem, Æthyopiam, & Nubiam. Itaque Roma egreffus Marcus Pentapolim petiit primum, annuntiavitque in omnibus ejus provinciis, multa edens miracula: nam leprofos mundavit, ejecit dæmones, & ægrotos fanavit, quapropter multi per illum crediderunt, & baptizati funt. Poft hæc dixit ei Spiritus Sanctus: Surge, abi Alexandriam, ut femen bonum ibi femines, quæ funt verba Dei. Surrexit igitur Difcipulus Chrifti, & Spiritu roboratus, ait: Domine, confirma fratres, qui noverunt nomen tuum fanctum, donec revertar ad eos. Et profectus eft ad urbem Alexandriam anno feptimo Imperii Neronis. Eo per januam urbis ingreffo rupta eft corrigia calceamenti ejus, qui ait: Nunc novi Dominum iter meum præparaffe. Tum vidit futorem, ad quem divertit, ut aptaret calceamentum fuum. Qui cum acccepiffet calceamentum, ut illud fueret, & fubulam, ut illud perforaret, perforavit palmam fuam: tunc dixit futor: *Unus eft Deus*. Audiens autem Sanctus Marcus, eum Dei nomen commemorantem, gavifus eft, & dixit: Domine mi, facilem ac planam redde viam meam. Quo dicto, confpuit fuper terram, & accipiens ex ea, impofuit manui futoris, & ait: In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti fanetur hac hora manus tua, o homo; & ftatim fanata eft ejus manus, quafi nihil ipfi contigiffet. Quod admiratus futor, rogavit Sanctum Marcum, ut fecum in domum fuam abiret, ad comedendum aliquid, & pa- cum quietis capiendum. Duxitque illum in domum fuam, quam ingrediens benedixit, oravit, & comedit: tum adhortatus eft illum Sanctus, & credidit ipfe cum tota domo fua, & vicinis, eratque nomen ejus Anianus. Multiplicato credentium in Chriftum numero, conftituit Sanctus Anianum Epifcopum Alexandriæ, & cum eo tres Presbyteros, & Diaconos feptem. Quo facto egreffus eft inde, & abiit in Pentapolim, ubi manfit biennio, annuncians, & confecrans ipfis Sacerdotes. Tum Alexandriam reverfus eft, inveniтque fratrum creviffe numerum, & in fide confirmatum, quibus addens animos, ab illis receffit. Anno a Domini noftri Jefu-Chrifti ad cælos afcenfione trigefimo-quinto, adfuit Marcus martyrio duorum Apoftolorum Petri & Pauli, & iterum Alexandriam reverfus eft. Refcientes autem Pagani ejus

adventum (jampridem enim illum observabant) diligentissime de illo disquisiverunt. Die itaque Dominica solemnitatis gloriosi Paschatis, quod eo anno accidit vigesima-nona Barmudæ, dum Sanctus Marcus sacro-sanctam celebrabat in Ecclesia Missam, ceperunt illum, & foras eduxerunt, injectoque collo fune, per urbem raptarunt a mane usque ad vesperam, dicebantque: Trahite hircum in mandra boum: concidebaturque caro ejus, & viarum lapidibus adhærebat, sanguis vero super terram effundebatur. Nocte ingruente detruserunt eum in carcerem, factoque mane eduxerunt, & eodem modo quo hesterna die tractarunt, donec reddidit spiritum, & coronam consequutus est martyrii, postrema Barmudæ Ægyptiorum, quæ est vigesima-quarta Nisan mensis Hebræorum, anno Incarnationis Dominicæ sexagesimo-septimo, & septimo mense cum dimidio.

Numerus.	*NOMINA ET HISTORIÆ Patriarcharum Alexandriæ.*	*Tempus Patriarchatus.*	*Summa annorum Incarnat. divinæ.*	*Nomina Imperatorum.*	*Summa annorum Mundi.*
I.	Marcus Evangelista, cujus Historia præcedente pagina enarrata est, & quomodo martyrii coronam est consequutus anno sexagesimo-septimo, & mensibus quibusdam ab ascensione divina.	anni 7 ✻	anni 67 dies 230	Galba Cæsar.	anni 5567 dies 230
II.	Anianus. Hunc ordinavit Sanctus Marcus Evangelista, & est sutor ille, qui aptavit ejus calceamenta. Obiit die Dominica vigesima Haturi; sedem tenuit post D. Marcum Apostolum annis octodecim, & ducentis sexdecim diebus.	anni 18 dies 216	anni 86 dies 80	Vespasianus Cæsar.	anni 5586 dies 80
III.	Melianus. Scriptum est in vitis Patriarcharum: Assumpserunt hominem nomine Melianum, & ordinaverunt eum Patriarcham super sede Marci; crevitque numerus fidelium in Ægypto, Pentapoli, & Africa, fuitque Ecclesia tempore in pace. Obiit autem die Lunæ prima Tuti, vacavitque sedes tribus annis absque Patriarcha, quoniam eo tempore contigit destructio Jerosolymorum.	anni 12 dies 286	anni 99 dies 1	Titus Cæsar filius ejus.	anni 5599 dies 1
IV.	Cerdo constitutus est primo anno Imperii Trajani, & defunctus die Sabbati undecima Bunæ. Erat autem continens, humilis, ac mansuetus tota vita sua.	anni 10 dies 280	anni 109 dies 281	Domitianus Cæsar.	anni 5609 dies 281
V.	Aprimus constitutus est Patriarcha, obiitque die Dominica tertia Mosri.	anni 12 dies 52	anni 124 dies 333	Aurelianus Cæsar.	anni 5624 dies 333

Numerus.	*NOMINA ET HISTORIÆ Patriarcharum Alexandriæ.*	*Tempus Patriarchatus.*	*Summa annorum Incarnat. divinæ.*	*Nomina Imperatorum.*	*Summa Annorum Mundi.*
VI.	Justus ordinatus est, obiitque die Sabbati duodecima Bunæ: erat autem placens Deo.	anni 10 dies 315	anni 135 dies 283	Antoninus Cæsar, & Commodus Cæsar.	anni 5635 dies 283
VII.	Eumenius ordinatus est, & obiit die Dominica decima Babæ. Ejus tempore martyrio coronata est sancta Sophia cum tribus filiis.	anni 10 dies 122	anni 146 dies 40	Pertinax Cæsar, & Julianus Cæsar.	anni 5646 dies 40
VIII.	Marcianus admirabilis fuit vitæ, & virtutum: novem annis, & mensibus tribus tenuit sedem: tum defunctus est die Dominica sexta Tubæ, sub Antonino imperatore.	anni 9 dies 86	anni 155 dies 126	Severus Cæsar, & filius ejus Antoninus Cæsar.	anni 5655 dies 126
IX.	Claudianus erat populo nimis dilectus: sedem tenuit annos quatuordecim, & mensibus sex, defunctusque est die Jovis nona Abibi.	anni 14 dies 183	anni 169 dies 309	Macrinus Cæsar. Antoninus Cæsar.	anni 5669 dies 309
X.	Agrippinus defunctus est die Veneris quinta Amsciri.	anni 11 dies 211	anni 181 dies 155	Alexander Cæsar. Maximinus Cæsar.	anni 5681 dies 155
XI.	Julianus. Post hunc nullus Episcopus manere potuit Alexandriæ, sed clam exibant, & constituebant Sacerdotes omni in loco. Huic Patriarchæ nocte, qua moriturus erat, apparuit Angelus Domini, & dixit: Qui ingredietur ad te racemum afferens uvæ, ipse Patriarcha erit post te. Erat autem eo tempore vir quidam uxoratus nomine Demetrius, qui dum hyeme suam putabat vineam, reperit uvæ racemum casu relictum, qui dixit apud se: Offeram hunc racemum Patriarchæ Juliano. Populus vero totus Patriarchæ morituro aderat, dixeruntque illi: Pater noster, quis super nos post te Patriarcha futurus est? Quibus respondit: Qui afferet mihi ra-	anni 10	anni 191	Pupienus Cæsar, & Gordianus Cæsar.	anni 5691

Numerus.	NOMINA ET HISTORIÆ Patriarcharum Alexandriæ.	Tempus Patriarchatus.	Summa annorum Incarnat. divinæ.	Nomina Imperatorum.	Summa Annorum Mundi.
	cemum uvæ. Dixit populus: Ubi invenietur uva hyeme? Patriarcha morbo oppreſſus neſcit quid dicit. Iterum tamen interrogaverunt illum, dicentes: Pater noſter, quis nos reget poſt te? Quibus reſpondit: Jam dixi vobis, Qui afferet mihi racemum uvæ, ipſe erit Patriarcha veſter. Dum autem hæc loquebatur, ecce Demetrius offert ipſi uvam, quem ſtatim tenuerunt.	dies 33	dies 188		dies 188
XII.	Demetrius. Et eſt ille, qui obtulit racemum uvæ Patri Juliano Patriarchæ ante obitum ejus, & de quo Patriarcha dixerat populo: Hic eſt Patriarcha veſter, quemadmodum præcepit mihi heſterna nocte Angelus Dei. Quem autem tenentes vinculis ferreis obſtrinxerunt, quod fugam pararet, & ordinaverunt Patriarcham. Populus autem lætabatur in eo dicens: Jam duodecim ſunt a D. Marco Patriarchæ, omnes cœlibes præter iſtum, admirabanturque. Huic cognoſcendorum hominum peccatorum gratiam conceſſit Deus, qui ſecreto eos reprehendebat: & quidem plures fidelium à perpetrandis peccatis abſtinuerunt metuentes, ne illos etiam palam coram populo argueret. Quidam autem dicebant: Cum vir iſte ſit matrimonio copulatus, quomodo nos reprehendit, præſertim cum hactenus nonniſi virgo ſuper hoc ſederit throno? Quadam autem nocte apparuit illi Angelus Domini, & ait: Demetri, ne tuam cures ſalutem, & proximi negligas; memento quod dixit Dominus in Evangelio: Paſtor bonus commutat animam ſuam pro ovibus ſuis. Reſpondit Patriarcha Angelo: Aperi mihi rem Domine mi. Ait illi: Arcanum, quod inter te, & uxorem tuam eſt, populo manifeſta. Cum igitur ſequens adeſſet dies, quæ ſolemnitas erat feriæ quintæ majoris, & ſacro-ſanctam celebraret Patriarcha Miſſam, dixit Archidiacono, ut Sacerdotibus, & populo indiceret, ne ab Eccleſia egrederentur, ſed ad ejus convenirent thronum. Qui cum conveniſſent, multa ligna afferri, & ignem accendi juſſit. Tunc uxorem coram univerſo populo accerſivit, & ad flagrantem accedens ignem, ait illi: Expande pallium tuum laneum, quo induta es; quod cum feciſſet illa, effudit ſuper il-	anni 32	anni 224	Philippus Cæſar.	anni 5724

Numerus.	NOMINA ET HISTORIE Patriarcharum Alexandriæ.	Tempus Patriarchatus.	Summa annorum Incarnat. divinæ.	Nomina Imperatorum.	Summa annorum Mundi.
	lud ardentes prunas, & dixit: Surgite, oremus, & igni, qui erat in pallio uxoris una cum Sacerdotibus omnibus thus imposuit, atque ipsi: Circuito Ecclesiam, & universum suffito populum. Deinde conversus ad populum dixit: Ne miremini, aut obstupescatis: quicumque enim superat ignem naturæ, superari non potest ab hoc igne sensibili. Jam nunc sexagesimumtertium ago annum, hæc vero uxor mea, quæ coram vobis est, patrui mei filia est, quam parens defunctus puellulam reliquit, & in una eademque domo educati sumus; adultam autem tradidit mihi parens meus in uxorem. Cum vero post nuptias soli secessimus, dixit mihi: Ego tecum ut soror tua educata sum, quomodo nunc in uxorem ducis me? Nunc vero quadraginta octo jam elapsi sunt anni, ex quo eam duxi, simulque in eodem lecto, eodemque strato dormivimus; nihilominus (ut sapientissimus scit Deus) non novi illam, neque illa me in ulla re mundana. Dormientes autem speciem aquilæ videbamus, quæ nobis suis alis incumbebat, regebatque illam ala sinistra, me vero ala dextra usque ad mane, & evanescebat. Nec existimetis, me hæc vobis aperuisse propter gloriam ullam mundanam, sed quoniam ita mihi præcepit, qui vult omnes homines salvos fieri, & ad cognitionem veritatis accedere, Christus Servator. Quibus dictis, quievit ipse cum uxore sua. Sanctus iste Patriarcha sacerdotio amoverat quemdam nomine Origenem, qui astu presbyterium obtinuerat ab Episcopo Cæsareæ Palæstinæ, quare reversum Alexandriam noluit recipere Pater Demetrius, quoniam hæreticus erat.	dies 219	dies 42	Decius Cæsar.	dies 42
XIII.	Hieroclas primus fuit, qui Papa cognominatus est. Ejus tempore martyrio coronati sunt Sancti Sergius, Bacchus, & Barbara. Defunctus autem est die Lunæ octava Chihac, & vacavit sedes anno uno.	anni 16 dies 56	anni 240 dies 98	Valerianus Cæsar.	anni 5740 dies 98
	Dionysius. Hic erat Sabaita sapientissimus, & ex gentis primoribus ac optimatibus. Causa vero ejus ad fidem conversionis fuit lectio Episto-				

Numerus.	NOMINA ET HISTORIÆ Patriarcharum Alexandriæ.	Tempus Patriarchatus.	Summa annorum Incarnat. divinæ.	Nomina Imperatorum.	Summa annorum Mundi.
XIV.	larum Pauli, his enim lectis Demetrio ſeſe ſiſtit, qui comiter illum excipiens Baptiſmatis aqua luſtravit. Defuncto autem Demetrio, præfecit illum Hieroclas judiciis, ac ſibi vicarium ob inſignem ejus ſapientiam & ingenium conſtituit. Ejus tempore fuit Paulus Samoſatenus. Martyrii quoque coronam ſub eo conſequutus eſt Mercurius, imperante Decio Romæ. Eodem etiam tempore obdormierunt in ſpecu ſeptem illi nobiles juvenes Epheſini, & plures martyrio coronati ſunt.	anni 19 dies 281	anni 261 dies 13	Claudius Cæſar.	anni 5761 dies 13
XV.	Maximus. Ejus tempore fuit Manes, cujus pellem detraxerunt Perſæ, & projecerunt illum feris, ac quotquot in ejus juraverant ſententiam capite inverſo in terra ſepelierunt, donec mortui ſunt. Fuit autem ſedes vacans poſt illum anno uno abſque Patriarcha. Ille vero obiit die Dominica quarta decima Barmudæ.	anni 12 dies 211	anni 273 dies 224	Aurelianus Cæſar.	anni 5773 dies 224
	Annus unus, quo Sedes vacavit, addatur Summæ.				anni 5774 dies 224
XVI.	Theonas Patriarcha. Ejus tempore martyrii laureolam conſequuti ſunt Coſmas, Damianus, fratres eorum, ac mater. Sub eo quoque fuit Diocletianus Imperator perfidus. Obiit autem Patriarcha iſte die Mercurii octava Tubæ.	anni 9 dies 263	anni 284 dies 122	Probus Cæſar.	anni 5784 ✠
XVII.	Petrus Ieromartyr præfectus eſt anno decimo Imperii Diocletiani, qui anno vigeſimo ſui Imperii amputari juſſit caput iſtius Sancti Patris Patriarchæ, & martyrium conſequutus eſt. Hic eſt, cui Antiochena illa mulier filios ſuos adduxit, ut eos baptizaret, coercevitque aqua baptiſmalis, ut minime illos Patriarcha baptizare potuerit. Qua de re diligenter diſquiſivit a matre ipſorum cauſam, quæ ait illi: Mare concitatum eſt tempeſtatibus, & jam jam naufragii periculum nobis aderat, tunc eductis uberibus conſignavi eos ſanguine, & aqua maris baptizavi. Ait illi Patriarcha: Bene baptizati ſunt fide tua. Ipſe quoque Arium communione privavit juſſu Dei. Ejus autem martyrium contigit die Veneris vigeſima-nona Haturi.	anni 10 dies 333	anni 295 dies 89	Diocletianus Cæſar perfidus.	anni 5795 dies 89

Numerus.	NOMINA ET HISTORIÆ Patriarcharum Alexandriæ.	Tempus Patriarchatus.	Summa annorum Incarnat. divinæ.	Nomina Imperatorum.	Summa Annorum Mundi.
XVIII.	Archelaus suffectus est die Sabbati, sedemque tenuit sex mensibus tantum. Causa autem ejus mortis fuit, quod Arium susceperit imprudenter; ideoque occidit illum Deus, & obiit decimanona Bunæ die Martis.	✠ dies 200	anni 295 dies 289	Maximianus.	anni 5795 dies 289
XIX.	Alexander. Ejus anno decimo-quinto coadunatum est Concilium trecentorum octodecim Episcoporum in urbe Nicæna, & Arium anathemate percusserunt. Ordinaverunt etiam Symbolum. Jejunium correxerunt, & constituerunt Epactam. Affirmat Athanasius discipulus hujus Patris Patriarchæ, dicens: Pater meus Alexander, quoties Evangelium in sua cella legebat, id stans præstabat, ac lampade accensa, nec umquam Evangelium sedens legit; nec fregit umquam jejunium, quandiu sol in mundo erat. Obiit autem vigesima-secunda Barmudæ die Lunæ.	anni 22 dies 308	anni 318 dies 232	Constantinus Imperator justus, fidelis.	anni 5818 dies 232
XX.	Athanasius Apostolicus. Ejus tempore congregatum est Concilium Galatiæ, cui adfuit Basilius Magnus, & anathemate percusserunt Arium. Athanasius vero magnis conflictatus est persecutionibus, & sæpius e sua sede depulsus, sive, ut alii referunt, tribus vicibus. Ejus tempore floruit Cyrillus Hierosolymitanus, Basilius Magnus, Gregorius frater ejus, Macarius major Alexandrinus, Antonius Magnus in monte Orientali, & Pachomius in Ægypto superiori. Obiit Sanctus Patriarcha septima Beschinas die Jovis.	anni 46 dies 15	anni 364 dies 247	Constantinus minor filius Constantini.	anni 5864 dies 247
XXI.	Petrus multas pertulit tribulationes ab Arianis, qui eum persequuti sunt: quapropter fuga sibi consuluit, & post aliquod tempus ad suam sedem reversus est, & eam per annum tenuit: defunctus est vigesima-sexta Abibi die Jovis.	anni 5 dies 288	anni 370 dies 170	Julianus Apostata.	anni 5870 dies 170
	Timotheus frater Petri. Ejus tempore congregatum est secundum Concilium Constantinopoli, & suo ordine amoverunt Macedonium Sancti				

Numerus.	NOMINA ET HISTORIÆ *Patriarcharum Alexandriæ.*	*Tempus Patriarchatus.*	*Summa annorum Incarnat. divinæ.*	*Nomina Imperatorum.*	*Summa Annorum Mundi*
XXII.	Spiritus hostem, & absolverunt Symbolum fidei, dixeruntque, *Credimus in Spiritum sanctum*. Exciderunt quoqne Sabellium, qui dicebat: *Pater*, *Filius*, *Spiritus sanctus*, & Trinitatem sanctissimam unam personam esse affirmabat, particulam copulativam *&* rejiciens. Communione etiam privaverunt Apollinarem, qui dicebat: *magnus*, *major*, *& maximus*; Spiritum Sanctum *magnum* vocabat, Filium *majorem*, Patrem vero *maximum*. Obiit autem Patriarcha iste vigesima Abibi die Dominica. Concilinm vero illud congregatum est tertia die Augusti, anno sexcentesimo nonagesimo secundo Alexandri.	anni 6 dies 156	anni 376 dies 326	Valentinus & Gratianus	anni 5875 dies 326
XXIII.	Theophylus cum Epiphanio Archiepiscopo Cypri consensit, ut sanctus Joannes Chrysostomus exilio mulctaretur. Ejus tempore excitati sunt septem illi juvenes, qui in specu dormierant, post centum & quadraginta novem annos. Obiit Patriarcha iste decima-octava Babæ.	anni 27 dies 87	anni 402 dies 48	Theodosius major Imperator fidelis.	anni 5903 dies 48
XXIV.	Cyrillus major Theophili Patriarchæ ex sorore nepos, primus omnium stationes in Ecclesiis constituit, obiitque tertia Abibi die Martis. Ejus tempore floruit D. Isaac discipulus sancti Ephrem Syri, & Simeon Stylita. Ipse Concilium Ephesinum ducentorum Episcoporum congregari curavit contra Nestorium Patriarcham Constantinopolitanum, & suo amovit illum ordine, ac anathemate percussit omnes ejus sequaces.	anni 31 dies 155	anni 435 dies 303	Arcadius filius ejus fidelis.	anni 5935 dies 303
	Dioscorus Cyrilli discipulus, quocum Concilio Ephesino contra Nestorium congregato aderat, multis ac maximis ærumnis conflictarus est a Martiano Imperatore, ejusque uxore Pulcheria, & sua sede depulsus, quia acquiescere nolnit Concilio Chalcedonensi sexcentorum & triginta Episcoporum; exilio propterea amandatus est in insulam in occidente constitutam, in qua septem				

Numerus.	NOMINA ET HISTORIÆ Patriarcharum Alexandriæ.	Tempus Patriarchatus.	Summa annorum Incarnat. divinæ.	Nomina Imperatorum.	Summa annorum Mundi.
XXV.	annis moratus est, ubi obiit septima Tuti. Hujus rei causa hæc fuit. Erat Presbyter quidam Constantinopoli nomine Eutychius, qui dicebat corpus Christi esse quid subtile, & minime simile corporibus nostris, aut ipsis consubstantiale: quamobrem communione privavit illum Flavianus Patriarcha Constantinopoleos. Ille vero Theodosium Imperatorem adivit, conquestusque est apud illum, Patriarcham injuste se damnasse. Qui jussit Concilium Ephesi congregari, deque ejus disquiri causa. Congregatique sunt centum triginta Episcopi, quorum Præsides fuerunt Dioscorus Patriarcha Alexandrinus, Flavianus Patriarcha Constantinopolitanus, & Juvenalis Episcopus Jerosolymorum. Qui Eutychius veniam petiit, & palam confessus est, id imprudenter a se dictum fuisse, quamobrem eamdem cum Patribus professus est fidem, & absolutionem subdole deprecatus; quem suscipientes suo restituerunt ordini: sed non multo post ad easdem reversus est blasphemias. Hoc autem Concilium inter generalia Concilia non enumeratur. Celebratum autem est quartum hoc Concilium vigesima-quinta Octobris, anno septingentesimo sexagesimo-tertio Alexandri.	anni 14 dies 69	anni 450 dies 7	Theodosius minor.	anni 5950 dies 7
XXVI.	Timotheus post obitum Dioscori constitutus est: magnas pertulit ab hominibus contrariæ factionis tribulationes, necnon in exilium exactus est cum Anatolio fratre; sed post novennium restitutus. Obiit Alexandriæ septima Mosri die Veneris.	anni 22 dies 330	anni 472 dies 337	Martianus Chalcedonensis, maritus Pulcheriæ.	anni 5972 dies 337
XXVII.	Petrus paulo postquam suffectus est, fuit depulsus ab hominibus contrariæ factionis, & ordinatus est loco ejus Timotheus Ansus; tum Joannes Duinafades, qui constitutus est post obitum Ansi: tum reversus est Petrus ad suam sedem, & obiit quarta Haturi die Dominica.	anni 8 dies 9	anni 481 dies 62	Leo major Chalcedonensis.	anni 5981 dies 62

Numerus.	NOMINA ET HISTORIÆ *Patriarcharum Alexandriæ.*	*Tempus Patriarchatus.*	*Summa annorum Incarnat. divinæ.*	*Nomina Imperatorum.*	*Summa Annorum Mundi.*
XXVIII.	Athanasius una cum Petro Ecclesiæ Alexandrinæ serviebat : defunctus est vigesima Tuti die Martis Alexandriæ.	anni 6 dies 223	anni 488 dies 20	Leo pater Zenonis Jacobita,	anni 5988 dies 20
XXIX.	Joannes suos transegit dies in quiete, & pace, quoniam Zeno Imperator singulis annis Monachis Monasterii Abbatis Macarii omnia necessaria mittebat, ut frumentum, vinum, oleum, ac alia ejusmodi, Defunctus est hic Patriarcha quarta Bescinas, die Veneris,	anni 8 dies 224	anni 496 dies 244	Zeno Jacobita.	anni 5996 dies 244
	Vacavit Sedes uno anno, addatur Summæ.				
XXX.	Joannes Clausus, cujus tempore constitutus est super Sede Antiochena Severus, cui perpetuo scribebat, & ille respondebat de unitate fidei orthodoxæ, defunctus est vigesima-septima Bescinas, die Lunæ.	anni 21 dies 23	anni 508 dies 267	Anastasius Jacobita. Justinianus Chalcedonensis.	anni 6008 dies 267
XXXI.	Dioscorus statim atque suffectus est, scripsit ad Severum Patriarcham Antiochenum de conformitate fidei, cui eamdem se profiteri respondit. Defunctus est decima Babæ die Martis.	anni 2 dies 146	anni 528 dies 47	Justinianus Imperator.	anni 6011 dies 47
XXXII.	Timothæus. Ejus tempore defunctus est Anastasius Imperator Jacobita, & regnum post illum suscepit Justinianus Chalcedonensis, qui pro Timotheo Apollinarem substituit, totisque viribus contendit, ut omnes Christianos ad fidei Chalcedonensis Concilii reduceret decreta. Quare Concilium cogi curavit Constantinopoli, cui præsidebant Vigilius Patriarcha Romæ, Apollinarius, quem pro Timotheo suffecerat, & Eutychius Patriarcha Constantinopolitanus, Severum quoque & Orientales Episcopos accersivit, ut suæ fidei subscriberent, qui noluerunt ipsi assentiri. Quamobrem multis & gravibus afflixit Jacobitas tribulationibus, & Severum detrusit in carcerem, sed non multo post efflagitante pro illo Imperatrice, quæ ejusdem persuasionis erat, fuit dimissus. Antiochia igitur egressus cum suis Episcopis in Ægy-	anni 17	anni 545	Justinus Chalcedonensis.	anni 6028

Numerus.	NOMINA ET HISTORIÆ Patriarcharum Alexandriæ.	Tempus Patriarchatus.	Summa annorum Incarnat. divinæ.	Nomina Imperatorum.	Summa Annorum Mundi.
	ptum petrexit, & eam regionem circuibat, ab uno ad aliud monasterium se transferens, & ab una ad aliam civitatem, modo clam, modo palam homines suæ fidei confirmans. Eodem tempore ad Ægyptum pervenit Apollinaris, libellos habens de fide Concilii Chalcedonensis recipienda, quam perplures amplexati sunt, tam ex laicis, quam monachis, & præsertim monachi monasterii Sancti Macarii, septem exceptis, e quibus duos interfecit, reliqui vero evadentes effecerunt, ne reliqui monachi reciperent Tomum illum: eadem quoque præstiterunt eum populis. Occidit autem Apollinaris ex Jacobitis ducenta circiter millia virorum, mulierum, ac puerorum in ipsis Ecclesiis. Justinianus vero Imperator cum dudum laborasset ut Severum Patriarcham Antiochenum ad fidem Concilii Chalcedonensis reduceret, nec illum ullo modo ad id persuadere potuisset, ipsum e vivis auferre decrevit. Quod percipiens Theodora Imperatrix, misit ad illum, &, ut fuga sibi consuleret, ei persuasit. Qui secreto se in Ægyptum contulit, ac monachi habitu totam eam regionem circuibat, & monasteria, multorum animos in sua persuasione confirmans. Patriarcha autem Timotheus obiit decima-tertia Amsciri, die Sabbati.	dies 196	dies 163		dies 163
XXXIII.	Theodosius. Postquam is suffectus est, alium ordinavit Patriarcham, nomine Gajanum, contraria factio (qui Archidiaconus erat Alexandrinæ Ecclesiæ) in domo cujusdam Presbyteri, qui Theodorus dicebatur. Is pessimis erat moribus, qui una cum sua factione expulit Theodosium sua sede, scripseruntque ad Tiberium Imperatorem adversus Theodosium. Imperator autem uxorem habebat, nomine Theodoram, Jacobiticæ persuasionis, quæ Imperatorem enixe rogavit, ut id negotii sibi deferret; cui aequievit: Illa igitur, qui disquirerent hac de re, & quis prius suffectus esset secundum Ecclesiæ Canonem, misit. Cum itaque rescivisset Theodosium fuisse primum ordinatum, suo ordini illum restituit. Quo facto, Thedosius rogatur, ut	anni 31	anni 559	Tiberius Imperator Chalcedonensis.	anni 6059

Numerus.	NOMINA ET HISTORIÆ Patriarcharum Alexandriæ.	Tempus Patriarchatus.	Summa annorum Incarnat. divinæ.	Nomina Imperatorum.	Summa annorum Mundi.
	reciperet Gajanum, ipsumque Archidiaconatus restitueret ordini, qui acquievit, gessitque morem. Aliquanrulum post Alexandriæ Præfecto, & Patriarchæ Theodosio scripsit Imperator, ut sibi consentirent, susciperentque Chalcedonense Concilium; si vero Patriarcha id præstare renueret, e sua sede expelleretur, & quocumque ipsi libitum foret, proficisceretur. Qui statim relicta Ecclesia egressus est, ne relinqueret (ut ipse ajebat) fidem trecentorum octodecim. Imperator autem metuens, ne totus populus illum sequeretur, ad se accersitum multis honoribus, & muneribus ornavit. Quem, cum sibi acquiescere noluisset, in exilium indignatus exegit, constituitque loco ipsius Paulum Thebanum, qui ordinatus est a Patriarcha Constantinopolitano. Sed cum Alexandriam appulisset, nemo civium illum suscipere voluit, & clausæ sunt Ecclesiæ Cophtitarum. Anno ducentesimo quadragesimo octavo Diocletiani duas Ecclesias e fundamentis excitarunt Cophritæ Alexandriæ, cum Theodosius Patriarcha in exilio degeret, ubi quoque mortuus est.	dies 131	dies 298		dies 298
XXXIV.	Petrus. Ejus tempore defunctus est Imperator Chalcedonensis. Paulus vero morte pessima decessit, cujus loco constituit Imperator Apollinarem Alexandriæ Præfectum & Patriarcham, qui clausit Ecclesias, occiditque ex Jacobitis plusquam ducenta millia virorum, mulierum, & puerorum, & promulgavit fidem Melchitarum. Audientes Antiocheni cives, quid fecerint Alexandrini, assumpserunt hominem nomine Theophilum, & constituerunt Patriarcham pro Severo. Defunctus autem est Petrus Patriarcha die Jovis vigesima-quinta Bunæ.	anni 1 dies 362	anni 561 dies 295	Mauritius Imperator Chalcedonensis.	anni 6061 dies 295
	Vacavit Sedes uno anno, addatur Summæ.				
XXXV.	Damianus. Ejus tempore devastata sunt, atque desolata monasteria deserti Abbatis Macarii. Defunctus est decima-octava Bunæ, die Lunæ. Ipsius tempore Phocas Mauritium Imperatorem occidit.	anni 35 dies 358	anni 528 dies 288	Phocas Imperator Chalcedonensis	anni 6098 dies 288

Numerus.	NOMINA ET HISTORIÆ *Patriarcharum Alexandriæ.*	*Tempus Patriarchatus.*	*Summa annorum Incarnat. divinæ.*	*Nomina Imperatorum.*	*Summa Annorum Mundi.*
XXXVI.	Anastasius plures condidit Alexandriæ Ecclesias, pluresque alias, quas Mechitæ occupaverant, recuperavit. Defunctusque est vigesima-secunda Chihac, die Mercurii.	anni 12 dies 190	anni 611 dies 112	Heraclius Imperator Chalcedonensis.	anni 6111 dies 112
XXXVII.	Andronicus erat vir ditissimus, ac elargiendis eleemosynis deditissimus. Ejus tempore initium habuit Imperium Moslemanorum, anno undecimo Heraclii. Eodem anno Cosroes Rex Persarum invasit Imperium Romanorum, occupavitque Syriam, & Ægyptum. & construxit Alexandriæ palatium illud, quod hactenus dicitur palatium Persidis. Eodem tempore vixit Joannes Eleemosynarius. Obiit hic Patriarcha die Veneris, octava Tubæ.	anni 6 dies 16	anni 617 dies 128	Imperium Moslemanorum. Abubacrus Sadekus.	anni 6117 dies 128
XXXVIII.	Beniamin. Illius tempore occuparunt Persæ Ægyptum, illamque tenuerunt annis decem. Heraclius vero Phocam Imperatorem occidit, & occupato Imperio totus sese dedit Persis expellendis, quos demum fudit, & eorum vastavit regiones, ac recuperatæ Ægypto præfecit Cyrum Patriarcham & Gubernatorem. Quo cum pervenisset, apparuit angelus Dei Beniamino Patriarchæ, præcepitque ei, ut lateret donec transiret ira Dei; & latuit spatio decem annorum. Heraclius autem Imperator in somnio vidit quemdam sibi dicentem: Futurum est, ut gens quædam circumcisa te invadat, superet, & tui partem occuper Imperii. Qui Judæos hos esse ratus est; quamobrem omnes Judæos, & Samaritanos, qui in Imperio ejus erant, baptizari jussit. Sed non multo post apparuerunt Moslemani; quamobrem Heraclius omnes suos collegit exercitus ab Ægypto usque Asuanem, & tributum appendit Moslemanis octo annis, donec exhausti sunt omnes ejus thesauri. Anno trecentesimo quinquagesimo-septimo Martyrum, duodecima Bunæ pervenit Hamrus filius Alasi Cairum, & expugnavit eam; ac triennio post cepit Alexandriam. Tunc scripsit Hamrus filius Alasi fidem publicam Beniamino Patriarchæ, qui reversus est cum magno gaudio, postquam absens fuit, annis tredecim.	anni 39 ✠	anni 656 dies 128	Homarus filius Alchettabi. Hothmanus filius Haffani. Ali filius Abitalebi.	anni 6156 dies 128

Numerus.	NOMINA ET HISTORIÆ Patriarcharum Alexandriæ.	Tempus Patriarchatus.	Summa annorum Incarnat. divinæ.	Nomina Imperatorum.	Summa annorum Mundi.
XXXIX.	Agathon suffectus est post obirum Beniamini, & obiit die Jovis, decima-sexra Babæ.	anni 16 dies 273	anni 673 dies 36	Alhasanus. Moaveja.	anni 6173 dies 36
XL.	Joannes. Is extruxit Ecclesiam Marci Apostoli Alexandriæ rrium annorum spario. Fuir ejus tempore maxima caritas tribus annis, quo tempore singulis diebus argentum & panem pauperibus distribuebat. Defunctus est die Sabbati, prima Chihae.	anni 8 dies 55	anni 261 dies 91	Jazidus. Moaveja filius Jazidi.	anni 6181 dies 91
XLI.	Isaac suffectus est in Caliphatu Abdalmalechi, & obiit die Martis, nona Haturi.	anni 2 dies 336	anni 684 dies 62	Abdalla filius Alzebiri. Marovanus filius Alhocmi.	anni 6184 dies 62
XLII.	Simon. Hunc suscitasse mortuum, scribitur in ejus vita. Ter hausit venenum post communionem absque ullo nocumento; verum dato ipsi quatro periit, caprusque est auctor, & igne incensus. Legatum accepit ab Indis, qui illum rogabant, ut sibi Episcopum, & Presbyteros constitueret, qui noluit præstare absque regis Ægypti consensu. Quamobrem ad alium profectus est legatus, qui ejus postularis satisfecit: sed multa rei hujus causa Christiani perpessi sunt. Obiit die Dominica, vigesima-quarta Abibi.	anni 7 dies 262	anni 691 dies 324	Abdalmalechus filius Marovani.	anni 6191 dies 324
	Vacavit Sedes absque Patriarcha tribus annis, addantur Summæ.				
XLIII.	Alexander suffectus est anno quadringentesimo vigesimo Martyrum. Iste multis conflictatus est tribulationibus, & bis pecuniæ pœna mulctatus est, tribus scilicet denariorum millibus singulis vicibus; nec minora populus pertulit. Nam Abdalmalechus filius Marovani fratrem suum Abdalazizum Ægypto præfecerat, qui Monachos recensuit, & a singulis denarium unum tributi	anni 24	anni 720	Homarus filius Abd-alazizi.	anni 6220

Numerus.	NOMINA ET HISTORIÆ Patriarcharum Alexandriæ.	Tempus Patriarchatus.	Summa annorum Incarnat. divinæ.	Nomina Caliphatuum.	Summa annorum Mundi.
	nomine accepit. Ingressus etiam aliquando die Sabbati Luminum (Sabbati Sancti) monasterium quoddam Halvani, ubi videns imaginem Dominæ Virginis Dominum sinu amplexantem, in illam conspuit, & ait: Si otium nactus fuero, delebo Christianos ab his monasteriis. Sequente nocte terribile vidit somnium, & die Dominico Resurrectionis patrem adivit, dixitque ipsi coram pluribus: Diaboli hac nocte suppliciis me affecerunt, nam vidi quemdam sedentem super maximo throno horribilem, & summæ majestatis, circum quem millia erant, & myriades, ego autem, ac tu post illum catenis vincti eramus. Interrogavi autem quis ille esset, & responsum accepi: Hic est JESUS-CHRISTUS in cujus imaginis faciem heri conspuisti; quo dicto quidam lancea transfixit me donec efflavi spiritum. Hæc narrans obsurduit, & obmutuit, & post horam efflavit animam; & quadraginta elapsis diebus mortuus quoque est pater ejus.	dies 283	dies 557	Jazidus fil. Abdalmalechi.	dies 157
XLIV.	Cosmas invitus, ac renitens constitutus est, nec destitit Deum diu noctuque deprecari, ut illum ad se susciperet: quamobrem post annum defunctus est die Sabbati, prima Bunæ.	anni 1 dies 143	anni 721 dies 300	Hascia-mus filius Abd-almalechi.	anni 6221 dies 300
XLV.	Theodorus omnes dies suos in quiete & pace transegit, nec ullum habuit adversarium. Fuit vir bonus, mansuetus, egregia specie, & optimis moribus. Defunctus est die Jovis, septima Amsciri.	anni 11 dies 222	anni 735 dies 157	Alvalidus. Jazidus.	anni 6253 dies 157
	Vacavit Sedes absque Patriarcha anno uno, addatur Summæ.				

Numerus.	NOMINA ET HISTORIAE Patriarcharum Alexandriae.	Tempus Patriarchatus.	Summa annorum Incarnat. divinae.	Nomina Caliphrum.	Summa Annorum Mundi.
XLVI.	Michael suffectus est anno quadringentesimo sexagesimo Diocleriani, die festo Crucis, multasque perpessus est aerumnas sub regno Marovani Giahdensis, sub praefectura Abd-almalechi filii Moysis ex Judaeo Moslemani. Quidam etiam Episcopi Patriarcham accusarunt, multosque obtulerunt contra illum libellos, quamobrem captus in carcerem detrusus est, & pecunia mulctatus, nimisque propterea oppressus. Qui autem enixe rogavit, ut sibi egrediendi concederetur facultas, ad hujusmodi summam emendicandam per Provinciam, quod ipsi concessum est. Incolae autem regionis maximis afflictionibus tyrannice premebantur ob ingentem pecuniae mulctam, quae ipsis in dies imponebatur. Ea nocte magnus Dei accidit iratum furor, quem horribili terraemotu demonstravit, multaeque dirutae sunt urbes, ut nec unus quidem civium evaserit: multae quoque naves eadem nocte submersae sunt, tantaque fuit terraemotus quassatio, ut ligna portarum & parietum suo egrederentur loco. Quae quidem afflictio totum conquassavit Marovani Orientale Imperium. Recensita fuerunt loca, quae in Oriente illa nocte diruta, & ascendere reperta sunt ad numerum sexcentorum, tam urbium, quam oppidorum, & castellorum, interiitque hominum & jumentorum infinitus numerus. Videns autem Abd-almalechus filius Moysis furorem Dei, dimisit eos. Anno quadringentesimo sexagesimo-primo Martyrum invasit Cyprianus Rex Nubiae regionem Aegypti, cum accepisset Patriarcham in carcere detineri, habebatque secum centum millia Nigrorum, centum millibus equorum insidentium, ducebat quoque camelorum centum millia. Fertur eorum equos ferocius decertasse, quam equites, & erant parvi instar asinorum. Cum autem appropinquasset ad Aegyptum, misit Abd-almalechus filius Moysis ad Patriarcham rogans, ut illum suis litteris placaret. Qui scripsit pacem petens, eamque obtinuit, deprecatusque est pro illo, & benedixit, reversusque absque bello gaudens plurimum Patriarchae benedictione. Perveniens autem Marovanus ad Aegyptum, bellum commisit contra Bsamaritas, qui contra illum rebellaverant, occideruntque ex ejus exercitu infinitum propemodum	anni 23 dies 180	anni 758 dies 196	Abrahimus filius Alvalidi. Marovanus Giahdensis.	anni 6258 dies 196

mune.

Numerus.	NOMINA ET HISTORIÆ Patriarcharum Alexandriæ.	Tempus Patriarchatus.	Summa annorum Incarnat. divinæ.	Nomina Caliphorum.	Summa Annorum Mundi.
	numerum, ideoque magnas perpessus est Patriarcha afflictiones propter Bsamaritas, & sæpius gladio oblatus est. Invadentibus autem Choraisanitis militibus Safahi Ægyptum, Gizam petiit Marovanus, incenditque Cairum, & omnem annonam, ac horrea, permansitque Patriarcha catenis vinctus in carcere, donec regnum obtinuerunt Choraisanitæ, & omnem Marovani exercitum peremerunt.				
XLVII.	Minas magnas & ipse quoque, multasque perpessus est afflictiones; siquidem cum Episcopis funes stupeos nectebat, & obliniebat pice ad navium usum in Ægypto soli expositus. Obiit ultima Tubæ die Veneris.	anni 8 dies 320	anni 767 dies 150	Abulhabbas Saffah.	anni 6262 dies 150
	Vacavit Sedes 350. diebus, addantur Summæ.				
XLVIII.	Joannes suffectus est decima-sexta Tubæ, & simili die natus, obiitque decima Tubæ. Fuit ejus tempore maxima caritas: ipse vero subveniebat pauperibus, nec re ulla eos indigere permittebat.	anni 22 dies 1	anni 790 dies 136	Abugiafar Almansuro. Mahometus Almohdi.	anni 6290 dies 136
	Vacavit Sedes absque Patriarcha quindecim diebus, addantur Summæ.				
	Marcus. Erant ejus tempore in Ægypto quidam cognomento Scianufitæ, qui duos Episcopos sibi constituerant a diebus Petri Patriarchæ tempore Zenonis Imperatoris. Qui duo Episcopi illorum successores hunc adivetunt Patriarcham, ejus admirantes doctrinam, rogaruntque illum, ut eos reciperet, & gregi suorum ovium admitteret. Qui suscepit eos, & tentare vo-				

Numerus.	NOMINA ET HISTORIÆ Patriarcharum Alexandriæ.	Tempus Patriarchatus.	Summa annorum Incarnat. divinæ.	Nomina Caliphatum.	Summa annorum Mundi.
XLIX.	lens , dixit ipſis : Scitote , vos nequaquam permanſuros , in hoc ordine , in quo eſtis . Quod audientes humiliter reſponderunt ; Scimus utique nos hoc ordine indignos eſſe , nec in eo permanſuros, ſolum noſtrorum peccatorum petimus veniam, ſcripſeruntque ei ſyngrapham , anathemate ſeſe obſtringentes, ſi Epiſcopatum, aut ſacerdotium peterint . Ille vero eos benedixit , & conſtituit ſtatim Epiſcopos , & apud ſe manere juſſit, donec mortui ſunt duo Epiſcopi, quorum loco ſuffecit eos , & eorum populus cum gaudio & charitate unionem ſuſcepit. Ejus tempore Barbari , qui ſunt incolæ Occidentis , diruerunt monaſteria vallis Habibi , & ea depopulati ſunt, incenſis Ecclesiis & cellis , manſeruntque quadraginta annis abſque monachis , aut incolis quibuſcumque . Eodem quoque tempore rebelles quidam Alexandriam , aliaſque urbes expugnarunt , neces patrarunt , flammis dederunt urbes, & eas depopulati ſunt , ut prolixius in hiſtoriis refertur ; quapropter Alexandria egreſſus eſt Patriarcha , & quinquiennio abſens fuit . Vigeſima autem ſecunda Barmudæ , die Dominica defunctus eſt .	anni 20 dies 81	anni 821 dies 232	Haron Raſcidus. Mahometus Alaminus.	anni 6320 dies 232
L.	Jacob . Ejus tempore inſtaurata ſunt Monaſteria , & reverſi ad ea monachi . Vivebat quoque eo tempore vir quidam princeps nomine Macarius, qui Patriarcham rogavit aliquando , ut ſuam adiret domum , eamque benediceret . Unicus autem filius , quem habebat , fatis tunc conceſſerat , quem accipiens pater Patriarchæ tradidit ; ſinu complexus eſt eum , & oravit , reverſuſque eſt ſpiritus ejus , oculos aperuit , movit manus, ac pedes , quem patri reddens ait : Non enim mortuus erat , ſed dormiebat ; & timuit timore magno , deditque tertiam partem bonorum ſuorum pauperibus . Patriarcha autem defunctus eſt die Martis decima quarta Amſciri.	anni 10 dies 298	anni 821 dies 164	Mahometus Alaminus.	anni 6321 dies 164

Numerus.	NOMINA ET HISTORIÆ *Patriarcharum Alexandriæ.*	*Tempus Patriarchatus.*	*Summa annorum Incarnat. divinæ.*	*Nomina Caliipharum.*	*Summa annorum Mundi.*
LI.	Simeon, Ejus tempore pace & quiete fruita eſt Eccleſia. Obiit podagræ morbo tertia Babæ die Veneris.	✠ dies 234	anni 822 dies 33	Almamunus. Mahometus Almohtaſemo.	anni 6322 dies 33
	Vacavit Sedes anno uno abſque Patriarcha, addatur Summæ.				
LII.	Joſeph. Hic communione privavit Epiſcopum Caiti, & Epiſcopum Thaneſi, quod accuſati a populo, & reprehenſi a Patriarcha, minime reſipuerint. Bſamaritæ autem eo tempore adverſus Calipham rebellaverunt, nec Patriarchæ acquieverunt admonitionibus. Quamobrem Abdallæ Almamuno ſcripſit Præfectus provinciæ, qui Bagdado ad Ægyptum contendit horum cauſa, eoque pervenit nocte diei Veneris, vigeſima-tertia Moharrami, anno ducenteſimo decimo-ſeptimo, ſecumque duxit Dionyſium Patriarcham Antiochenum, quos ambos Patriarchas miſit ad Bſamaritas; ſed nullis precibus, aut rationibus eos flectere potuerunt, Quamobrem eo profectus eſt ipſe Almamunus cum ſuis exercitibus, illoſque debellavit, ac omnes ferme perdidit. At interfectorum multitudinem videns, tandem eorum miſeratus eſt vices, captivos reliquos ducere decrevit, Quo facto, adeunt homines adverſæ factionis Regem, totamque iſtorum rebellionis cauſam in Patriarcham jecerunt, qui propterea neci tradendus ductus eſt. Sed cum eorum mendacium reſciviſſet Rex, dimiſit Patriarcham, ac diploma ipſi tradidit, ut in honore & veneratione haberetur apud omnes, & ne ullus ipſi adverſaretur in judiciis, ordinationibus, aut excommunicationibus. Ejus tempore Epiſcopus quidam erat in Æthiopia, quem conſtituerat Patriarcha Jacob. Hunc, egreſſo Rege Æthiopiæ ad bellum, exilio mulctavit Regina, & Princeps, ideoque minime eo pluit anno, & peſtis graſſata eſt per eas regiones. Remiſſo autem Epiſcopo illo in Ægyptum, alium ſibi conſtituerunt præter Canonem. Quod percipiens Rex Æthiopiæ reverſus a bello ægerrime tulit, miſitque aliquos, qui veniam peterent a Deo, ac Patriarcha, & re-	anni 17 dies 338	anni 841 dies 53	Haron Alvateko.	anni 6341 dies 53

Numerus.	NOMINA ET HISTORIÆ Patriarcharum Alexandriæ.	Tempus Patriarchatus.	Summæ annorum Incarnat. divinæ.	Nomina Caliphaurum.	Summa Annorum Mundi.
	duxerunt illum Episcopum in Æthiopiam. Defunctusque est Patriarcha Joseph vigesima-tertia Babæ.				
	Vacavit Sedes 30. diebus absque Patriarcha, addantur Summæ.				
LIII.	Michael erat Presbyter in monasterio sancti Joannis; primusque omnium Patriarcharum sepultus est in monasterio abbatis Macarii; nam quidam eorum sepeliebantur Alexandriæ in Ecclesia Marci, quidam vero Cairi. Defunctus est iste vigesima-secunda Barmudæ die Veneris.	anni 1 dies 149	anni 842 dies 232	Mahometus Almontassero.	anni 6342 dies 232
	Vacavit Sedes absque Patriarcha 81. diebus, addantur Summæ.				
LIV.	Cosmas erat Diaconus in monasterio Abbatis Macarii. Ejus tempore constructa sunt mœnia Thanes, Damiatæ, Alexandriæ, Burlesi, Asciumi, Tinæ, Rascidi, & Nastervæ. Eodem tempore præcepit Calipha Almotuachelo, ne ullus Christianorum, aut Judæorum uteretur vestimentis albis, sed aliis coloribus tinctis. Obiit hic Patriarcha vigesima-tertia Haturi die Jovis, & sepultus est in sua cella Danusari, in provincia Sacha.	anni 7 dies 133	anni 850 dies 81	Mahometus Almotazzo.	anni 6353 dies 81
	Vacavit Sedes absque Patriarcha 51. diebus, addantur Summæ.				
LV.	Sanuthius erat œconomus monasterii Abbatis Macarii. Ejus tempore fuit Ahmetus filius Tulun in Ægypto. Ipse construxit subterraneos aquæductus ad conducendam aquam dulcem Alexandriam, & implendas cisternas. Defunctus est vigesima-quarta Barmudæ, die Sabbati.	anni 11 dies ✠	anni 861 dies 132	Mahometus Almohtadi. Ahmetus Almohtamedo.	anni 6361 dies 132

Numerus.	*NOMINA ET HISTORIÆ Patriarcharum Alexandriæ.*	*Tempus Patriarchatus.*	*Summa annorum Incarnat. divinæ.*	*Nomina Caliphatum.*	*Summa annorum Mundi.*
LVI.	Michael multas ærumnas perpessus est, & pecunia mulctatus ab Ahmeto filio Tulun, itaut coactus fuerit vendere quartam partem Ecclesiarum Alexandriæ Judæis, & partem etiam Ecclesiæ Mahlakæ. Judæis quoque, &. singulis Christianis unum ceratium argenti indixit singulis annis. Vendidit etiam bona monachorum, ut posset dimidiam mulctæ partem solvere, nempe decem millia denariorum. Sed defuncto Ahmeto filio Tulun, libertate donatus est Patriarcha ope Dei.	anni 25 dies 39	anni 886 dies 171	Ahmetus Almohtadedo. Ali Almoctafi. Giafaro Almoktadero.	anni 6386 dies 171
	Vacavit Sedes absque Patriarcha 14. annis, addantur Summæ.				
LVII.	Gabriel singulis viris & mulieribus denarium indixit solvendum Patriarchæ singulis annis. Defunctus est vigesima-prima Amsciri, die Mercurii.	anni 21 ✻	anni 921 dies 171	Mahometus Alkahero.	anni 6411 dies 171
LVIII.	Cosmas defunctus est qninta Barmehati die Martis.	anni 12 dies 12	anni 933 dies 183	Ahmetus Alradi.	anni 6423 dies 183
LIX.	Macarius defunctus est secunda Tubæ die Sabbati. Ejus tempore Ægypto potitus est Mahometus filius Tagagi Alachascidi.	anni 20 dies 21	anni 943 dies 204	Abrahimus Almottaki.	anni 6443 dies 204
LX.	Theophanins Patriatcha Christum abnegavit quare insurgentes in illum Episcopi occiderunt in navi, & in mare projecerunt, mortuusque est morte pessima, decima Chihachi die Sabbati.	anni 4 dies 261	anni 948 dies 100	Abd-almalecho Almoctacfi.	anni 6448 dies 100

Numerus.	NOMINA ET HISTORIAE Patriarcharum Alexandriae.	Tempus Patriarchatus.	Summa annorum Incarnat. divinae.	Nomina Caliphorum.	Summa Annorum Mundi.
LXI.	Minas defunctus est decima-quinta Haturi die Mercurii.	anni 17 dies 340	anni 966 dies 75	Ahmetus Almoti-ho Habbasides.	anni 6466 dies 75
	Vacavit Sedes absque Patriarcha anno uno, addatur Summae.				
LXII.	Ephrem Syrus fuit. Ejus tempore vixit Severus Episcopus Asmonaeorum. Iste veneno sublatus est a quodam Scriba, quod eum communione amoverat ob concubinatum, & post mortem Patriarchae abscissa est manus Scribae, qui statim animam efflavit. Optimis moribus ornata erat hujus partis vita, qui munera pro ordinum collatione abrogavit. Illum frequentius ad suum accersebat palatium, & multis honoribus, & veneratione prosequebatur Almoezzus. Quamobrem invidia correptus Princeps Judaeorum dixit aliquando Almoezzo: Qui fidem instar grani sinapis non habet, dignus est, ut Caliphae consessui adsit? Quamobrem praecepit Almeozzus Patriarchae, ut montem transferret, juxta dictum Evangelii, aut suam relinqueret fidem. Qui trium dierum spatium sibi rogavit; descenditque Patriarcha, & omnis populus ad Ecclesiam Mohlakae, & jejunaverunt omnes ea nocte, expanditque Patriarcha cinerem. Et apparuit illi Domina MARIA prope columnam, & ait illi: Perge ad viam Tornorum Palatii cerae, & quicumque per illam transierit lagenam aquae bajulans humero, per manus ejus vestra erit salus: (cum nota autem sit hujus rei historia, illam nunc omittimus) quem repertum secum duxit, & congregati sunt Moslemani, Judaei, & Christiani prope montem ad piscinam elephantis, & orantibus Christianis illico mons abscissus est, & decidit, praesentibus Almoezzo, & omnibus illis nationibus. Et, hoc est rei notissimae compendium.	anni 3 dies 75	anni 970 dies 150	Almoezzus. Maadus.	anni 6470 dies 150
	Vacavit Sedes post illum 61. diebus, addantur Summae.				
	Philotheus. Ejus tempore defunctus est Alhazizus dominus Ægypti. Item vixit Alvadeho Almontasero cognomento Benragia martyr, quem				

Numerus.	NOMINA ET HISTORIÆ Patriarcharum Alexandriæ.	Tempus Patriarchatus.	Summa annorum Incarnat. divinæ.	Nomina Calipharum.	Summa Annorum Mundi.
LXIII	tranſtulit Mercurius martyr a planitie Mechæ ad ſuam Eccleſiam una nocte. Iſte quatuor compoſuit libros: Primus inſcriptus erat, *Declarator*: alter, *Rara commentatorum*, *& depravationes Hæreticorum*: tertius, *Detectio Arcanorum*: quartus, ipſius vitam, & geſta continebat. Erat Patriarcha iſte congregandis opibus deditiſſimus, nec minus navabat operam comeſſationibus, & potui, & balnei lavacris apprime delectabatur, nec a muneribus accipiendis pro ordinum collationibus abſtinebat. Dum itaque ſacrum quadam die in Eccleſia Sancti Marci Alexandriæ celebrabat, vidit manum e pariete egredientem, & obſignantem ſigno Crucis hoſtiam, quæ ſtatim partita eſt in manus ejus. Quamobrem timore concuſſus eſt, nec tremere deſiit, donec mortuus eſt tertia Haturi, die Sabbati.	anni 24 dies 226	anni 995 dies 72	Alhazizo Nazaro.	anni 6495 dies 72
	Vacavit Sedes poſt illum 67. diebus, addantur Summæ.				
LXIV.	Zacharias ſuffectus eſt anno ſeptingenteſimo vigeſimo-octavo Martyrum. Hunc crudeliter perſequutus eſt Alhachemus, ut ſeptennio latere coactus fuerit. Aliquando leonibus fame laborantibus projectus eſt, nullam tamen ipſi attulerunt noxam. Eccleſiæ vero ſub eo clauſæ ſunt multo tempore, nec quiſquam Miſſam celebrare audebat, niſi in Eccleſia Sancti Macarii, & plurimis ærumnis affecti ſunt Chriſtiani abs Hachemo, qui etiam appendi juſſit cruces collis Chriſtianorum, & vituli caput collis Chriſtianorum, & vituli caput collis Judæorum. Tandem comprehendit ſcribas aulæ, & nobiles Chriſtianorum, eiſque propoſuit aut fidem amplecti Moslemanicam, aut neci ſeſe parare. Qui reſponderunt ei: Omnes nos ſequemur ſaniorem Abunagiahum, quoniam ipſe eſt noſter primas, ac major. Cui accerſito Moslemanicam propoſuit Alhachemus religionem. Reſpondit ipſi ſenior Abunagiahus: Permittat mihi Calipha, concedatque hanc noctem, ut animum meum conſulere poſſim, cras autem dabo reſponſum. Qui dimiſit illum ad	anni 27	anni 1023	Alhachemus filius Almoezzi.	anni 6523

Numerus.	NOMINA ET HISTORIÆ Patriarcharum Alexandriæ.	Tempus Patriarchatus.	Summa annorum Incarnat. divinæ.	Nomina Calipharum.	Summa annorum Mundi.
	ſequentem diem. Ille autem ad ſuam profectus domum valedixit uxori, & liberis, & quas eleemoſynas, & ſacrificia poſt ejus obitum eſſent facturi commendavit, totamque noctem illam in orationibus perſolvendis tranſegit. Illuceſcente die ſeſe Alhachemo ſiſtit, cui ait ille: Quid tibi ſenior Abunagiahe dixit animus tuus, & conſuluit? Domine mi, reſpondit, animus meus optimus ac fortiſſimus eſt in mea fide, & religione patrum meorum. Tunc præcepit Alhachemus, ut loris bubulcis mille ictibus percuteretur, abſque ulla pauſa, aut intermiſſione. Cum itaque ſeptingentis ictibus percuſſus eſſet, dixit: Sitio. Tunc milites id ad Calipham retulerunt, qui ait ipſis: Si Moslemanicam amplectetur fidem, date illi bibendum. Qui dixerunt ipſi: Moslemanicam amplectere fidem, & dabimus tibi bibendum. Qui reſpondit eis: Non, jam Dominus meus Chriſtus bibendum mihi dedit. Et viderunt milites ejus barbam & labra aqua madida. Statimque tradidit ſpiritum. Quod cum relatum eſſet Caliphæ, dixit: Percutite illum donec complebuntur mille ictus, & percuſſerunt eum trecentis ictibus poſt ejus mortem. Patriarcha autem Zacharias obiit octava Tubæ die Martis, & ſepultus eſt in clauſtro.	dies 354	dies 128		dies 128
	Vacavit Sedes poſt illum 74. diebus, addantur Summæ.				
LXV.	Sanuthius opibus congregandis, & accipiendis muneribus pro ordinum collatione deditus erat. Defunctus eſt ſecunda Haturi die Mercurii.	anni 14 dies 225	anni 1038 dies 62	Aldhahero.	anni 6538 dies 62
	Vacavit Sedes poſt illum anno 1. diebus 48. addantur Summæ.				
LXVI.	Chriſtodulus Eccleſiam ſancti Mercurii Cairi, & Eccleſiam Dominæ noſtræ vici Romanorum conſtituit ad Patriarcharum habitationem. Defunctus eſt Cairi in Eccleſia Mohlakæ decima quarta Chihachi die Dominico.	anni 29 dies 259	anni 1069 dies 104	Almoſtanſaro.	anni 6569 dies 104
	Vacavit Sedes poſt illum 72. diebus, addantur Summæ.				

Cyrillus

Numerus.	NOMINA ET HISTORIÆ Patriarcharum Alexandriæ.	Tempus Patriarchatus.	Summa annorum Incarn. divinæ.	Nomina Calipharum.	Summa annorum Mundi.
LXVII.	CYRILLUS cum conſecratus eſſet Alexandriæ, Cairum accerſitus eſt ab Almoſtanſaro, qui adduxit illum ad matrem, & fratres, ut illos benediceret: quod cum præſtitiſſet, thuris, & aromatum ſuffumigationibus illum honorarunt, egreſſuſque eſt gaudens atque lætus. Cum autem conſecraret aliquando chriſma in Eccleſia Abbatis Macarii, miraculoſe exundavit ſuper altare vas chriſmatis in manibus ejus; quod fuit maximum miraculum. Ipſe Patriarchis pallium conſtituit, & munera pro ordinum collatione anathemate prohibuit. Et defunctus eſt Mochtaræ in inſula Ægypti die Dominica ſecunda Bunæ.	anni 14 dies 106	anni 1083 dies 282	Almoſtanſaro.	anni 6583 dies 282
	Vacavit Sedes poſt illum 124. diebus, addantur Summæ.				
LXVIII.	MICHAEL erat eremita in Sangiaro, & defunctus eſt die Dominica feſti Pentecoſtes ultima Baſcinaſci in Eccleſia Mohlakæ Cairi anno 818. Martyrum.	anni 9 dies 229	anni 1093 dies 270	Almoſtaali.	anni 6593 dies 270
	Vacavit Sedes poſt illum 167. diebus, addantur Summæ.				
LXIX.	MACARIUS. Ejus tempore anno 818. Martyrum, die Dominica tertia Tuti ingens accidit terræmotus. Qua nocte Afdalus dux exercituum diruit Eccleſiam Almochtaræ in inſula, quia in medio ejus horti erat, divulgavitque terræmotu dirutam eſſe. Is Patriarcha plures abrogavit ritus; nam filii Cophtitarum prius baptizabantur, tum circumcidebantur: ipſe vero conſtituit, ut prius circumciderentur, tum baptizarentur. Item ſponſalia cum orationibus, & thure contrahebantur in domibus; ille vero decrevit, fieri in Eccleſia tempore coronationis ſponſorum. Defunctus eſt 23. Chibachi, die Mercurii in Eccleſia Mohlakæ.	anni 26 dies 41	anni 1120 dies 113	Alamero.	anni 6620 dies 113
	Vacavit Sedes annis 2. & diebus 45. addantur Summæ.				
LXX.	GABRIEL filius Tarili Abul-hala Sahedi erat Diaconus Eccleſiæ Sancti Mercurii Cairi, ſuffectuſque eſt die Martis nona Amſciri, anno nongenteſimo quadrageſimo-ſeptimo Martyrum,	anni 14	anni 1136	Aldafero.	anni 6636

Numerus.	*NOMINA ET HISTORIÆ* *Patriarcharum Alexandriæ.*	*Tempus Patriarchatus.*	*Summa annorum Incarn. divinæ.*	*Nomina Calipharum.*	*Summa annorum Mundi.*
LXX.	initio Caliphatus Alhafedi, agens quinquagesimum annum. Defunctus est die Jovis decima Barmudæ hebdomada Palmarum in Ecclesia Sancti Mercurii Cairi.	dies 62	dies 220	Alfajezo.	dies 220
	Vacavit Sedes post illum 90. diebus, addantur Summæ.				
LXXI.	MICHAEL filius Dakalti erat monachus in cella Dansciri, suffectus est die Jovis undecima Abibi, anno octingentesimo sexagesimo-primo Martyrum, & decimo quinto Caliphatus Alhafedi. Defunctus est in monasterio Sancti Macarii feria sexta crucifixionis.	anni ✠ dies 9	anni 1137 dies 310	Alhadedo. Salahaddinus.	anni 6637 dies 310
	Vacavit Sedes post illum anno 1. & diebus 70. addantur Summæ.				
LXXII.	JOANNES filius Abul-fatahi ordinatus est in Ecclesia Mohlakæ Cairi, die Pentecostes, Dominica decima-quinta Bunæ, anno octingentesimo sexagesimo-tertio, defunctusque est die Veneris quarta Bascinasci.	anni 18 dies 326	anni 1157 dies 244	Alhazizo. Almansuro.	anni 6657 dies 244
	Vacavit Sedes post illum 43. diebus, addantur Summæ.				
LXXIII.	MARCUS Abul-faragi filius Zaraæ suffectus est die Dominica Pentecostes, decima-octava Bunæ, anno octingentesimo octuagesimo-secundo. Ejus tempore transiit Abbas Marcus filius Alkonbari ad Melchitas, quem ingens turba Bsameritarum sequuta est, quem non multo post pœnituit, & reversum noluit Patriarcha suscipere. Magnus singulis diebus apud hunc Patriarcham ciborum fiebat apparatus carnium, aliarumque rerum, quem nobiles Christianorum frequentabant. Accidit incendium Cairi decima-octava Haturi, anno octingentesimo octuagesimo-quinto, auctore Sciauro, & incensa est Ecclesia sancti Mercurii, & aliæ. Defunctusque est hic pater die Dominica sexta Tubæ.	anni 22 dies 205	anni 1180 dies 126	Alhadelo. Alcamelo.	anni 6680 dies 126
	Vacavit Sedes post illum 27. diebus, addantur Summæ.				

Numerus.	NOMINA ET HISTORIÆ Patriarcharum Alexandriæ.	Tempus Patriarchatus.	Summa annorum Incarn. divinæ.	Nomina Caliphatum.	Summa annorum Mundi.
LXXIV.	JOANNES Abul-magedus filius Abilhala suffectus est Cairi die Dominica quarta Amsciri, anno nongentesimo quinto. Defunctusque est die Jovis post meridiem undecima Tubæ, die Epiphaniæ, & celebratum est funus ejus in Ecclesia Mohlakæ, sepultusque est in claustro. Is antequam ad patriarchatum ascendisset, exercuerat mercaturam, & sæpius ad Indias transfretavit: suffectus autem in Patriarcham, septemdecim millia denariorum possidere fertur, quos omnes in usum Christianorum pauperum, & eorum necessitates erogavit; imo defunctus est ære neporum obstrictus. Nec quamdiu vixit Patriarcha panem alicujus Christianorum comedit, nec accepit munus. Confessionem ab Ecclesia Cophtitarum abrogavit, circumcisionem vero plurimum commendavit.	anni 26 dies 343	anni 1207 dies 131	Albadelus.	anni 6707 dies 131
	Vacavit Sedes annis 19. & mensibus 5. diebus 10. addantur Summæ.				
LXXV.	CYRILLUS filius Laklaki suffectus est die Dominica vigesima tertia Bunæ, anno nongentesimo quinquagesimo-primo, obiitque die Martis decima-quarta Barmehati, anno nongentesimo quinquagesimo-nono in Monasterio Sciamhi, & ibi sepultus est. Erat vir doctus, sapiens, ac multæ peritiæ, sed congregandis opibus, & muneribus accipiendis pro ordinum collatione deditus. Hinc aliqui insurrexerunt adversus illum, & oppresserunt, accusaruntque ad tribunal vicarii Regis & apud Judices, & Præfectum provinciæ Mohinaddinum filium Alfihi, mulctatusque est duodecim millibus denariorum diversis vicibus.	anni 7 dies 269	anni 1234 dies 194	Salehus.	annis 6734 dies 194
	Vacavit Sedes annis septem, mensibus septem, minus tribus diebus, addantur Summæ.				
LXXVI.	ATHANASIUS filius Calili Archipresbyter Ecclesiæ Mohlakæ Cairi, suffectus est die Dominica, quinta Babæ, anno nongentesimo sexagesimo-septimo. Fuit vir justus, bonus, ac humilis.				



HISTORIÆ ORIENTALIS SUPPLEMENTUM

EX IPSORUMMET ORIENTALIUM MSS. MONUMENTIS.

Per ABRAHAMUM ECCHELLENSEM Syrum Maronitam e Libano,

Syriacarum Arabicarumque Litterarum Christianissimi Regis Interpretem, ac earumdem in alma Parisiensi Academia Professorem Regium.

PRÆFATIO
TOTIUS OPERIS

NON *una, amice Lector, sed quamplures nos ad hoc Historiæ Orientalis conscribendum Supplementum, nostræque adjungendum Chronologiæ, compulerunt rationes, & coegerunt quodammodo invitos. Nequaquam enim alias existimandum est, nostro nos marte, & minime solicitatos, ausos umquam fuisse tantæ suscipiendæ provinciæ nos committere, & Criticorum turbæ exponere judiciis & morsibus, nisi Mæcenatum non solum amica, & perhumana petitio, sed jus & auctoritas, quibus in nos pollent, exegissent, ut variarum Orientis Gentium origines, mores, disciplinas, religiones, persuasiones, rerum gestarum enarrationem, Principum ac Regum genealogias, seriem & successiones ex ipsorum excerperemus monumentis, atque describeremus. Animos addiderunt permultorum doctorum virorum exhortationes & incitamenta, qui in referendis rebus fidem præcipue esse requirendam & fidelitatem, non stilum aut methodum, qui nos morabantur, affirmant; ac flocci faciendos habendosque illos, qui ex eorum sunt genere qui nec intrant, nec introeuntes sinunt intrare, suntque tamquam canes in Reipublicæ litteraria præsepi. Porro quis adhuc horum timebit latratus, aut formidabit, cum plane animadverterit, virum illum disertissimum Josephum Scaligerum barbari cujusdam ineptissimi ac Latinitatis penitus ignari Chronologicas elucubrationes utilissimas appellare non dubitasse, nec suis in Eusebium commentariis inserere dedignatum fuisse? Hunc ad suum lectorem audire parumper juvat:* Et hoc studium fuit significare tibi de ignotas gentes, & oppidos eorum. *Rursus de Orientalibus dicturum:* Initiemus autem dicere de illas ignotas gentes. *His atque multo fœdioribus barbarismis, atque solæcismis tota a capite ad calcem illa componitur Chronologia: tamen, ut mox dictum est, haudquaquam dedignatus est vir ille Græcæ Latinæque linguæ peritissimus, & illam ex utilitate laudare, & suis adtexere Commentariis, ratus proculdubio gemmarum pretio nihil decedere vel accedere, in plumbea recondantur arca vel aurea. Quod quidem satis apposite atque accommodate Zeno Cittius explicat apud Laertium lib. 7. cap. 1. ex nummo, in quo non elegantiam scripturæ spectandam esse ajebat, sed pondus & materiam; adeoque nihil referre existimabat, quam elegans sit oratio, sed quam utilis. Imo Agathias dicere solitus erat,* quod, qui falsa persuadere vult, majori quodam verborum ornatu, ac varietate indigeat. *Longe adhuc fallitur ille, qui gemmas, quas ex nostro Oriente rudes ac impolitas Occidentali orbi offerimus, minime nacturas esse aliquando duxerit peritum artificem aliquem, & expoliendi eas gnarum arte, qui merito illas reddet nitori. Sane huc spectabat Latinorum Poetarum ille princeps Virgilius Maro, cum dicebat, aurum se ex Ennii stercore colligere, quod scilicet stilo esset incomptus, & in verbis rudis. Eja igitur institutum prosequamur opus, garriat quantumlibet Judæus Rabula, succurrat Momus, adjungatur Zoilus, flavam, simulque atram evomant bilem, insectentur stilum, ingenii tenuitatem exagitent, dummodo probi quique, docti, & æqui rerum æstimatores hisce faveant conatibus, qui probe animadvertentes, nos exiguis pro viribus, & quantum in nobis est, nostro incumbere muneri, nostros excusabunt lapsus potius, quam incusabunt. Eo sane collimant hæc Isidori lib. 3. de summo bono verba:* Sicut qui tardus est ad capiendum, pro intentione tamen boni studii præmium percipit: ita qui præstitum ex Deo sibi ingenium negligit, condemnationis reus existit; quia donum quod acceperat, despicit, & per desidiam derelinquit, *Quid, sodes, officit sensui, si ad verbum interpretantes dixerimus:* Ecce præcepi, ut homo non lædat te, *pro,* Ecce præcepi, ne quis te lædat, *ut furioso placet Momo? Nihil prorsus. Et cum ejusmodi usus sit dicendi modis doctissimus Patrum, & linguarum peritissimus S. Hieronymus, quis posthac rabulæ Judæo aures præbebit debacchanti? Igitur*

——— Procul, o procul este profani.

His omnibus alia accedit non levis ratio: quandoquidem quamplurium illarum Gentium aut nulla prorsus apud Græcos, Latinosve historia extat, ut antiquorum Sinensium; aut hæc interrupta, minimeque continuata, ut Arabum, & Persarum, præsertim ante Mahometismum; aut vitiosa adeo & corrupta ad illos deducta est ob linguarum diversitatem, dissitasque regiones, ut errores erroribus aggerat potius historia hujusmodi, ac ingerat lectorum mentibus, quam nudam simplicemque exhibeat veritatem. Proinde commenta prorsus atque mera figmenta esse diceres, plura illorum, quæ ab Orientalibus quibusdam de Occidentalibus referuntur, ac historiæ consignantur, & vice versa, si paulo attentius res cum narratione conferas. Non de iis quidem loquor, quæ nobis temporum subduxit longinquitas & canities, sed de illis, quæ nostris versantur sub oculis, quæ nostra memoria gesta sunt. Ego sane non unum, sed plura ejusmodi commentorum exempla in medium afferre possem ex una unius Amiri Fachraddini historia, quam quidam nuper conscripserunt, & publici fecerunt juris, cum ejus Principis optimi gestarum rerum non testis dumtaxat oculatus, sed magna pars fuerim, nisi præsens instituti nostri ratio id mihi vetaret. Porro quid adhuc Itinerariorum non comminiscuntur scriptores? Quæ portenta ex Africa nobis non afferunt? Quæ incredibilia penitus non venditant? Sed quæ non viderunt, quæ non audierunt, quæ non observarunt omni admiratione digna, indigenis nec visa umquam, nec audita, nec observata, nec vel mentem eorum, aut excogitationem subierunt? Perinde pro certo habendum est, nullum alium finem istis propositum esse, quam Poetis, qui, ut auctor est lib. 10. Instic. Quintilianus, voluptatem fingendo, non solum falsa, sed etiam incredibilia sectantur. *Unus impræsens ex Arabibus prodeat Geographiæ Nubiensis auctor, indeque luculenter deprehendetur, quæ, quantaque mendacia affingat in unius Romanæ urbis describendis mœnibus, portis, viis, templis, aris, balneis, Tiberis fluminis pavimento ex æneis laminis, ac id genus aliis, Romanis ipsis nec visis, nec auditis, nec vel mente conceptis. Atque adeo quantum exactus & fidelis habitus est in describendis iis, quæ ad patriam pertinent, tantum mendax in referendis alienis deprehenditur. Ex Judæis autem unius Beniamini legatur Itinerarium, comperietque lector, non mœnia, non portas, non vias, non templa, non aras, non fluminum pavimenta ænea, non balnea; sed urbes maximas, provincias amplissimas, vastissima regna, Reges potentissimos, flumina lapidum præcipitantium momento temporis, non secus ac Thebarum conditores, Judæos, atque suis extitisse. At quæ Samaritanis non affingunt Judæi ab illorum prorsus aliena mente, imo ipsorum dogmatibus directe contraria? Samaritani in suo Chronico, quod in celeberrima totius orbis Eminentissimi Cardinalis Mazarini Bibliotheca asservatur, inter cætera argumenta, quæ congerunt ad probandum suum Textum esse purumputum Moysis Pentateuchum, Hebræum vero esse Judæorum corruptum malitia, illud unum ut præcipuum inter plura alia inculcant de mortuorum resurrectione, quam clare haberi ex Samaritano affirmant, ex Hebræo non item. Verba Chronici sunt:* Resurrectio unum, ac præcipuum est ex religionis fundamentis, & una ex ejus basibus. Nam homo nisi certo sciat, in alio mundo fore rationis redditionem, & supplicium pro criminibus luendum, suis indulgebit concupiscentiis, atque in illis luxuriabitur, & nihili suam faciet religionem, quicquid ad illam spectat, aspernabitur, ac demum omnia obedientialia contemnet præcepta. Inter multa autem, in quibus dissentimur a Judæis, est versus iste, ex quo resurrectionis, & alterius vitæ ita elucet apud nos veritas: Opera utique vestra condita sunt apud me, & reposita in thesauris meis in diem ultionis, & retributionis. *Hæc illi. Nihilominus R. Elihezer filius R. Joseph in Tract. Sanhedrin, quem lib. 1. de resurrectione mortuorum cap. 1. num. 1. refert Menasseh Ben-israel, affirmat Samaritanos resurrectionem mortuorum inficiari, ac propterea pluribus disputat adversus illos argumentis, quibus recensitis subdit Menasseh:* His dictis videtur *(R. Elihezer)* Samaritanis os obturasse. *Joannes quoque Episcopus Darensis lib. 1. de resurrectione corporum cap. 1. inter negantes resurrectionem Samaritanos recenset. Joseph Scaliger Judæos impostura, & calumniæ arguens, hæc ex Samaritarum*

Chro-

Chronico notat de ipſorum cum Sadducæis diſcrimine: Quia Sadducæos Judæi hodierni, & vetuſtiores nulla in re a Samaritis diſcrepare credunt, propterea eos ſæpe cum Samaritis confundunt. At nos negamus ulla in re conveniſſe. Nam Sadducæi totum textum biblicum admittebant, καὶ τὰ νόμιμα γεγραμμένα, teſte Joſepho, rejectis traditionibus Phariſæorum. Samaritæ tantum legem retinuerunt. Sadducæi animarum immortalitatem, & proinde ſupplicium, aut remunerationem poſt hanc vitam abnegant. Samaritæ & animas immortales fatentur, & locum κρίσεως καὶ ἀνταποδόσεως poſt vitam hanc eſſe credunt, ut diſerte in eorum Chronico extat. An reſurrectionem credant, neſcio. *Scaligerum Samaritarum legiſſe Chronicon, ſed vocis vim non intellexiſſe, certum eſt. Dictio enim* المعاد Almahad, *quæ ibi habetur, reverſionem ſignificat, nempe animæ in corpus, & ex uſu loquendi eis applicatur, quæ animæ poſt reverſionem illam accidunt.*

His igitur ita ſeſe habentibus ex ipſis ſingularum Gentium ſcriptoribus earum petenda eſt hiſtoria, haurienda dogmata, ſi fieri poteſt, ſin minus, a vicinioribus, uti facere in præſens inſtituimus. Quoniam vero aut non omnium illarum Gentium linguas intelligimus, aut earum libri & hiſtoriæ præſto nobis ad manus non ſunt, ex Arabum præcipue Hiſtoriographis, qui vel regionum vicinitate, vel linguarum commercio, & communicatione, vel Interpretum ope & adminiculo, quo maximo pretio olim redemerant, ut apud eos legimus, ſuas contexere hiſtorias ſategerunt, noſtrum hocce ſupplementum compilare conabimur.

Tertia tandem ratio, ut alias nunc brevitati conſulentes omittamus, quæ noſtræ huic Elucubrationi titulum dat, eſt. Chronologia Orientalis, quam vertimus, illorum Principum ſeriem proſequitur tantum, ex quorum imperii annorum ſupputatione conſurgit, aliis omnino prætermiſſis, adeoque mutila eſt, & debita proportione caret. Ex quo haud abs re fore duximus, cætera adjungere illi membra, ut ſuam inde adipiſcatur perfectionem, & majoris aliquid præbeat legentibus luminis ad univerſalem hiſtoriam intelligendam. Quod egregie ſane ab animati, atque formoſi corporis partibus ſeparatis, conjunctiſve ita lib. 1. Polybius explicat. Ac mihi quidem omnino videntur, qui per particularem hiſtoriam ſatis intelligi poſſe univerſa exiſtimant, non minus a vero deflectere, quam ſi quis, cum animati, atque formoſi corporis ſeparatas invicem partes conſideret, ideo arbitretur, ſe omnem ejus animalis operationem, atque ornatum intellexiſſe. Etenim ſi quis diſtinctas illas, ac ſeparatas partes ſumat, conjungatque invicem, & animal adhibita forma, atque ornatu animi perfectum efficiat, deinde id rurſus illis oſtendat; profecto fateantur ſe longe antea aberraſſe, ſimileſque ſomniantibus fuiſſe, quemdam enim conceptum totius, viſis partibus, facere certo licet; certam vero ſcientiam ac cognitionem ejus habere impoſſibile eſt. *Præter quam quod multa apud recentiores ſcriptores occurrunt, quorum cognitio ab antiquis hiſtoriis ita pendet, ut niſi eas probe teneamus, hanc nequaquam conſequi valemus. Annus Elephantis, quo apud noſtrum Chronographum alioſque ſcriptores Mahometi natalis dies notatur, quid ſit, nemo ſane intelligit, niſi qui vetuſta Arabum evolvit monumenta: Item, quænam ſit* æra *volatus, & alia id genus innumera. Coſroas in regem electus improviſo a ſuis interficitur, ſolum quod dixerit, dum regium imponebatur capiti diadema:* O quam anguſtum eſt hoc diadema! *Quis hæc verba ſatis occaſionis dediſſe crediderit ad illud homicidium jure patrandum, niſi hoc ab antiquis Perſarum habeat inſtitutis?*

Hæ ſunt igitur rationes præcipuæ, quæ nos ad hanc provinciam ſuſcipiendam impulerunt, ac immenſum propemodum ſubeundum laborem, eum, præter infinitas difficultates, in iis ſcriptoribus, ex quibus noſtras has eruimus, atque elaboravimus elucubrationes, nullus ut plurimum, quemadmodum illis gentibus in more poſitum eſt, cernatur ordo, nullus rerum index, nulla capitum diviſio, nulla librorum aut ſectionum ſumma, vel argumentum.

Hic benevolum Lectorem admonitum eſſe volumus, nos non omnes auctores, quibus in hoc ſupplemento concinnando uſi ſumus, laudare, ſed aliquos, & tunc dumtaxat cum

res postulat, & necessitas: catalogum tamen, & indicem illorum ad calcem Operis subjicere duximus, ut facile possit, qui vult, nostras has vigilias cum fontibus conferre. Seias adhuc horum quorumdam integra extare opera, aliorum nonnisi partem aliquam, nonnullorum tantum fragmenta. Praeterea quidam ex professo rem tractant, alii obiter, & data solum occasione. Supellectilem vero horum librorum manuscriptorum partim suppeditavit nobis celeberrima Christianissimi Regis Bibliotheca, & praeclarissimorum fratrum Puteanorum summa humanitas; partim Eminentissimi Cardinalis Mazarini mirifica Bibliotheca, quam ingentibus impensis, & cura incredibili inter tot solicitudines, quas in Gallica Monarchia regenda sustinet, congestam, atque comparatam publicis commodis consecravit; partim excellentissimi Petri Seguierii Galliarum Cancellarii dignissimi, de doctis quibusque viris optime meriti Bibliotheca; partim Bibliotheca illustrissimi Gilberti Gaulmini Equitis, & Comitis Consistoriani ordinarii, & Supplicum Libellorum in aula Magistri, linguarum omnium peritissimi, ac litterariae Reipublicae unici ornamenti: quosdam perhumanissime communicavit nobis praeclarissimus vir Nicolaus Thevenot, de studiis Orientalibus egregie meritus: alii tandem nostri sunt juris.

Porro percuntabitur tandem forte aliquis a nobis: quae fides praestanda sit Orientalibus his Auctoribus in enarranda eorum Historia, quorum longissima, ac diuturna tempora aboleverunt memoriam, effeceruntque, ut vix inter ipsos sacros conveniat Scriptores? Respondeo ea, quae de caeteris aliis scriptoribus antiquis refert Diodorus Siculus praefat. lib. 5. hisce verbis: Haud sane nos fugit, vetustissimarum rerum scriptoribus, ut in multis labantur contingere. Nam & antiquiora illa paululum subobscuram ambiguitatem praebent scribentibus: & temporum descriptio haud facilis cognitu, quandoque detrahit legentibus fidem. Heroum praeterea, & caeterorum virorum multiplex, ac varium genus non satis exquisite explicari potest. Accidit insuper, quod omnium est difficillimum, ut de antiquorum gestis scriptores inter se admodum dissentiant. *Et Historiae Romanae parens Titus Livius decad. 1. lib. 7.* Famae rerum standum est, ubi certam derogat vetustas fidem. *Plutarchus in Pericle:* Difficilis investigatu res est historia vera, cum posterioribus praeteritum tempus cognitionem rerum praeripiat: *Ad nos quod attinet, Historiam hanc nostram omni humana fide dignam esse promittimus, spondemus, nostramque obstringimus fidem, qua scilicet eam ex illorum Auctorum scriptis fidelissime decerpsimus, & congessimus: reliqua fides vero penes illos esto. Vale.*



HISTORIÆ ARABUM

PARS PRIMA.

ARABUM *res & historiæ post Mahometismum plures habuere scriptores, interpretes paucos, parumque felices; ante, scriptores paucos, interpretes nullos: ex quo factum est, ut satis tenuis, & perobscura earum ad posteros pervenerit notitia. Quamobrem de his præcipuum præsentis historiæ erit argumentum: de illis fuse dicitur in Chronologiæ notis, quamquam plura hic quoque ob dogmatum, & opinionum communionem interponenda erunt. Nec quisquam enim putet, pseudopropheta Mahometo aliud institutum propositum fuisse, quam gentibus illis in Samariam asportatis, quæ veri Dei cultui suorum Idolorum sacra permiscebant. Hoc ipsi. Mahometani testantur historiographi, & res ipsa docet, ut infra videre est, capite de religione, & institutis antiquorum Arabum. Nos autem non fama rerum gestarum ducti, neque ex iis, quæ memoriæ hominum beneficio conservata sunt, aut percontando audiendoque percepimus, hanc concinnamus historiam; sed eam quam fidelissime fieri potest, ex ipsius gentis colligimus monumentis, & discrimina quæ sese offerunt, diligentissime notamus. Nec etiam de omnibus quæstiones instituemus, sed de præcipuis quibusdam tantum, cum quod librorum copia ad id necessaria simus destituti, tum ne præter rationem crescat opus in immensum.*

DE ARABUM GENTIS DIVISIONE.

CAPUT PRIMUM.

IN *Indigenas* primum, *Advenasque* suam patiuntur gentem Arabum scriptores. Indigenæ illis vocantur, qui omnium primo regionem illam, quæ nunc Arabia dicitur, occuparunt, suasque ibi fixerunt sedes. Advenæ vero, qui multo post eo advenientes connubia, & fœdera contraxerunt, atque inierunt cum primis incolis, ac tum ipsi Arabes quoque appellati, & habiti sunt. Cujusmodi sunt illi, qui ab Ismaele Abrahæ filio ducunt originem, a quo omnes Arabes posteaquam ejus posteri regionis præcipua parte potiti sunt, Ismaelitæ aliquando vocari fuerunt, necnon Hagareni a matris Hagar nomine. De primo ita Gregorius Barhæbreus in poemate de Arabum rapinis:

Filii Ismaelis sugentes lac illud asperum.

De secundo Breviar. Maronit. de horum conquerens in Sanctos impietate: *Filii Agar pessumdederunt sancta, & disperserunt ossa sanctorum*, id est reliquias, uti præstiterunt eorum successores impietatis, qui Evangelicos vocati amant. Ex hujus progenie Pseudoprophetam Mahometum traxisse genus gentis perhibent scriptores, ut ex infra dicendis de Arabum genealogia constabit. Primi generis adhuc bipartito distinguuntur in *superstites* scilicet, atque *Baïedatas*, nempe deletos sive extinctos. Superstites illi propterea

vocantur, quia eorum cognationes & familiæ hactenus supersunt, de quibus infra de Arabum genealogia agentes dicemus. Verum isti quoque in *cives*, sive civitatum incolas discriminantur, & in eos, qui per deserta perpetuo vagantur loca nullis certis sedibus, sed sua tentoria ibi figunt, ubi res & necessitas postulant, pabula suis quæritantes armentis & gregibus, quos Strabo Scenitas appellat. Hinc patria lingua *Baduini* a *Badia* deserto dicti sunt, a Chaldæis vero & Syris in singulari numero *Barbaro*, in plurali autem *Barbroje*, filii deserti, id est deserti incolæ, & solitudinis, ut linguæ Siriacæ genius fert, & analogia. Dicitur quippe hac lingua filius hominis, pro, homo; filius iniquitatis, pro, iniquus; filius civitatis, pro, civis; filius ruris, pro, rusticanus; similiter filius deserti, pro, deserti incola; & sic de cæteris. A Syris autem ad Græcos nomen hoc βάρβαρος, quo omnibus Nationibus aliis arroganter insultant, translatum esse, haudquaquam dubitandum est, tametsi Strabo lib. 14. fictitium esse nomen hoc existimaverit cum nonnullis aliis, solum quod ejus vocabuli nulla apud Græcos comperiatur radix, nec etymologia. Ex Bajeditis autem, etsi nullæ supersint familiæ, aut cognationes, quorumdam tamen Histotiographorum studium, & diligentia ab interitu, temporisque injuria memoriam nobis vindicavit. Harum præcipue quatuor sunt, nempe Haditæ, Thamuditæ, Tasmitæ, Hodaisitæ. Haditæ referuntur ad Hadum filium Hussi, filii Aram, filii Sem, filii Noe: Thamuditæ vero ad Thamudum filium Heberi, filii Aram, filii Sem, filii Noe. Hadum mille habuisse uxores, & quatuor mille liberos, ac nepotes, pronepotes, & abnepotes usque ad decimam generationem vidisse, ferunt. Has potentissimas gentes ob criminum enormitatem, fœditatemque variis plagarum generibus perdidit Deus, & ex terra delevit. Aliæ duæ Tasmitarum, & Hodaisitarum numero, & potentia non minus celebres erant. Illi nomen, & originem a Tasmo filio Ludi, filii Aram, filii Sem, filii Noe deducunt; isti vero a Hodaiso filio Heberi, filii Aram, filii Sem, filii Noe. Utrisque ex Tasmitarum gente dudum regnarunt reges usque ad Amlukum, sub quo simultatibus & bellis extincti sunt. Causa tantorum malorum ab Auctoribus ita narratur. Dederat Masecus nobilis vir ex Hodaisitarum genere uxori nomine Hozailæ repudii libellum, quæ a domo illius egressa, unicum, quem ab ipso susceperat, filium secum abduxit: maritus illa invita & reluctante eum reducere conabatur. Res tandem ad Amlukum regem delata est, qui, cum eos minime conciliare potuisset, puerum neutri parentum tradendum pronunciavit, sed suorum servorum albo adscribendum, accensendumque esse. Mater amissi nati dolore vix consolabili commota, his versibus, quos, ubi gentium reperiebatur, occinebat, regis judicium, & iniquitatem carpebat, atque discindebat.

Regi adfuimus Tasmitarum, ut æquum referremus judicium,
At proh nefas! tyrannide justitiam commutans Hozailam delusit:
Sed quod æquum judicium reddere valet, qui judicio caret?
Sapientia qui penitus est destitutus, insipienter semper agit.
Ah mater insipiens! ab insipiente sapientiam quæris?
Ah imprudens mater! nullus nunc pænitendi relinquitur locus.

Hæc percipiens rex maximo percitus est furore & ira, statimque lata lege sanxit, ut nulla puella ex Hodaisitis ad maritum deduceretur, antequam ab illo deflorata fuerit. Salacissimi regis hæc lex perduravit, & executioni mandata est usque ad Sciamusæ cognomento Hosairæ filiæ Habadi Hodaisitarum nobilissimi matrimonium, quæ suæ ætatis puellarum formosissima erat. Hæc namque, cum ad Amlukum regem deduceretur suorum constipata turba, nullumque evadendi videret locum, suas ita deplorabat vices.

Heu! trahor ad improbum meis etiam deducentibus,
Nec miseræ virgini ullus evadendi relinquitur locus?

Cumque sequente die dimissa fuerit proprio sanguine turpissimum in modum inquinata, suorum ignaviam, ignominiamque simul his versibus exagitare cœpit.

Hodaisitis quis vilior in toto reperitur orbe?
Ita cum vestra virgine, o viri, coram etiam agitur?
Quis, præter vos, ingenuus æquo animo id patitur?
Unus dotem dat, alius coram carpit florem?
Nonne præstat ejusmodi viro, millies oppetere mortem,
Quam suam tam improbo prostituere sponsam?

Quæ, cum suos stimulo honoris incitari, & concitari animadvertisset, hos alios addidit versus provocans eos ad vindictam sumendam de tam sceleratissimo tyranno.

Ad prostibulum vestras trahi patimini virgines,
Cum viri sitis, & quidem ingenui, ac innumeri?
Proh nefas! Hosaira suo ita turpiter sanguine innatat?
Sane, si viri essemus, vos vero eolis, fusisque armati,
Nequaquam tantum ferremus, ut vos, æquo animo flagitium.
Quare pro honore aut oppetite mortem, aut perimite hostem,
Ignemque belli stimuli honoris accendite lignis;
Sin minus, patriæ vale dicitote, loca deserta petentes,
Ibique supremum cum gloria, viri, agite diem.

Quæ audiens Alasuad ejus frater, qui maximæ auctoritatis inter Hodaisitas erat, supra quam dici potest, indignatur, stimuloque pungitur honoris, & Hodaisitarum collectis ducibus ait: Quousque fortissimi virorum tanta torpebimus ignavia? Quousque Arabum nobilissimi tantam ignominiæ feremus notam? Agite, agite igitur, arma capiamus, ac pro tot, tamque horrendis sceleribus sumamus tandem vindictam, & sanguine ipso peractam abluamus maculam: luat salacissimus demum promeritam suorum criminum pœnam. His dictis, auditisque, somnum, qui tam alte profundeque illorum corda & animos occupaverat, excutiunt duces, & hortanti respondent: Tuis jussibus obsequi, & sequi exemplum præsto sumus omnes: at numero, potentia, & armorum supellectile Tasmitis longissime sumus impares, ut nec te fugit. Quibus ille: Ingenio numerus, potentia, & armorum supellex supplendæ sunt, sequimini mea consilia, victoria certa erit. Cui, Age, inquiunt. Cum itaque omnium vota sibi obstrinxisset, & firmasset præstito juramento, sequente die tamquam sororis nuptias celebraturus, maximum regi, ac Tasmitis instruxit convivium in amplissima quadam planitie, in qua Hodaisitæ ex ejus jussu sub arena sua absconderant arma, ad quod rex libenter ac lætissimus properat, Hosairæ adhuc captus incensusque amore. Frater autem ejus Alasuad ubi hostes vino madidos, & obrutos videt, suis dat signum, qui statim capris armis improviso in hostem inermem, & nihil tale suspicantem irruunt, & omnes ad ultimum pene trucidarunt. Unus ex tanta clade illius familiæ evasit Raba filius Maræ, qui ad Hasanum Arabiæ felicis regem confugiens auxilia ab illo obtinuit, demumque post multa commissa prælia cecidit ipse Raba, & Hodaisitæ extincti sunt ad ultimum, quibuscum utriusque gentis deletum est genus, unde *Bajedita* aliis Arabibus dicti sunt, nempe deleti, & extincti.

DE ORIGINE ET NOMINE ARABUM.

CAPUT SECUNDUM.

ARABES, quos indigenas vocari diximus, a Cahtano, sive ut alii scribere malunt, Jactano, filio Heberi, filii Sale, filii Cainam, filii Arphaxad, filii Sem, filii Noe, suam trahere originem, omnes, quotquot hoc tractarunt argumentum, perhibent, si Hasciamum filium Calbi, & Sciarsium filium Ca-

tami excipies. Hi quippe duo quadam Pseudoprophetæ Mahometi traditione inducti, genris originem referunt ad Cahtanum filium Hamaisahi, filii Naberi, quem Textus sacer Genes. 15. 13. Nabajoth vocat, filii Ismaelis, filii Abrahæ. Jactanum porro alium omnino faciunt a Cahtano; & hunc Chabarum nominari in libro Legis, addit filius Calbi, & uterque illum facit Auctorem Giarhamitarum gentis, Cahtanum vero incolarum Arabiæ felicis parentem. At Mashudius in Pratis aureis, & alii omnes, hæc longissime distare a veritate perscribunt, quia antiquitus, atque hactenus genus se ducere jactant a Cahtano filio Heberi Arabes, hunc pro parente agnoscunt: hæc ab antiquissimis poetis decantata sunt, nec ante hos duos ullus aliter sensit. Mahometi traditionem, qua suam illi roborant opinionem, intactam præterit Mashudius, ex quo conjiciendum est, eam vere a Mahometo prolatam fuisse, sed ille, ut falsam, ineptam, atque a veritate penitus alienam sui pseudoprophetæ reverentia silentio repudiare maluit, quam verbis, & scriptis rationibus. Jactanum autem appellari Chabarum in sacro Textu, credat, qui vult, & filii Calbi consular exemplar. Hitamus filius Hadi opinionem istorum duorum his reprobat rationibus. *Notum est*, inquit, *& a nemine Arabum negatum, Ismaelem cum sola matre Hagar in Arabiam profectum esse annum agentem decimum-quartum, sive ut alii volunt, decimum-sextum: compertissimum omnibus adhuc est, vernaculam ejus linguam Syriacam fuisse, quæ ejus parentis Abrahæ erat. At lingua incolarum Arabiæ felicis hactenus est, ut semper fuit Arabica, & quidem elegantissima, ut omnes in confesso habent; qui ergo fieri potuit, ut posteri unius hominis propriæ linguæ sint penitus obliti, & aliam invexerint, invenerint, vel didicerint multo elegantiorem, ac longe excultam, quam sit indigenarum vernacula? Nec probabile, aut simile vero est, regionem illam ad Ismaelis usque tempora incultam, & habitatoribus destitutam fuisse, ut nec ab ipsis contrariæ sententiæ auctoribus conceditur. Imo si hoc semel concessum fuerit, de eorum causa jam actum esset, quia posteri Ismaelis suam absque omni dubio conservassent vernaculam linguam, & advenis eam communicassent, quam contra, ut accidisse videmus.* Hæc ille. Hoc eodem argumento plures alii utuntur; sed ubi Ismaelis vernaculam linguam Syriacam fuisse Hitamus dicit, illi Hebræam dicunt. At hoc discrimen ad ipsam rem nihil pertinet, semper enim ratio eadem erit, atque urgebit. Juxta receptissimam igitur sententiam Cahtanus filius Heberi fuit ille, qui omnium primus eam regionem, quæ postea, ut mox dicetur, Arabia nuncupata est, ingressus, & capiti regium imposuit diadema, posterisque jura, & leges præscripsit. Mashudius, & nonnulli alii, Homairum filium Sabæ, filii Jascihabi, filii Jarab, filii Cahtani primum omnium diademate aureo in Arabia usum fuisse, scribunt. Verum hæc sententia a prima forte non discordat, quia fieri potest, quod Homairus non diadematis invenerit usum, sed ex alia materia, nempe auro fabricatus illud sit, quemadmodum alii postea, invalescente luxu, gemmas & uniones addiderunt. Cahtano extincto regni paterni suscipit gubernacula Jarab, qui regiones & provincias inter suos partiri cœpit, limites præscribere agris, jus suum unicuique tribuere, magistratus constituere ubique, cives armis defendere, hostesque arcere. Quapropter ex ejus nomine tota regio prius Jarab, dein adhibita initio dictionis ex linguæ analogia syncope, sive alleviatione, ut loquuntur, Arab incolis dicta est, & hactenus dicitur; Græci autem & Latini sua terminatione utentes Ἀραβία, & Arabia, scripsere. Syrorum tamen nonnulli vocabuli etymologiæ rationem habentes existimarunt, Arabes ita dictos esse, quia gens illa ex variarum nationum & populorum promiscuo vulgo constat, quod his verbis dictionarii Syriaci notat Auctor: *Arabes autem ita vocati sunt a commistione, & confusione ex diversis regionibus.* Equidem, utra harum opinionum verior sit, in præsens non dispuro, priorem tamen probabiliorem esse censeo, cum quia, ut plurimum prima nomina a conditoribus videntur imponi rebus, tum quia confusio illa, & populorum eo concursus illo nomine multo posterior est. Hæc ra-

tio prætetea nomenclationis aliis multis competeret, ac præsertim Ægyptiis majori jure, cum, ut fertur, sint omnium Nationum totius orbis terrarum confusa colluvies.

DE ARABUM GENEALOGIA.

CAPUT TERTIUM.

SUPERIUS jam dictum est, Indigenas Arabes suam ducere originem a Cahrano filio Heberi, a quo Jarab ortus est, & ab hoc Jascihab, a Jascihab vero Habdsciams, nempe cultor solis, qui Saba postea appellatus est, cujus cognominis causam infra referemus agentes de regibus Jaman, sive Arabiæ felicis. Is quinque suscepit liberos, nempe Homairum, Cahlanum, Amrum, Asciharum, & Amelam. A Homairo plures cognationes genus traxerunt. Prima Tatabitarum, qui dudum Arabibus regnarunt, ita vero dicti sunt a Tataba auctore Homairi primogenito. Hos Chasditæ sequuntur, quos quidam referunt ad Chasdam filium Malcchi, filii Amri, filii Maræ, filii Zaidi, filii Malechi, filii Homairi, filii Sabæ; alii ad Chasdam filium Malechi, filii Homairi, filii Sabæ. Ad eumdem Chasdam referuntur etiam Bahtitæ, & Giahamitæ, qui sunt numerosissimæ gentes longe lateque Septentrionalem Arabiæ partem occupantes ad mare urbis Geddæ usque. Jalitæ his quoque accensentur, inter quos, ac reges Hiræ maxima intercessere olim bella. Salehitæ idem cum istis agnoscunt generis principium, & originem. Diu regnarunt in ea Arabiæ provincia, quæ Syriæ contermina est, donec a Gassanirarum regibus post diuturna, atque acerbissima bella extincti sunt. Calebitæ potentissima quoque gens sunt filii Calebi, filii Vabræ, filii Thalabæ, filii Chaluani, filii Amrani, filii Alcasi, filii Homairi. Homairitarum seriem genealogiæ claudunt Nahditæ, Sakhabitæ, Hadritæ, & Sciahbanitæ.

Ex Chalano autem secundogenito Sabæ plures ortæ sunt cognationes & familiæ, quarum magis præcipuæ, atque celebriores cæteris sunt septem, nempe Azaditæ, Tairæ, Madhagiræ, Hamdanitæ, Canaditæ, Maraditæ, & Agaritæ. Azaditæ sunt filii Azad, filii Gauthi, filii Nabethi, filii Malechi, filii Adadi, filii Zaidi, filii Cahlani, filii Sabæ. Ab Azaditis sunt reges Gassanirarum, de quibus infra suo loco, & capite, qui pro auctore agnoscunt Amrum filium Mazari, filii Azadi. Eumdem Azadum parentem se habuisse jactant Ausitæ, & Chazragitæ Jatrabi, quæ postea per antonomasiam Madina, id est urbs dicta est, cives primi Pseudoprophetæ Mahometi acerrimi fautores & defensores impietatis. Ex Azaditis suam item trahunt originem Chazahitæ, Barakitæ, Dusitæ, Hatachitæ, & Gafechitæ. Chazahitæ autem ita appellati sunt, ut vocabuli Arabici etymologia demonstrat, quia seorsim a reliquis sui generis recesserunt propter Harami fluminis illuvionem, quod totam pene Arabiam felicem inundavit, atque devastavit, ut suo loco fusius dicetur; antea autem vocabantur Caabitæ ab auctore Caabo filio Amri filii Lahi, filii Hatethæ, filii Amri, filii Mazikiæ, filii Ameri, filii Harethe, filii Amrilkaisi, filii Thalabæ, filii Mazeni, filii Azadi. Sunt vero, qui arbitrantur, id appellationis, & nominis inditum illis fuisse a Templo Mechensi dicto Caaba, cujus cura, atque præfectura ipsis a multo tempore concredita erat, donec suæ gentis jus Casio Ismaelitæ utre vini vendidit Abuhitanus jam ebrius, & claves tradidit. Is excusso vino factum summopere detestatus est, ingentique affectus dolore, sed frustra; unde ejus sera pœnitentia proverbio apud Arabes fecit locum, cum aliquem intempestive sui erroris pœnitere denotare velint. Multis hac de re Chazahitas, & suum Templi Æditu̧um Abuhitanum sugillarunt carminibus Arabum Poetæ, inter quæ hoc unum est ejusdem Casii Epigramma.

Abuhitanus omnibus numeris est injustior Casio,
Quemadmodum Chazahitæ injustiores Faharitis:

Coarguitis Casium Chazahitæ emptorem,
Cur vestram, & Abuhitani venditoris non arguitis insaniam?

A L I U D.

Hactenus sua gloriati sunt Chazahitæ generis antiquitate,
Efferant jam suam ebrietatem vinique potum.
Si Templum Dei vendiderunt utre vini,
Quod illis reliquum est, amphora vendent,

Chazahitis Mostaklabitæ, quibuscum crudelissima bella commisit Pseudopropheta, adnumerantur. Barakitæ autem sunt ex filiis Amri Mazikiæ Azdensis, id nominis vero inditum illis est ex nomine montis, quem incolebant. Dusitæ porro a Duso parente nuncupantur, is erat filius Adnani, filii Abad-allahi, filii Vahrani, filii Caabi, filii Harethæ, filii Caabi, filii Malechi, filii Nassari, filii Azadi. Ad hos referuntur Horairitæ a Horairo parente ita appellati, quem alii vocant Hirum filium Ameri. Hatechitæ, & Gafechitæ sunt notissimæ, ac celeberrimæ cognationes sub Mahometismo, & Azadum pro auctore agnoscunt. Eamdem originem repetunt Gialanditæ, ex quibus sunt reges Ammonitarum, qui omnes Gialandi vocabantur, uti Pharaones, & Ptolomæi Ægypti reges, Cæsares Romani Imperatores.

Secunda cognatio ex Cahlani prosapia est Taitarum a Tajo filio Adadi, filii Zaidi, filii Cahlani, filii Sabæ. Hi fluminis Harami fugientes illuvionem sese receperunt in montem Agæum, qui in superioribus Agiazi partibus situs est, qui imposterum ex illorum nomine mons Tai vocari consuevit. Ab istis propagati sunt Giadailitæ, Nabhanitæ, Bulanitæ, Salmanitæ, Hanitæ, & Sodusitæ, quemadmodum ex Salmanitis Bogiaritæ, & ex Hanitis Ajasitæ. Ex horum genere fuit Hatemul Taita, cujus liberalitatem non solum vetustissimi Arabum Poetæ, & oratores celebrarunt, sed qui hactenus etiam scribunt, vel de liberalitate mentionem faciunt, ut suo loco dicetur.

Tertia cognatio filiorum Cahlani est Madhagitarum indito illis cognomine a Madhagio, qui & Malechus vocatur, filio Adadi, filii Zaidi, filii Cahlani, filii Sabæ. Ab istis genus ducunt Cahlanitæ, & Gianabitæ, a Gianabitis autem Moavitæ, Auditæ, & Afavitæ, ex quibus fuit Audius Afavita poeta celeberrimus. Ad Maghagium etiam suam refert originem Saadus, qui Tribus cognominatus est, quod trecentis viris ex filiis, nepotibus, pronepotibus, & abnepotibus constipatus sæpius visus est, quos suam Tribum vocabat.

Quarta cognatio est Hamdanitarum, quæ genus, & nomen trahit a Hamdano filio Rabihæ, filii Hajani, filii Malechi filii Zaidi, filii Cahlani. Hi maximæ famæ, & nominis fuerunt sub initiis Mahometismi.

Quinta cognatio est Tauritarum a Tauro filio Hosairi, filii Harethæ, filii Zaidi, filii Cahlani, qui Canaditæ quoque appellati sunt, id est ingrati in parentem, qui Taurus hoc vitio notatus est. Quandoquidem vocabulum كند *canada* ingratum esse, & beneficii immemorem apud Arabes significat.

Sexta cognatio Maraditarum appellatione dignoscitur ita dicta a Marado filio Cahlani, quæ regionem Syriæ conterminam longe lateque habitat, & ad quam referendæ quoque sunt innumeræ propemodum hujus nominis familiæ, quæ plures Arabiæ felicis occupant urbes & agros. Hi præ omnibus Arabibus genus armorum virtute, ac splendore præclarum reddiderunt, sed multo magis Christiana religione, cujus propugnatores acerrimi fuere.

Septima Agaritarum est ab Agaro filio Cahlani, quæ bifariam adhuc dividitur, nempe in Caramitas, & Begialitas; isti a Begiala, illi a Catama filiis Cahlani ita sunt nominati. Et hæc de Arabum indigenarum Genealogia, Minores gentes ab istis exortas prudenter omittimus.

Advenæ Arabes auctorem habuere Ismaelem Abrahæ ex Hagar filium, in quo eorum scriptores ab aliis non dissentiunt. Expulsa enim Hagar una cum filio in

Ara-

Arabiam concessit, habitavitque eo in loco, ubi Mecha urbs, & ejus templum postea conditum est. Videntur tamen discrepare a sacro Textu circa uxorem: is enim cap. 21. ver. 21. affirmat fuisse Ægyptiam; illi vero ex Arabibus Giarham. Sed hoc facile conciliatur, si dicamus, eam fuisse natalibus Ægyptiam, genere vero Giarhamitam. Præterea Ismael secundum illos non unam, sed plures duxit uxores. Expulsionem autem illam, & amandationem factam fuisse perscribunt agente Abrahamo annum centesimum, & Ismaele decimum-tertium, sive ut alii malunt, decimumsextum. Inde ad Mahometi Hegiram putant ipsorum Chronographi annos 2793. Ismael duodecim habuit filios, quos an ex una, vel pluribus uxoribus susceperit, ex scriptoribus non constat. Istorum quidam Nabetum, quidam vero Cedar faciunt primogenitum: ab omnibus tamen genealogiæ series, sive ut illi loquuntur, columna ex posteris Cedar contexitur; etsi prior opinio probabilior videatur, cum sacer Textus in recensendis Ismaelis filiis primo loco collocet Nabajoth, qui idem est, ac Naber Arabum. Nec parva quoque dissensio est de regno, & Templi præfectura, aliqui enim Cedar a Giarhamitis regem constitutum fuisse perhibent, præfectura sibi conservata, alii contra scribunt; nonnulli regnum & præfecturam posteris Ismaelis tribuunt usque ad quendam Nabetum æditumm, post quem præfecturam ad Giarhamitas devenisse tradunt. Hanc sententiam comprobant ex his duobus versibus Poematis Ameri filii Harethæ Giarhamitæ, quo de amissa præfectura conqueritur.

Eramus sacri post Nabetum præfecti Templi,
Circuibamusque illud, nec res controvertitur.

Itaque volunt auctores hujus sententiæ præfecturam istam fuisse penes Ismaelitas usque ad Nabetum, tum ad Chazahitas, qui Giarhamitæ ante illuvionem fluminis Harami dicebantur, devolutam, donec Casius Ismaelita illam denuo redemit utre vini, ut paulo superius dictum est. Ad genealogiæ autem seriem ut veniamus, Cedar parenti successit Hamelus, huic Nabetus, de quo mox mentio facta est, Nabeto Salamanus, Salamano Hamisah, isti Adadus, cui Adus, Ado Adnanus, Adnano Maadus, Maado Nazarus, Nazaro Massarus. Ab hi totidem cognationes originem deducunt, & cognomina. Nazarus autem alios tres liberos ex Mama uxore suscepit extra genealogiæ columnam. Primus est Abadus, qui filium habuit nomine Caabum, cujus liberalitas, & munificentia in proverbium abiit inter Arabes, itemque Caisum Arabicæ eloquentiæ parentem. Secundus Rabiha dicebatur cognomento Eques, quod ex paterna hæreditate nihil habere voluit præter generosos equos. Is duos genuit filios, Asedum, & Dabiham. Asedus genuit Giadilam, & Hansam. Ex Giadila autem orti sunt Vailitæ, a quibus Bacritæ, ac Thalabitæ. A Thalabitis genus traxit Colaibus, qui regno Vailitarum potitus, tum interfectus est a Giasaso, quapropter gravissimum, æternumque inter Bacritas & Thalabitas inflammatum est bellum. Ex eadem gente fuit Mara, cujus filius Giasasus Colaibum occidit, itemque Tarafa Tarafitarum auctor. Markiscitarum major & minor cognatio ad Bacritas referuntur, quemadmodum & Hanifitarum, ex quorum stirpe exstitit Mosailema pseudopropheta, Mahometi pseudoprophetæ æmulus. Cattanitarum familia ex Hanzitarum derivatur. Almoltameso poeta disertissimus, qui Almoltamesitarum genti nomen dedit, parentem habuit Dobaiham filium Rabihæ. Namritæ porro, Lahemitæ, Hagilitæ, & Hadalkisitæ originem deducunt ab Asedo filio Rabihæ, & ab hoc Sadusitæ, & Lahzamitæ. Tertius Nazari filius fuit Anmarus Anmaritarum parens, qui relictis sedibus in Arabiam felicem secessit, hacque de causa ejus regionis incolis ipsius posteri adscripti sunt. Massaro autem filio Nazari, qui genealogiæ constituit seriem & columnam, natus est Elias secundum eamdem seriem, extra illam vero Caisus cognomento Hilan, cujus ratione quidam arbitrati sunt, hoc nomen esse parentis, alii ejus equi generosissimi, nonnulli ejus canis, quidam demum illius fratris. Ex hoc autem Caiso innumeræ propemodum ortæ sunt cognationes & familiæ, inter quas principem locum obtinent Havazini-

tæ, a quibus Sahdiræ auctore Sahdo filio Bacri, filii Havazeni, filii Caisi. Ex hac gente fuit Halima Sahida celeberrima inter omnes Arabes, quod ab illa suxerit lac monstrum illud ad totius orbis perniciem natum, & educatum pseudopropheta Mahomerus. Caisum auctorem quoque agnoscunt Calabitæ, a quibus Salehitæ filii Salehi, filii Merdasi, filii Caisi: item Hokailitæ, unde Mokladus, Karvasus, aliique Mausali reges. Ex eadem stirpe trahunt genus Hametitæ, Sahsahitæ, & Chafagitæ, quos ad suam usque ætatem regnasse Harakitis scribit Ismael Sciahinsciah. Eamdem reperunt originem Rabihitæ posteri Rabihæ filii Ameri, filii Sahsahæ, filii Moaviæ, filii Bacri, filii Havazeni, filii Mansuri, filii Hacramæ, filii Hassi, filii Caisi Hilan. Ex Havazinitis orti sunt Giasceemitæ filii Giasceemi, filii Moaviæ, filii Bacri, filii Havazeni, ad quos Dodtaitæ referunt genus. Item a Caiso trahunt originem Halalitæ, Takaifitæ, Ghiritæ, Bahelitæ, Mazanitæ, Hatfanitæ, Habsitæ, Antaritæ, Asciginæ, Salemitæ, Dabianitæ ad quos genus refert Nabega poeta præclarissimus, Zararitæ, Hossainitæ, ita nominati a Hohaino ipsorum parente viro munificentissimo, & in litteratos viros liberalissimo, quem Zohairus Arabum poeta illustrissimus non aliter suis versibus celebravit, quam Horatius Mecœnatem, inter quos hi duo versus plurimum commendantur.

Quem vides exultantem, cum illum adis,
Ac si dare ipsi velles, quod ab illo petis.

Sunt quoque ex Caisitarum genere Haduanitæ, & Asbaitæ ab Asbao parente, & non vulgari poeta isti dicti, illi a Hadnano. Eliæ autem natus est juxta genealogiæ seriem Madraca, extra vero Tangia, quorum uterque a matre Candace sibi indidit cognomen, seseque Candacitas appellarunt, patris nomine omisso. Tangia autem genuit Tamum a quo Tamimitæ, itemque Rabahum, & Dabbam a quibus Rabahitæ, & Dabbabitæ nuncupati sunt. Mazianitæ quamvis originem duxerint ab Amro filio Adi, filii Tangiæ, ita tamen appellati sunt a Maziana filia Calebi, filii Vabræ eorum matre. Porro Madraea procreavit Hozaimum juxta genealogiæ seriem, præter seriem vero Hodailum a quo Hodailitarum plures exortæ sunt cognationes, & rami varii. Ex horum stirpe prognatus est Abdalla filius Masshudi unus sociorum pseudoprophetæ Mahometi, & Abudovaib elegantissimus poeta. Hozaimo autem natus est Cananus secundum genealogiæ columnam, præter illam vero Alaunus, & Asedus. Alaunus genit Hadaium parrem Hadalitarum, & Daisciam auctorem Daiscitarum: utraque tamen cognatio Caritarum nomine appellari consuevit. Ab Asedo orti sunt Cahelitæ, Dudanitæ, & cognationes aliæ quamplures, quæ omnes generico nomine Asediræ vocantur. Cananus juxta genealgiæ columnam procreavit Alnadhrum, præter illam vero Maleanum, Amrum, Amerum, Abdmnahum, & Malechum. A Malcano exorta est Malchanitarum familia, & gens. Abdmnaho vero plures nati sunt filii, ex quibus Bacrus Baeritis, & Afarus Afaritis nomen dederunt. Baero autem Daila procreatus est, a cujus nomine Dailitæ sunt nuncupati. Item ab eodem proavo originem traxerunt Laithitæ, Harethitæ, Madlegitæ, & Damaritæ, quemadmodum etiam ab Amro filio Canani Amritæ, & ab Amero Ameritæ. Malechus autem suam gentem a nomine filii Pharascitam appellare maluit, quam a suo Malechitam. Ex Cananitis ortum quoque habuerunt Abesitæ Nubiæ incolæ: At nemo arbitretur, inquit Ismael Sciahinsciah in historia Gentium, ob nominis affinitatem, vicinitatemque regionis hos eosdem esse ac Habesitas, sive ut alii scribere malunt, Habessinos Æthiopiæ habitatores. Quidam hic existimant Alnadhrum filium Canani eumdem esse atque Coraisceium a quo Coraisceitæ Mahometi pseudoprophetæ cognati, & hostes, dicti sunt. Verum probabilius alii putant, Coraiscitas esse ex filiis Fahri, filii Alnadhri, in quam sententiam ire videntur meliores auctores; sed de causa, cur inditum sit illis id nominis non conveniunt. Nam eorum aliqui Fahrum ideo ita vocarum fuisse asserunt, quod animal quoddam marinum amphibium nomine قرش *Coraſc*, ferox, ac non solum cæteris animantibus, sed ipsis homi-

nibus latis formidabile peremisset. Sahidus vero Africanus, ac nonnulli alii apud illum non ipsi Fabro dictam mox ob causam nomen hoc impositum fuisse, sed toti Fahritarum genti tempore Casii Fahritæ, cum claves & præfecturam Templi utre vini abs Abuhitano Giarbamita ædituo redemerat. Isquippe hinc inde variis in locis dispersos collegit Fahritas, & ad antiquum jus suæ gentis potiundum invitavit, qui eo accurrentes, opemque gnaviter ferentes Cbazahitas Mecha expulerunt, ac urbem & Templum in suam redegerunt potestatem; unde ex Casii facinore nomen inditum illis est, namque verbum Arabicum قرش *Carascia* hinc inde colligere significat. Fahrus autem tres suscepit liberos, Galebum secundum genealogiæ columnam, præter illam vero Moharebum, & Haretham: hic Harethitis, ex quibus orti sunt Chaligitæ, ille Moharabitis nomen dedit. Galebo autem secundum genealogiæ seriem Levi natus est, extra illam vero Tamimus cognomento Adram, nempe *barba diminutus*, unde Adramitarum gens orta est. Levi quidem secundum seriem genealogiæ Caabum procreavit, præter illam vero alios quinque; nempe Saadum a quo Saaditæ, Chozaimum a quo Cbozalmitæ, Amerum a quo Ameritæ, Asamum a quo Asamitæ, Haretham demum, qui nullam reliquit prolem. Ex Ameritis originem ducit Amrus filius Abdudi, qui Equitum Arabum fortissimus & præclarissimus habitus est: tamen occisus fuit in singulari certamine ab ejus nepote Ali filio Abitalebi, quod iste Mahometi pseudoprophetæ, ille Coraiscitarum suscepisset partes. Caabus autem genuit Maram secundum seriem genealogiæ; extra illam vero Adidum, & Adium, qui posteris nomen e suo nomine indiderunt. Ex Adidi stirpe suborti sunt Giamihitæ, unde Amia filius Chalafi Mabometi pseudoprophetæ hostis omnium acerrimus, itemque Abius ejus frater, qui non tepidiori odio in eundem flagrabat. Ejusdem quoque Adidi stirpis sunt Sahamitæ, a quibus genus trahit Amrus filius Alasi ducis exercitus Hothmani filii Haffani, qui Ægyptum, & pene totam Syriam armis expugnavit, & Arabum subdidit imperio. Ad eandem gentem per Adium filium Caabi refert genus Homarus filius Alchottabi, qui tertius a Mahometo Arabibus regnavit. Mara autem genuit secundum genealogiæ columnam Calabum, & extra Taimum, ac Jakda: a Taimo Taimitarum gens denominata est, a qua suum genus agnoscunt Abubacrus, ac Tabha, ille Mahometi socer, & successor, iste unus e decem sociis. Jakdæ posteri Mazchumitæ dicti sunt, cujus appellationis mutationis nullam afferunt scriptores causam. Calabo Casius natus est secundum genealogiæ columnam, extra vero Zahram, a quo Zahritarum gens originem & nomen habuit. Ex Zahritarum stirpe ortus est Saadus filius Vakasi unus e decem pseudoprophetæ sociis, Amena ipsius Mahometi mater, & Adarrahmanus filius Haufi vir maximi nominis, & auctoritatis inter Arabes sub ipsis Mahometismi initiis. A Casio natus est Abdmnafus juxta genealogiæ columnam, extra vero Abdaldarus, & Abdalazius. Abdaldarus autem genuit Scibam, & Nassarum, a quibus Scibitarum, & Nassaritarum genti nomen impositum est. Ex posteris Abdalazii ortus est Alzabirus filius Hauvami unus e decem sociis, nec non Chadigia filia Chovailedi pseudoprophetæ uxor, imo Divitiarum auctor, unde machinationum, audaciæ, ac scelerum omnium fons emanavit, & conceptæ mariti fraudis & consiliorum adjutrix, & præsidium firmissimum. Hinc ille gloriari solitus erat passim hæc verba in vulgus jactans: *Adami uxor ejus malorum causa exstitit, & calamitatum; mea vero meorum bonorum, & fælicitatis*. Ab eodem Abdalazio genus ducunt quoque Varakitæ, nomine ipsis indito a Varaka filio Naufeli, filii Azedi, filii Abdalazii, filii Casii. Abdmafus autem genuit Hascemum secundum seriem genealogiæ, extra vero Abdsciames, Motlabum, & Naufelum. Ex Abdsciames originem trahunt Omaytæ, ab Omaya matre ita nuncupati, ad quam suum genus referre maluerunt, quam ad patrem, ob mulieris præclarissimas virtutes, virilemque in rebus agendis animum. Ex hac gente orti sunt Hothmanus filius Haffani quartus a pseu-

doprophera Calipha, Moavia quatuordecim Calipharum parens, Sahidus, Hakaba, Hataba, & alii viri apud Arabes præclarissimi. Motlabitis autem & Naufelitis cognomina dedere auctores Motlabus, & Naufelus filii Abdmnafi. Hascemus porro suscepit unum Abdalmotlabum, cui secundum genealogiæ seriem Abdalla natus est, qui tam horrendum, perniciosum, & immanissimum peperit orbi terrarum monstrum, nempe pseudoprophetam Mahometum. Atque hic scelestissimæ gentis claudat genealogias. De illius autem natalibus, educatione, rebus gestis, vitiis, fraudibus, lege Alcoranica, & septuaginta trium sectarum inde exortarum variis opinionibus fuse dicemus in nostris notis ad orientalem Chronologiam, ubi de libero arbitrio, de prædestinatione, ac ejusmodi aliis perpluribus, modo Lutherum, modo Calvinum, modo alios nostri temporis Hæreticos loquentes comperies, & per suos blasphemantes prodromos.

Advertendum hic obiter est, Africæ incolas, quos barbaros vulgo vocant, suam quoque ad Cahtanum referre originem deductam per Africum filium Sighæ Homairitæ, a cujus nomine tota regio Africa dicta est, uti perhibent, & non ab Aphro uno ex posteris Abrabæ, ut quidam scribunt. Ismael Sciahinsciah, & alii censent ex posteris Canaan hos barbaros esse. Quicquid sit, quatuor sunt inter innumeras has gentes cæteris illustriores ac nobiliores, quæ perpetua traditione suam originem a Cahtano agnoscunt, atque celebrant. Principem locum obtinet gens Cbetamitarum, quæ in promovendo Fatemitarum imperio, qui sunt posteri Ali ex Fatema Mahometi pseudoprophetæ filia, unde nomen acceperunt, nullum non movit lapidem. Proxime sequitur Sanbagitarum, qui suo imperio totam Africam aliquando subdiderunt. Ex hac gente ortus est Mahometus filius Davidis Sanhagitæ Grammaticæ Arabicæ, quæ *Agirumia* inscripta est, auctor notissimus & celeberrimus. Tertium ordinem, & gradum occupant Zanatitæ, ex quibus orti sunt reges Talemsani, & Salgiamasæ. Isti arte, & equitandi peritia, nec non magnanimitate inter omnes barbaros sunt celebertimi. Massamaditæ Duni montis habitatores sequuntur. Isti patres Almohdi filii Tiumurti prius susceperant, dein regnarunt illis Abdalmumen, & filii ejus donec Calipha in occidente proclamatus est Abuzacharias Jahia filius Abdalvahedi, filii Abihaffi ex eadem gente Massamadita, cui successerunt in eadem dignitate filii, nepotes, pronepotes, & abnepotes usque ad annum 652. Hegiræ.

His quatuor principibus barbarorum nationibus aliæ viginti-quinque accensentur, quæ eamdem originem repetunt, nempe Dharabitæ, Masilitæ, Mandaritæ, Abdranitæ, Vaccbumitæ, Nakritæ, Naktavitæ, Rajuhitæ, Vatdasitæ, Satmatitæ, Havaritæ, Lavatitæ, Mazatitæ, Sadzatitæ, Basainitæ, Madiunitæ, Zathunitæ, Calamitæ, Autitæ, Hatitæ, Valitrinitæ, Mankrasitæ, Sciamsuritæ, Arklanitæ, Maresitæ. Horum omnium ut unum genus principio fuit, ita & una olim origine lingua, sed tot dialectos temporis successu peperit, ut nisi adhibito jam interprete sese intelligere nequeant. Arabum more sub dio habitant, vel sub tentoriis, ac ut Scenitæ Arabes vagi eo domicilia transferunt, quo aquæ, & pabula alliciunt, atque invitant. Tam adversus istos, quam vagantes Arabes passim per totam Africam Romanorum Imperatorum in silicibus, marmoribusque Romana lingua, & characteribus insculpta hactenus visuntur edita, quibus variis sub pœnis inhibetur, ne vagam illam, errantem, incertamque agant imposterum vitam.

DE ARABUM STUDIIS

ANTE MAHOMETISMUM,

CAPUT QUARTUM.

ARABES, qui Mahometo nomen dederunt, & vexilla sunt sequuti, suæ gentis homines anterioris ætatis, qui ante Mahometismum vivebant, passim appellare, consuerunt, sæculi ignorantiæ Arabes. Ex quo inferunt nonnulli, qui Arabum historias e limine vix salutarunt, aut ipsos titulos legerunt, hos populos priscis illis temporibus profundissima, atque densissima scientiarum omnium ignorantiæ caligine obrutos, sepultosque fuisse. At profecto qui gentis Auctorum paulo diligentius evolvit monumenta, qui penitius instituta novit, facile deprehendet, apud hos haudquaquam sermonem esse de scientiarum inscientia, sed de veri Dei, ejusque cultus debiti ignoratione. Id autem ita se habere, ex eo plane patet, quod hoc ignorantiæ titulo, & appellatione non suos dumtaxat antiquos designant Arabes, verum etiam ejus ætatis Chaldæos, Syros, Ægyptios, Græcos, Latinos, & si qui alii sint, qui olim scientiarum studio, & nomine claruerunt. Atque adeo hac nomenclatione, ex communi gentis loquendi usu intelligunt eos, quos Gentiles, sive Ethnicos nos appellare solemus. Dictionarii historici auctor, necnon Calepinus, nescio a quibus scriptoribus in dictione *Canan* id peculiariter tribuunt Arabibus; hæc sunt verba: *Canan dicta est Arabia a Cam, qui in ea consedit, a qua Cananei: Hæc fuit prima gens, quæ Deum ignoravit: quia princeps ejus, & conditor cultum a patre non accepit, maledictus ab eo itaque ignorantiam divinitatis minoribus reliquit.* An autem Arabia dicta sit Canan a Cam, & an is Arabum fuerit princeps, & conditor, non est præsentis loci discutere, quia Arabes indigenas a Cahtano habuisse originem, advenas vero ab Ismaele supra abunde visum est; nisi velint Auctores isti nomine Arabiæ intelligere illam Syriæ provinciam, quæ prius a Canaan filio Cham Cananæa dicta est, tum a Judæorum gente Judæa nuncupata. In hac quippe provincia non solum divinitatis ignorantia, sed criminum etiam, ac scelerum omnium enormitas suam tamquam in regia posuisse sedem videntur, ut ex sacris Litteris luce clarius patet, quamobrem regionis illius pars aliquando igne conflagrata est, reliquum vero armis deinde deletum, quod Arabibus minime accidit. Quicquid sit, certum enim est, eam ignorantiam intelligendam esse de ignorantia Dei, ac ejus debiti cultus, quæ Arabibus cum aliis gentibus communis erat.

Cæterum, quod iis etiam priscis sæculis Arabes neque ingenii acumine, neque genio, amore, aut propensione in scientiarum studia ullis aliis cederent, argumenta duo liquido persuadent. Alterum colligitur ex Auctorum ejus sæculi scriptis, & monumentis, quæ hactenus posterorum teruntur manibus, atque ab junioribus passim citantur, & laudantur. Atque adeo, si credimus isti, si ea monumenta illorum sunt Auctorum, sub quorum nomine, ac titulis circumferuntur, certe non minus excelluerunt in studiis Philosophiæ, Astronomiæ, Astrologiæ, Medicinæ, Poesis, Oratoriæ, aliarumque disciplinarum antiqui illi Arabes sæculi ignorantiæ, quos vocant, quam sub Mahometismo juniores. Historiarum quoque, & Chronologiæ haud ignari erant, tametsi antiquorum omnium more illas fabulis aliquando, & superstitionibus temperarent, quia ut plurimum a Poeris historiæ hujusmodi conscribebantur. Ut autem constet, quanto ingenii acumine, vi, & perspicacia gens illa pollebat olim, hic unum aut alterum ex illius temporis Poetarum carminibus specimen afferendum est. Zohairus itaque Poeta, de quo supra in cap. de Arabum genealogia mentio facta est, celebrans Hossaini principis viri in litteratos homines munificentiam, & liberalitatem,

inter cætera hos duos edidit versus, quos elegantiæ, & acuminis nomine tota posteritas commendavit.

Quem exultantem vides, cum illum adis,
Ac si dare ipsi velles, quod ab illo petis,

Idem reprehensus aliquando ab uxore, & consanguineis, quod sua bona, quibus principum liberalitate donatus erat, profunderet quodammodo, atque prodigeret in viros eruditos, doctos, atque paupertate oppressos, ita eleganter respondit.

Nos donant suis liberales tam largiter bonis,
Et nos liberalium his utemur sordide bonis?

Ejusdem quoque esse fertur hoc distichon, quo ostendit dolorem, & gaudium invicem innasci, nec non pro laborum qualitate præmium nos consequi.

Nonne vides terram suis floribus nunquam melius ridere,
Quam quando cæli largius irrigatur lachrimis?

Nabega Dabianita, de quo etiam supra, seculi ignorantiæ poeta, multa edidit omnis generis carmina, quæ hactenus occiruntur inter Arabes, nec minoris elegantiæ ab illis æstimantur, quam Horatii, Martialis, aut alterius hujus notæ apud Latinos Poetæ. Is cum a quodam amico vulgari, & inepto Poeta, quem adhortatus erat, ut vel diligentiorem carminibus componendis navaret operam, vel penitus ab hac arte desisteret, audivisset:

Melius est, amice, cum Lusciniarum canere postrema,
Quam cum primo vespertilione totam obmutescere diem.

Hoc alio disticho ejus ignaviam belle retudit:

Nonne vides, amice, gladii plurimum decedere pretio,
Cum dicitur, is gladius est multo melior virga?

Idem lepidi hujus epigrammatis in Æthiopem principem quendam nigerrimum jaculati, qui subjugata Arabia candidam, speciosissimamque puellam ejus regionis sibi in matrimonium conjunxit, auctor fuit:

Vidi Æthiopem atræ simillimum nocti,
Candidam amplexibus stringentem puellam,
Cui dixi: Heu nequam! naturæ ne ordinem pervertas,
Albæ diei conjungens nigerrimam noctem.

Infinita sane alia id genus afferre possemus, nisi hoc esset præter institutum, & extra lineas longius prosilire. At quantum nativi leporis, elegantiæ, & acuminis his versibus in alienam linguam versis decedit, illi probe norunt, qui in hoc scribendi genere desudarunt aliquando.

Sed occurret forte hic nonnemo, objicietque nobis ex Sahedo Andalusio, Gregorio Barhebræo, & aliis, qui suis scriptis testantur, Arabum ejus seculi, cui ab ignorantia inditum est nomen, studia fuisse tantum circa suæ linguæ cultum, poesim, simplicium medicamentorum usum, quibus suis mederentur morbis, necnon Astronomiam, sed præcipue circa astrorum ortus, & occasus cognitionem, ut inde suis gregibus, & armentis maturius consulere possent.

Non inficiamur; sed hos loqui de iis Arabibus, qui perpetuo cum suis pecudibus vagantur, non autem de civibus, & urbium dibus vagantur, non incolis, apud quos litterarum studia summopere colebantur, planum est. Quinimo ex hoc uno facile arguitur quantus fuerit horum genius, & amor erga scientias etiam in eo statu, & rerum conditione, in quibus aliæ gentes brutis haud sunt multo absimiles. Verius profecto Peripatetici isti dicendi erant, quam ii, qui in Aristotelis verba juraverunt, cum perpetuo ambulantes philosopharentur, & peripatetice.

Rursus is, aut aliquis alius objectabit: Quæ fides junioribus Auctoribus hæc de antiquis illis referentibus tribuenda est, quæ ratio hæc persuadet, aut quodnam argumentum evincit, ea monumenta, quæ hactenus extant, & sub eorum circumferuntur titulis, & nominibus revera ipsorum fuisse?

Respondeo, eadem fides, eadem ratio, idemque argumentum, quæ persuadent,

& convincunt, ea monumenta, quæ ſub nomine Diodori Siculi, Herodori, Titi Livii, Cornelii Taciti, Platonis, Ariſtotelis, Ciceronis, Maronis, Horatii, Naſonis, & aliorum, ipſorum eſſe. Non video enim cur potius hæc iſtorum eſſe dicenda ſint, quam illa illorum, cum utraque nonniſi humana fide, & gentilium traditione talia habeantur, adeoque hoc quod attinet, utriuſque par ratio erit.

Alterum ſuppeditat nobis argumentum Reginæ Sabæ exemplum, quam Arabum eſſe Reginam infra de Regibus Arabiæ felicis ſcribentes fuſe oſtendemus, quæ audita fama, & ſparſo de Salomonis ſapientia rumore, ſtatim relictis ſedibus, & regno, rebuſque omnibus poſthabitis, eo convolavit, cum ut ſapientiſſimum Regem tentaret ænigmatibus, qui erat antiquorum philoſophandi familiariſſimus modus, tum ut ejus ſapientiam ex ore exciperet. Quæ quidem perdiſcendi cupiditas ſi in fœmina tanta fuit, in viris quanta eſſe debuerat? Sed quoniam hæc ex mox proponendis quibuſdam quæſtionibus clarius pateſcent, illis modo ſuperſedere duximus.

DE ARABUM MORIBUS ET INSTITUTIS.

CAPUT QUINTUM.

ARABES Scenitæ, de quibus ita Solinus: *Scientiæ cauſam nominis inde ducunt, quod tentoriis ſuccedunt, nec alias domos habent.* Eadem Plin. lib. 6. cap. 28. المخيمة *Almochajamato*, nempe tentoriis utentes vernacula lingua ſe ſe appellant. Horum mores ſic deſcribit Ælianus. *Omnes*, inquit, *pari ſorte ſunt bellatores, ſeminudi, coloratis ſagulis pube tenus amicti, equorum adjumento pernicium, graciliumque Camelorum per diverſa reptantes in tranquillis, vel turbidis rebus. Nec eorum quiſquam ſtivam apprehendit, vel arborem colit, aut arva ſubigendo victum quæritat: ſed errant ſemper ſine lare, ſine ſedibus fixis, aut legibus.* Quamvis autem mortalium extiterint furaciſſimi, atque hactenus ſint latrociniis, ac prædæ, & rapinis jure quodamodo hæreditario dediti ſſimi, nemini tamen inter ſpoliandum, rapiendumque mortem inferunt, ſi ipſorum is ceſſerit conatibus. Affirmant quippe, homines omnes fratres eſſe, ac ab eodem prognatos parente, adeoque nefas eſſe, fratres injuria afficere gravi, aut interficere. Quæ autem rapiunt, ſua eſſe aſſerunt, quæ abs eorum manu ſuo utentes jure vendicant, qui ſibi injuſte illa uſurpatunt, cum communis parens nullam bonorum inter filios fecerit diviſionem, ſed potentiores ea ſibi aſciverunt, atque injuſte arrogarunt. Ex facinore dicti ſunt antiquitus *Sabæi*, id eſt raptores, furaces, ſpoliatores, prædarores, & ejuſmodi, ut infra de regibus Arabiæ felicis agentes dicemus, & demonſtrabimus. Ab iſtis ad Iſmaelis poſteros idem nomen derivatum fuiſſe exiſtimo, quia conjunctis inter eos connubiis mores quoque communes facti ſunt, etſi diverſus auctor. In eadem ſignificatione utroſque Saracenos dictos fuiſſe a verbo Arabico سرق *Saraca*, nempe *furatus eſt*, quidam arbitrantur, inter quos Joſephus Scaliger in animadverſionibus ad Chronologica Euſebii n. LXXXVIII. Ingenioſe magis ſane hoc nomen inde deducitur, quam vere, quia qui *Saraceni* aliis nuncupantur, ipſis Arabibus vernacula lingua appellantur سرخشا *Sarachaſe* ab regione ejuſdem nominis, quam Saracam Stephanus vocat, & Arabiæ partem facit, quæ reliquis Arabibus nomen aliquando dedit. De his ita Amianus lib. 22. *Et Scenitas prætenditur Arabas, quos Saracenos nunc appellamus.* Hoc quidem haud inſuetum eſt, vel novum, quia paſſim videmus vel ex facinore aliquo, vel ex gentis alicujus claritate, aut armorum potentia, & ſplendore unam nationem, vel provinciam nomen aliis indere. Quam ob cauſam Europæi pene omnes Franci orientalibus vocantur, Hiſpani ſint illi, vel Itali, Germani vel Angli. A Sara ita dictos eſſe, ut alii putant, perridiculum haber mox laudatus Scaliger. *Hoc modo*, inquit, *oporteret aut a Sara*

Saræos dictos, aut uxorem Abrahami non Saram, ſed Saracam dictam fuiſſe. Sententia veriſſima eſt, non item rationes, quibus fulcitur, quia non Græcæ aut Latinæ Linguæ ſpectanda eſt analogia in ejuſmodi formationibus, ſed ejus unde facta eſt derivatio. Sæpius enim Arabes nomina peregrinæ linguæ non ſolum ſervilis alicujus litteræ additione, vel permutatione, aut rejectione, ſed radicalis etiam ad Arabicam pronunciationem euphoniæ gratia accommodant: quam figuram, ſi mutatione, aut rejectione fit, vocant التخفيف. *Altachfif*, nempe *alleviationem* Grammatici; ſi vero adjectione التعريب *Altahribo*, id eſt *Arabizationem*. Atque adeo nomini Sata, ut alienæ linguæ, per illam fignram addere facile poterant litteram C. unde hoc aliud formabitur Saraceni, quemadmodum ex hoc nomine خند *Chanda*, faciunt خندق *Chandac*, & ab hoc Chandacitas. Ejuſmodi plura paſſim occutrunt. Equidem hoc ideo perridiculum eſſe ego exiſtimo, quia Scenitas Arabes neque ad Satam, neque ad Abrahamum ullo modo ſpectant, vel ullam habenr relationem, uti ex hactenus dictis planum eſt. Poſteros vero Iſmaelis Agarenos potius ab Agat, quam Saracenos a Sara matris expultrice dicendos eſſe omnis ratio perſuadet. Sunt etiam, qui exiſtimarunt, Saracenos nominatos eſſe ex nomine Sergii Monachi, quod ita Arabice pingitur سركيس *Sarchis*; quemadmodum ex nomine Mahometi Mahometanos, quod iſte Alcoranicæ Legis conditor extiterit, & pſeudoptophetæ machinationum, & conſiliorum non ſolum promotor, ſed princeps auctor. Vetum opinio hæc omnium petridicula eſt, quia multo ante Sergii & Mahometi tempota id nominis Arabibus triburum eſſe, apud Ptolomæum, Epiphanium, & alios legimus. Imo Onkelos capite 37. Geneſ. ubi in Hebræo וישמעאלים Iſmaelitæ, vertit סרקאי Satacenos.

Hoſpitalitatis officiis nullis mortalium cedunt; hoſpitibus integram inviolatamque ſervant fidem, ita ut horum ſaluti, & bonis, non ſolum ſua bona, ſed vitam ipſam poſthabeant. Inviolabilis amicitia cum illis tunc quis contrahit, quando ſemel cum iis panem comederit, quod inviolatum amicitiæ jus vocant jus panis & ſalis; quod autem imminuere, aut quopiam lædere modo, ſumma religio ipſis eſt. Jus præterea ejuſmodi, ſive amicitiæ fœdus in amicotum etiam amicos diffunditur; hinc maximum nefas ducunt, aggredi viatores, aut ſpoliare, ſi quis repertus fuerit in toto comitatu hujuſcemodi amicitiæ fœdere obſtrictus, adeoque unius gratia omnibus parcunt. Neminem in ſua juriſdictione lædunt, aut injuriam ab ullo alio inferri patiuntur. Dictis ſuffragatur Joannes Textor in ſua Officina, parte prima de Populorum moribus, hiſce verbis: *præter cæteros mortales fidem ſervant inviolatam*. Unde ſatis admirari non poſſum, cur homines barbaros, truces, refractarios, ſceleratos, perfidos, ac infidos Arabes appellemus, cum inter nos habeamus multo pejoris notæ, inhumanos, fetos, immanes, & attoces. Nam illi aggrediuntur viatores, hoſpites adoriuntur iſti; illi bona diripiunt, iſti exiſtimarionem multo bonis omnibus cariorem infamare impuriſſimis libellis conantur; illi datam ſemel fidem inviolate ſervant, iſti eam nihili habent, & quando lubet frangunt, & peſſundant, ac omnia invidiæ, iræ & bili concedunt, atque multo pluris inauditæ ſuperbiæ; illi paternis inſtitutis latrocinantes inſiſtūnt, iſti ab avia, atavaque generoſitate degenerantes turpiter, ſolum antiquorum ſuotum virtutes thraſonice jactant. Sed quid? unius maledicentiſſimi pecudis ratio habenda eſt in ipſius humanitatis imperio ac ſede, quod tot querelis anſam dedit, & occaſionem? minime vero. Quidni enim, ſi inter innumeros omni virtutum genere ornatiſſimos, & humanitatis nota atque officiis præclariſſimos unus verbis, opere, & viſu compertus fuerit verius Arabs, qua vulgo barbari, & immanes iſti habentur, quam Francus, nempe humanus, affabilis, urbanus, hoſpitalis, φιλανθρώπος, omniumque virtutum, probitatis, integritatiſque hoſpes? Hæc omnia in Gallia hoſpitari nemo neſcit, niſi in orbe hoſpes.

Seniores ſumma in veneratione habent Arabes, quare cauſas, liteſque illis decidendas, aut componendas deferunt, nec ab illorum judicio recedere, vel

pro-

provocare fas esse existimant, nec alios agnoscunt judices, aut magistratus. Hinc senectutis nomen summi honoris apud illos est, ut apud reliquos Orientales. Quamobrem qui sacris sunt initiati, hoc insigniuntur titulo, ex quo senectutis, sive Presbyterii nomen pro ipsa sacerdotali dignitate aliquando accipitur, aliquando pro honoris titulo, tunc vero est maxime genericum, ac non solum iis, quos vulgo presbyteros, sive sacerdotes vocamus, sed etiam illis, qui superioris, aut inferioris ordinis sunt, tribuitur, ex quo inferunt perduelles, qui omni ordini, & religioni bellum indixerunt, sacrorum ordinum æqualitatem, omnia susque deque confundunt. At de hoc fuse egimus in responsione ad Eutychium Seldeni.

Pauci sunt contenti Arabes, ac satis tenui victu, qui ut plurimum est ex carnibus, & copia lactis. In vinum tamen, & ebrietatem maxime erant effusi tam civitatum accolæ, quam Scenitæ, quoties occasio sese ipsis offerebat. Quosdam ex illis ad interitum usque bibisse, & ingentia hausisse pocula apud Arabes Auctores legimus; quinimo hoc mortis genus familiarissimum ipsis erat, & desperatorum dulce venenum. Inter insignes, ac præclaros viros, qui vini potu extincti sunt, fuit Zohahirus princeps vir, cum se a suis jam senior contemni videret, item Amrus filius Calthumi, Abu-amrus, & Malahebus, ut apud Ismaelem Sciahinsciah in Historia Gentium, & Mahometum filium Sabanæ in suo Chronico legere est. Abuhitanus Giarbamita Templi Mechensis æditaus, & præfectus eadem bibacitate allectus, ejusdem Templi claves, & suæ Gentis jus utre vini vendidit Casio Coraiscitæ, ut in cap. de genealogia dictum est. Hæc & similia locum & occasionem Pseudoptopbetæ Mahometo dederunt, vini, ac omnium eorum, quæ ebrietatem inducunt, interdicendi usum.

Matrimonia in omnibus gradibus contrahebant olim Arabes præterquam cum matribus, & filiabus; sed omnium turpissimum ducebant contrahere cum duabus sororibus, aut ea quæ aliquando patris fuit. Qui autem ejusmodi matrimonium contraxerit, *Alcatrabo* vocabant, scilicet incubum, illumque dæmonum accensebant numero. Nihilominus Michael Villanovanus ad sextam tabulam Asiæ Geographiæ Ptolomæi de illis ita scriptum reliquit: *Coeunt cum matribus & sororibus pecudum ritu*. Gregem uxorum facultates & bona præscribebant, ut omnes Arabum tradunt Auctores: Strabo tamen lib. 16. & ex Strabone alii affirmant, unam omnibus consanguineis fuisse olim uxorem, itemque cum sororibus eos contrahere. Porro hoc de unius uxoris communitate falsum esse, auctorum Arabum testimoniis plane constat. Ut testes enim sunt locupletissimi Ismael Sciahinsciah in *Historia gentium*, Mashudius in *Pratis aureis*, ac alii permulti, Mahometus Pseudopropheta nihil prorsus immutavit ex Arabum antiquorum ritibus, institutis, moribus, aut persuasionibus, nisi ea, quæ ad fidem in Deum unum pertinebant, & quædam alia perpauca, de quibus in Alcorano, cætera intacta præteriit. Atqui de hujusmodi communi uxore pluribus consanguineis nulla mentio habetur apud illum, nulla approbatio, vel improbatio. Equidem existimarem, hanc unius uxoris communitatem nequaquam æquo animo tulisset pseudopropheta ille salacissimus, nec solo improbasset silentio, sed totis Alcorani capitibus eam condemnasset, & quidem gravissima sententia. Evidentissime id evinci potest ex ejus moribus, cum nihil, quandiu vixit, ipsi arriserit magis quam polygamia, nec de ulla alia re magis gloriatus sit quam de uxoribus, quarum causa sæpius Deum ipsum in scenam induxit, modo ut earum testaretur castitatem, modo ut lites componeret, modo ut illatum amores erga eum conciliaret. Quid pluribus? Grege vigintiquinque uxorum non contentus, stuprum Zainabæ uxori Zaidi nepotis intulit, deinde in uxorem eam marito invito duxit, quod ex Dei mandato se fecisse in ipso Alcorano scribere impudentissimum non puduit. Quo illa tumens, rivalibus dicere solita erat: Vos maritis conjunxerunt parentes, me vero Deus desuper septem cælis. Contra hoc præterea matrimonii genus multum reclamare videtur infinitus gentis numerus, multitudo, & præ cæteris mortalibus propagatio, quæ profecto ex una uxore, quæ octo, de-

cem, quindecim, & pluribus communis est, provenire non potest, ut sanus quisque sane judicabit. Quis enim facile credet ex una tantum uxore toti cognationi communi Saadum cognomento Tribum numerate potuisse trecentos viros ex filiis, nepotibus, proneporibus, & abnepotibus, exceptis etiam fœminis, ut cap. 3. de Arabum genealogia dictum est. Præterea non solum apud gentis Scriptores, sed etiam Græcos, Latinosque Auctores legimus, antiquos Arabes, antiquitus ante Mahometismum numerosissimos contra Romanum imperium conduxisse exercitus. Theodosio juniore rerum potiente ex Arabum exercitu uno die plusquam centum millia virorum necata, atque consumpta fuisse lib. 11 cap. xv. scribit Socrates. An autem contrahebant cum sororibus, ut lib. 16. habet Strabo, & scribunt alii, mihi impræsens certo non constat: hoc tamen conjectura ita esse deprehenditur, cum supra a nobis citati Auctores excipiant solum matres, filias, eam quæ patri aliquando copulata est, & matrimonium cum duabus sororibus.

Cæterum olim, ut hactenus etiam faciunt, ad templum Meschense peregrinabantur, circuncidebantur, purificationibus & lotionibus utebantur, ac alia id genus permulta præstabant, quæ singula nunc recensere non solum satis prolixum, sed & molestum esset. Quod autem tradit Ælianus de uxoribus mercenariis, & conductis ex pacto ad tempus, adhuc in usu quoque est non solum apud ipsos Arabes, sed etiam reliquas alias gentes quæ Mahometo nomen dederunt, cum ad ipsius pseudoprophetæ peregrinantur sepulchrum. Tunc enim (forte in memoriam ejus salacitatis) nemini licet cum propria uxore coire, sed aliam sibi pacto quodam conducere oportet, & suam alterius locare libidini. Hinc libidinosorum utriusque sexus infinita eo confluit turba ad effrænatam explendam in honorem Mahometi cupiditatem, quod sæpissime ex condicto faciunt, cum domi agentes maritorum, & magistratus metu præstare non audeant. Repudia uxorum frequentia erant; sed qui ter id præstiterit, quartam ducere nequaquam fas ipsi erat, aut illi conjungi, antequam ab alio quopiam suo ære conducto subacta fuerit trium dierum noctiumque spatio. Eidem legi obnoxius est, qui semel a se repudiatam, ad thorum revocat. Liberum præterea illi erat cum adultero manere, si utrique collibitum fuerit, maritumque illudere. Qui ejusmodi matrimonium contrahebat, dicebatur patria lingua جحش *Gjaaseia*, id est, *pullus asini redditus est*, vel etiam تيس *Toiasa, hircus factus*; idque maximo dedecori vertebatur illi, ut qui adulterum perpetuum suo ære uxori conduxit: unde patriæ vale dicere cogebatur. Idem eodem ritu, ac cæremoniis Mahometum conservasse, atque confirmasse forte nemo facile crediderit, nisi qui evolverit Alcoranum. Sed omnium perridicula, ut quæ naturali experientiæ, ac intellectus lumini manifestissime repugnat, reclamat, & adversatur, est lex illa de viduarum partu, quam Mahometus, & Mahometani Jurisconsulti suis scriptis confirmarunt, ac in suos retulerunt codices. Partum, quem triennio, vel etiam septennio, ut alii malunt, post mariti obitum vidua edebat, legitimum defuncti mariti filium habebant antiqui Arabes, eoque nomine hæreditatem adibat & obibat. Ejusmodi lex inter Mahometanos maxime adhuc viget, quæ quantum præsidii viduarum affert rebus, & castæ libidini consulit, cordati cujusque est imaginari.

DE ARABUM RELIGIONE ANTE MAHOMETISMUM.

CAPUT SEXTUM.

ARABIBUS non una eademque omnibus religio erat ante Mahometismum, sed quidam illorum Mosaicam profitebantur legem, quidam vero alii sub Christi domini militabant vexillis, reliqui varias in sectas scin-

debautur, variisque cultibus ac cæremoniis erant addicti. De primis & secundis nihil hic attinet dicere, de posterioribus sigillatim mox differemus.

Omnium præcipua habebatur secta Chaleditarum, ita dicta a Chaledo filio Sanani Habsita, non quod ejus primus extiterit Auctor, sed assertor & propugnator adversus Persarum Magos acerrimus. Hujus doctrinæ summa erat: unum rerum omnium esse creatorem, & moderatorem potentissimum, & sapientissimum; mortuos fore resurrecturos; probos æternis præmiis, & felicitate donatum iri; contra improbos perpetuis suppliciis, & infelicitate. Chaledi hujus tempore ignem per varias Arabiæ regiones longe lateque discurrentem conspicatum esse, perhibent scriptores; quod in causa fuit, ut multi Arabum ad Persarum Magorum, qui ignem colebant, instituta transierint. Totis viribus obstitit his Chaledus, ac, ut illos ad meliorem sanioremque mentem reduceret, precibus, & projectione lignorum & stipulæ, ad majorem claritatem, celebritatemque miraculi, ignem illum exstinxit. Is morti proximus suis dixit: Cum sepulturæ mandatus fuero, veniet Asinorum armentum præcedente Camelo, qui meum sepulchrum ungula feriet, tunc meum defodite corpus, atque inde educite me, & annunciabo vobis quæ ventura sunt. Corpore itaque terræ reddito apparuit, ut prædixerat, Asinorum illud armentum Camelo præeunte, qui eo veniens ungula sepulchrum feriit. Quo conspecto ad illum eruendum ex monumento accurrunt omnes, sed ejus filii constantissime obstiterunt, asserentes se nolle imposterum appellari ab aliis Arabibus filios *Eruti* sive *defossi*. Istis quippe in more positum erat, & adhuc mos viget, cognomina indere ex facinore aliquo, aut insigni eventu. Hunc discipuli, & ejus doctrinæ sequaces tamquam Prophetam summis honoribus prosequebantur, ejusque meminit Mahomerus, ac ut talem habuit, & laudavit.

Hos proxime sequuntur Intelligentiarum sive cælestium Spirituum cultores. Isti tametsi unum esse universi creatorem, & effectorem sapientissimum, potentissimum, immutabilem, ac sanctissimum faterentur, mediatoribus nihilominus opus nobis esse, astruebant. Quamobrem cælestes illos Spiritus templis, aris, sacrificiis, hostiis, thure, suffumigationibus, supplicationibus, jejuniis, incantationibus, aliisque superstitionibus invocabant. De his ita Alcoranus: *Nequaquam hos colimus, nisi ut nos conjungant Deo.* Has autem Intelligentias, quas ut deas venerabantur, antiquitas illa filias Dei appellabat, ut de illis Alcoranus quoque scribit.

Ab horum persuasione non longe distabant ii, quos mox nominati Idololatras vocabant, quia Idola, & simulachra singulis Intelligentiis ac Planetis, quibus illæ præsunt, erigebant, certis quibusdam formis & figuris, tali tempore, modo, & ratione, factis ex tali vel tali materia; quod ita faciendum esse, ex illorum effectis & impressionibus se colligere astruebant. Utrique animarum immortalitatem, & corporum resurrectionem concedebant, sed Prophetarum missionem, & quamcumque legem ab illis latam, aut ferendam amoliebantur. Equos aut camelos morituri super suis sepulchris mactari jubebant; quod ipsis persuasum erat, cum equitem iter facturum ad locum judicii, cujus super sepulchro equus aut camelus jugularus est, peditem alioquin, si non.

Quidam ad Chaldæorum accedebant instituta, Planetas adorantes, nullumque auspicabantur opus horum effectibus, motibus, ortu, occasu, & ejusmodi inconsultis. Hujus sectæ erat Ababacrus Sadekus Mahomeri socer, & successor. Bifariam hujus disciplinæ studiosi dividebantur: nam ipsorum nonnulli Planetas, ac causas secundas venerabantur & colebant, minime in hoc a superioribus differentes; sed multa de Mundi creatione cum Chaldæis & Sabaitis comminiscebantur, ut suo loco videre est. Alii vero illos ut primos rerum Auctores, prima principia, & causas statuebant, & mentem animumque altius haud erigebant. Hujus cæci erroris erant fere illi omnes, qui particularia colebant Idola, ut Homairitæ, qui Solem adorabant, & pro suo Deo habebant, Cananitæ qui Lunam, Lahemitæ & Gedamitæ, qui Jovem, Asceditæ, qui Mercurium, Maisamitæ, qui Aldobran,

sive Oculum Tauri, & sic de aliis. Ad hæc non solum diversa regna, diversæque provinciæ propriorum Deorum affectabant cultum, sed etiam privatæ familiæ, ex quo infinitus ubique conspiciebatur Idolorum numerus. Siquidem Calabitarum cognatio Idolum nomine Vadum maximis prosequebatur honoribus: Hodailitæ Sagum adorabant: Madhagitæ Jagutum: Pharasum Tamimitæ: Nasarum Calahitæ: Hamdanitæ Jahukum, Allatæam Takaifitæ: Hazium Coraiscitæ: Saratam Auzitæ. Horum omnium in omnibus Arabiæ provinciis celebratissimum habebatur Idolum Habel, quod in summo Templi Mechensi vertice collocatum erat. Huic tamquam minores Dii, & ejus mandata exequi parati assistebant hinc inde Asaph & Naiela. Hos duos ex Syria in Arabiam advectos fuisse, antiquissimi Arabum perhibent. At qui sub Mahometismo scripserunt, ut qui Mechanico Templo satis tribuunt honoris, tradunt, hos duos ejusdem nominis fuisse virum & fœminam in lapideas conversos statuas ob commissam in ipso Templo veneream turpitudinem, qui primum ibi collocati, ut aliis essent exemplo, deinde a mortalium cæcitate in Deos adsciri sunt. Equidem mihi persuadeo id ab hominum vulgo, statuariæ prorsus ibi ignato, creditum primum fuisse, dein paullatim gradatimque aliorum altioris ordinis insinuatum animis, ac historiæ consignatum. Ex recentibus vetera sæpe discimus, & arguimus, siquidem quos conspicit nunc Arabum plebs in urbis Tiberiadis ruderibus, & ruinis lapideas statuas, firmissime asseverat, esse perfidissimos quosdam Judæos in illa mutatos, ut non absque animi maxima voluptate sæpius ab illis audivi miraculi mirabilitatem mihi narrantibus. Oppidum nomine Almenia, ad unum aut alterum lapidem ab urbe nostra Tripolitana dissitum est, ubi marmoreum quoddam monumentum triginta palmorum longitudinis, latitudinis vero sex in quadam spelunca visitur, in quo Osee Prophetæ corpus conditum Mahometani perhibent, & diversæ marmoreæ tabulæ ab illis inscriptæ testantur. Inde non procul in adjacenti planitie ingens lapidum aspicientium oculis se offert multitudo, qui varias humani corporis referunt statutas. Fama est, exercitum Syrorum, Prophetæ precibus, in eos lapides fuisse conversum olim, & hactenus exhibere species ac formas diversas, militesque adamussim juxta varios ordines, equites scilicet, pedites, tubicines, cornicines, buccinatores, tympanistas, velites, peltatos, catafractos, hastatos, scutatos, fundibularios, ac id genus alios. Curiositate adductus aliquando eo convolavi; rei certitudinem gravibus verbis asseverat monumenti Mahometanus auritus minister; propius, videndi cupiditate compulsus, nulla interposita mora, accedo; comperio saxa illa stantia informia ut reliqua, quæ ubigentium occurrunt; quamobrem velocius regressus quasi delusus de ministro illo, ejusque fabula conquestus sum. Qui dedignatus ait, rem ita se olim habuisse, sed deformitatem illam longissimi edacis temporis injuria contractam esse, & a puerorum pastorumque insolentia illatam. Ministrum illum auritum appellavi, (res silentio haud prætereunda est) bigamus quippe erat, & uxorum una candida erat, Æthiopissa altera. In prioris amoris signum, suspensum ex dextera aure habebat argenteum annulum duas pendentem uncias; ex altera vero aure alium ferreum totidem pendentem, in signum sui amoris erga Æthiopissam uxorem: qui circuli suo pondere infimas auriculas, sive lobos mento æquarunt, ut caprarum Syriacarum auribus non dissimiles videantur. Ego sane, rem ipsam quod attinet, existimo fabulam enatam fuisse ex illius sepulchri, quod falso Prophetæ esse creditur, vicinitate, ac iis speciebus quæ inde aspicientium oculis repræsentantur; atque forte etiam historiæ Elisei Prophetæ, quæ habetur Reg. 4. cap. 6. nonnihil esse hic immixtum, ac facti, personæ, & loci mutata conditione conflatum hoc commentum. Patrum nostrorum communis sententia est, monumentum illud esse Osee filii Ela regis Israel; sunt etiam, qui arbitrantur esse Josue filii Nun, qui & Osee dictus est; sed contra hanc opinionem militat Judæorum traditio. Hæc ex occasione dicta sufficiant: nunc ad rem nostram.

Secta quoque apud Atabes antiquiſſima Philoſophotum erat, qui vernacula lingua dicebantur دهرية *Dahriuaton* ſive Dahritæ a nomine دهر *Dahro*, quod tam ſeculum, ſive tempus detetminatum ſignifiear, quam æterniratem, quos Latino vocabulo *temporales*, *æternoſque* appellare poſſumus. Ita nominabantut, non quod conttaria docerent, nempe quod mundus tempotalis ſit, ac æternus, ſed quod genera, & ſpecies ſint ætetnæ, individua veto corruptioni obnoxia. Ipſorum vulgatiſſimum ſeitum erat: *Uteri producunt, ſepulchra deglutiunt*. De iſtis mentionem facit Alcoranus, quos ita loquentes inducit: *Morimur, & vivimus, nec aliud nos perdit, quam tempus*. Athei penitus iſti eranr, ſeu potius Sadducæi, quia animas mottales eſſe affirmabant, & quem ore tenus fatebantur Deum operibus negabant. Flotuit hæc ſecta diu ante Mahometum, nec minus viget adhuc, quamquam Mahometiſmi titulis, ac nomine veſtita, & adornata. Sed utinam procul abſit a Chriſti Domini ovili. Utinam ne ipſius obtegatur chlamyde. Quo, ſodes, eorum collimant opera, qui Evangelicos vocari amant? huc protſus. Audiamus Kingum Londinenſem Evangelicum Epiſcopum ſuper Jonam ſect. 32. *Operibus, & fructibus pœnitentiæ*, inquit, *tam ſumus nos peregrini, ut vix ſciamus, quid pœnitentia ſignificet. Adeoque procul abeſt, ut ſimus veri Iſraelitæ cum Nathanaele, aut ex parte Chriſtiani cum Agrippa, ut potius convincamur perfecti Athei*. Et ſane ſi a fructibus ſint cognoſcendi juxta traditam ab ipſo Domino regulam, en quam graphice eos deſcribit ejuſdem perſuaſionis homo Andreas Muſculus concione prima Adventus: *Si quis videre volet ingentem turbam nebulonum, hominum turbulentorum, fallacium, impoſtorum, fœneratorum: civitatem aliquam adeat, in qua Evangelium pure prædicatur, catervatim ibi tales reperiet*. Rurſus idem lib. de noviſſimo die: *Hoc de nobis Evangelicis teſtari cogimur; magis quam nos guloſos, ſcortationibus, uſuris, circumventionibus, fraudibuſque deditos in toto jam mundo nuſquam reperiri*. Adſtipulatur Mennon lib. de Chriſt. fide cap. de fide mulieris Cananææ: *Si ad prædicantes veneris, qui de verbo gloriantur, invenies quoſdam aperte mendaces, quoſdam ebrioſos, & vinolentos, quoſdam fornicarios, & fœneratores, quoſdam ſuperbos, & faſtuoſos tum habitu, tum geſtu, quoſdam calumniatores, & convitiatores, quoſdam perſecutores, & proditores innocentium. Quo jure etiam, ac fide nonnulli matrimonia contraxerint, cujuſque notæ uxores habeant, Domino, ac ipſis concedo. Agunt inertem, ac ignavam vitam, aluntur meris ſeductionibus, & blanditiis ex Antichriſti prædis, & rapinis. Tantum docent, quantum ventri dedito Magiſtratui placet, quantumque ille juſſerit*. An, quæſo, alios fructus iſtis meliores producere potuiſſent filii a ſuo parente Luthero his imbuti præceptis? *Eſto peccator, & pecca fortiter*, Epiſt. 238. ad Melanct. Item, *Blaſphemias, parricidia, contemptum Dei, adulteria confidenter committant, & non aliter ſint veri, & germani ſancti quam ut fortibus, & atrocibus peccatis obnoxii*; in colloquio de peccatis fol. 130. Isleb. edito. Nuſquam profecto ejuſmodi enunciata apud Mahometum, aut Dahritas ram impia reperire eſt. Quamobrem jure quidem merito id Chriſti Domini ad Judæos his convenit: *Vos ex patre Diabolo eſtis: & deſideria patris veſtri vultis facere. Ille homicida erat ab initio, & in veritate non ſtetit: quia non eſt veritas in eo: cum loquitur mendacium, ex propriis loquitur, quia mendax eſt, & pater ejus*, ſcilicet Lutherus, & pater ejus, nempe Diabolus. Nec profecto meliotis notæ ſunt horum ſymmiſtæ, nec Anglorum perpetua fluctuatio & anxietas in religione quærenda aliorſum tendit: omnes ſunt noſtri temporis Dahritæ.

Quæſtio hic inſtitui poteſt, an hi populi, & gentes ſingulæ Idola ſua habuerint pro Diis nulla habita ad ſuperiorem aliquem relatione; an vero pro cauſis ſecundis, & analogice rantum Deitatis nomen ipſis tribuerint.

Reſpondetur juxta Arabum ſcriptorum ſententiam, ex his perplures procul dubio tenuiſſe, illos, quos ut Deos honoribus proſequebantur, fuiſſe ſupremæ auctoritatis, majeſtatiſque, ac a nullo alio pendentes, ſed omnia ab illis pendere. Comprobant hanc ſuam opinionem ex Abrahæ Patriarchæ inductiva contempla-

tione, & gradatione, qua ab inferioribus ad superiora, & a præstantibus ad præstantiora gradum faciebat. Traditio quippe apud illos est, Patriarcham statim atque in lucem editum fuisse, a patre in quadam spelunca, quæ in montis recessu erat, absconditum Chaldæorum metu, qui manus illi inferre quærebant, quod suis Diis fatalem fore, Astrologi prædixissent. Inde tandem noctu primum prodiens, jam vir factus, cælum, ejusque innumera astra non absque admiratione summa contemplari cœpit, vidensque stellam Veneris forte exorientem, & cæteras lumine, splendore ac claritate longe superantem, ait: *Hic est Deus meus, & Creator meus*. Sed cum non multo post Luna apparuisset, mutata sententia dixit: *Hic est Deus meus, & Creator meus*. Demum orto jam luminum fonte, & auctore Sole, longius attonitus exclamavit: *Hic, hic est vere Deus meus, & creator meus, quo splendidius, quo altius, quo pulchrius nihil excogitari potest*. Hæc dicenti, & Astri admiranti claritatem & pulchritudinem, adfuit Gabriel Angelus, qui eum veri Dei verum docuit cultum, ac in vera instituit religione. Hanc iidem confirmant ulterius opinionem ex Maleci antiquissimi Ægyptiorum regis hac historia. Is postquam diutissime gnavam operam Planetarum cultui navavit, uti perhibent, sibi visus est aliquando a duabus avibus rapi in cælum, & seni cuidam subfusco, sed comæ barbæque canitie venerabili sisti, cui conspicato senex ait: Cognoscisne me? Minime, timore perculsus Rex respondit. Ego sum χρόνος, sive Saturnus, senex ad illum. Quo audito pronus illico adoravit eum Rex dicens: Jam te novi Domine, tu es Deus meus. Nequaquam, repetit Saturnus, toto cælo aberras me Deum & Dominum appellans, & pro Deo tuo habens, cum & Deum ipse habeam, quemadmodum tu, qui & Deus meus ac Deus tuus est, quique me, te, cælum, terram, & quicquid inter utrumque, & in utroque inclusum est, solus creavit, & solus præstare valet. Hæc dicenti plurimum mirans, attonitus, ac stupens rex ait: Ubi est hic Deus Deorum? Saturnus: In altissimis altissimorum, ad quem oculi corporei pertingere nequeunt, nec videre illum valent, sed nec ipsæ mentes, mortaliumque animi ejus esse vel conceptu & imaginatione assequi possunt. Ea vero, quæ in vestro inferiori orbe efficimus, ac imprimimus, unde pro Diis nos habetis & colitis, ejus jussibus obtemperantes ut ministri præstamus. Tunc Rex Saturno: Quid igitur faciendum mihi est, ut præteritum errorem, labemque impostetum emendare, & emaculare possem? Cui ille: Hunc solum pro Deo cole, ipsi soli adorationis exhibito obsequium, nulli alteri divinitatem tribuas. Soluto interea somno rem totam absque mora Sacerdotum summo non sine residui pavoris argumentis Rex enarrat. Qui, verax est Saturnus, inquit, nam creatura, & ipse est, ac ut nos ab illo conditus, qui cælum, qui terram, qui planetas, qui astra, qui ea omnia, quæ cæci mortales ut Deos colunt, fabricatus est, qui ea regit, & servat. Quomodo hæc populis meis persuadere potero, subdit Rex, & Deorum multiplicitatem ex mentibus evellere? Fac quantum in te est, ait illi Sacerdos; cæterum non teneris.

Ex his itaque inferunt, gentes illas & populos, paucissimis exceptis, oculorum aciem ultra idola sua haud protendisse, nec altius volasse, sed eo omnem terminasse cultum, & limites circumscripsisse deitatis. Garriunt igitur illi, ac in Deum, ejusque Angelos, & Sanctos sunt injuriosi, qui eorum invocationem, & exhibitum ipsis in ordine ad Deum honorem esse idololatricum, ethnicum, impium, ac diabolicum dicere, atque scribere non erubescunt. Quis Catholicorum umquam docuit, ad Sanctos terminandum esse cultum tamquam ad deos? Aut quis dixit: *Hi sunt dii tui Israel, qui te eduxerunt de terra Ægypti?* Aut quis *obtulit eis holocausta, & hostias pacificas?* Nemo sane: sed omnes cum D. Cyrillo lib. 6. contra Julianum asserunt, *Martyres non esse ut deos adorandos, sed summis honoribus prosequendos, & colendos, quod pro veritate strenue certaverunt*. Et cum D. Augustino de vera Relig. capite ultimo: *Honorandi ergo sunt sancti propter imitationem, non adorandi propter religionem*. Porro probatione, aut expositione quid opus est, cum ea, quæ nobis objectant, & impingunt passim, a nostræ doctrinæ sensu, & men-

ie alienissima esse, æque ut nos noverint? Nec sane nostris hisce Adversariis ab Ecclesia Catholica desciscere meditantibus alius scopus propositus fuit aut finis, quam qui pseudoprophetæ Mahometo nefandissimam legem machinanti. Nam utrique in ipso moliminis limine nostræ sacro-sanctæ Religioni dogmarum fœditatem ac turpitudinem infligere, atque obtrudere omnem suam navarunt operam, ut ea ratione fidelium avertentes animos, ac pietatis studiosorum mentibus incuterent horrorem, ut ita facilius illos in suas allicerent fraudes, & incautos irretirent. Mahometus quamquam juvenis optime didicerit in suis itineribus in Syriam factis, quamquam publica & notissima fama acceperit, quamquam a Sergio Monacho, quem Arabes Bohairam vocant, edoctus fuerit, quodnam sit Christianorum dogma, persuasio, ac sententia de generatione Verbi divini, nihilominus hac consueta perduellium impudentia in suo Alcorano hæc non semel reperit verba Christianos notans : *Absit Deum habere amicam, aut sociam;* quasi vero crederent illi, & docerent, eum, quem filium in divinis vocant, ex mulieris, & ipsius Dei (solum hoc referre blasphemum pene est) concubitu genitum fuisse. Pari quidem ratione nos idololatriæ arguunt, & impietatis nuperi Mahometanæ fraudis imitatores, tamquam divinos ac soli Deo debitos honores Angelis & Sanctis tribuentes. Sed hac de re fuse dicemus in nostris ad Chronologiam notis, ubi ostendemus, dogma hoc ab omnium Christianorum Orientis sectis perpetua traditione & consensu, ad nostra hæc usque tempora creditum fuisse, suamque ab Apostolis duxisse originem; contra vero Adversariorum sententiam non alium, quam sceleratissimum Christiani nominis hostem Mahometum habuisse auctorem. Atque adeo tam in hoc, quam in multis aliis hunc pseudoprophetam ut magistrum sequuti sunt Lutherus, Calvinus, Zuinglius, ac reliqua nupera Hæresiarcharum & Hæreticorum turba.

Tandem notandum est, Mahometum Arabum seductorem omnes fere antiquas illorum consuetudines, ritus, cæremonias, superstitiones, incantationes formulis quibusdam conceptas, mores, ac alia id genus intacta conservasse, atque retinuisse, ut ad calcem cap. 3. Historiæ Gentium perhibet Ismael Sciahinsciah, & alii adstipulantur perplures. Quandoquidem huic idem scopus erat, ac qui gentibus in Samariam exportatis, nempe sacra profanis immiscere, ut qui nationes omnes, & populos cujusque legis, & instituti ad se trahere, atque allicere studebat, nec in sua lege ferenda collimabat alio. Quamobrem ea comprobabat, aut improbabat, ea mutabat, ea addebat, ea demebat, ea fingebat, quæ personarum propensio, quæ studium, quæ conditio, quæ res, quæ tempus, quæ locus, quæ occasio postulabant.

ANTIQUORUM ARABUM PHILOSOPHORUM
de Mundi origine & duratione Sententia.

CAPUT SEPTIMUM.

ARABES rite olim philosophatos esse multis sæculis ante Aristotelem, Platonem, Socratem, Sophos ac Philosophos Græcorum, dubitat nemo, qui Jobi legit librum. In eo quippe plane patet, quam recte proponebant argumenta tres illi Arabes amici Jobi, ut de Jobo ipso nihil nunc dicam, cum eo disputantes; quam acute difficultates solvebant; quamque egregie omnia præstabant quæ ad optimi Philosophi spectabant munus. Illos autem esse Arabes & ex Auctoribus, & ex patria, & ex lingua, qua libet Jobi conscriptus est, facillime persuaderi & probari potest, si nunc res tanti esset. Sed quoniam instituti nostri ratio id non patitur, ad propositum argumentum properemus.

Philosophorum itaque Arabum antiquissima secta est Dahritarum, quorum opinionem de Mundi origine ac duratione videsis capite superiori de ipsorum Arabum religione. Hoc tamen unum addendum hic est: isti in duas p[illegible]iebantur

fectas, in eos scilicet, qui statuebant Deum esse Mundi auctorem, ac in illos, qui nullum ejusmodi agnoscebant; sed affirmabant, genera, & species a nemine principium habuisse, nec ab ullo in sua conservatione pendere, nec fini, aut interitui esse obnoxias, individua vero, æterna generatione, & corruptione sibi invicem succedere. Eodem quoque notantur Dahritarum nomine juniores Arabum Philosophi, qui Aristotelis sub Mahometismo secuti sunt vestigia, & in illius jurarunt verba. Hæc autem sententia non semel a Mahometanorum Theologis, sive Legalibus, ut ipsi loquuntur, tamquam impia damnata fuit, & libri ejus auctorum flammis traditi sunt, quin & ipsi quoque aliquando illius assertores, & propugnatores, hacque de causa scientia ipsa infamis habita aliquando est, & publicis decretis improbata.

Adversus hujus assertionis propugnatores ingens occurrit aliorum Arabum Philosophorum examen, tam illorum, qui sæculo ignorantiæ philosophabantur, quam qui sub Christianismo, & Mahometismo floruerunt. Horum varias rationes, argumenta, & prolata ex Scripturis testimonia legere est apud Abiisaachum Benassalum Tract. de fundamentis Christianæ Religionis par. 1. cap. 4. Joannem Grammaticum Syrum cognomento Ascallabensem in libro, quem in Dahritas ex professo conscripsit, Alchacrum Tract. in eosdem, Gregorium Barhebræum in suo Chronico, Georgium Homaidum Elmacinum item in suo Chronico, ac alios innumeros Christi fideles. Ex Mahometanis videndus imprimis est Algazalus in libro, quem hac de re in Averroem confecit, necnon in libro Propositorum, Mahiaddinus Asphahanensis Persa Tract. de Intellectu, Intelligente, & rebus Intellectis; Abuzacharias Jahia Cordubensis in Commentariis Theologiæ Mahometi Sanusii; Abdalla Talemsanus in Commentariis ejusdem Theologiæ; Abuzaidus Thaalabus in Commentariis Alcorani, necnon in libro Definitionum; Abdalla Bocharensis item in suis Commentariis in Alcoranum, ac alii perplures. Ex laudatis mox Auctoribus responsiones quasdam, & argumenta contra hujus sententiæ Assertores hic congerere duximus, ut hinc palam omnibus fiat, quam male illi philosophabantur, & in quæ deducebantur absurda.

Joannis itaque Grammatici Syri, cognomento Ascallabensis liber contra Dahritas ad tria præcipue capita facile contrahi potest, quorum hæc est summa. Primum: Quicquid æternum est, absque omni dubio caret principio, & fine, necnon potentia præditum sit, oportet, infinita, qua suum esse æternum conservet: sed Mundus est corporeus, ac finitus, omne vero corpus finitum potentias habet finitas; ergo in tempore productus est, extititque, cum antea non fuisset. Nota: Nomine potentiæ infinitæ intelligit Ascallabensis eam, quæ numquam cessat a producendis suis effectis, sed perpetuo agit: nomine vero potentiæ finitæ illam significat, quæ ad effecta determinata sese contrahit, nec perpetuo agit.

Ad hæc ita respondent juniores Dahritæ: Machina hujus universi finita quidem est, finitum autem habere potentiam infinitam, absurdissimum esse, nemo diffitetur, nec nos negamus: at potentiam universi conservatricem, utrumque extremum quod attinet, esse divinam, quæ perpetuo cælestes ciet orbes, nemo nobiscum non sentit.

Occurrit his Ascallabensis: Divinam potentiam quod spectat, nulla dissensio inter nos est; at in eo, quod asseritis Mundum sua natura esse æternum, in omnia a nobis disceditis. Namque si mundus æternus est sua natura juxta vestra placita, quæ scriptis divulgatis persuadere vulgo conamini, nequaquam opus est, ut potentiam conservatricem sui esse a Deo habeat; quia quod natura æternum est, potentia ab eadem natura præditum sit, necesse est, non quidem ab alio acquisita, quæ illud perpetuum conservet. Siquidem si illa potentia ab alio ipsi collata fuerit, non erit natura æternum, sed extrinsecus illam adeptus est, adeoque ea sublata corruptioni obnoxium erit. Cum igitur Mundus non sit sua natura æter-

nus,

nus, ut vi argumentorum, & rationum coacti denuo fatemini, illum quoque de novo productum fuisse, minimeque esse æternum, necesse est, fateamini.

Alterum Ascallabensis argumentum. Numquam extitit Mundus absque individuis, quæ ab invicem propagantur, & accipiunt suum esse, ut numeris omnibus sit absolutus, sicuti post Platonem Aristoteles asserit, alioquin corruisset, & ad finem esset dudum perductus, quia individua ex ipsorum Dahritarum sententia conservatrice æterna virtute sunt destituta. Quamobrem si Mundus extitit ab æterno, qualis nunc est, individuorum duratio esset mensura partium temporis existentiæ Mundi, & ejus durationis: sed partes illæ durationis sunt finitæ, ergo & compositum ex illis, quia compositum ex finitis finitum esse, haud dubium est.

His ita Dahritæ reponunt: Quod est compositum ex infinitis numero, quamvis singula finita sint, nihil obstat, quin sit infinitum, cum igitur Mundi, ac temporis duratio componatur ex infinitis numero partibus, nihil officit, quin possit esse infinita.

Ascallabensis. Si res ita sese haberet, compositum illud infinitum esset quoad utrumque extremum simul, itaut si unum extremum finitum sit, ac terminatum, necessario sequeretur aliud quoque extremum finitum esse, quia quicquid in illo compositō est, ex partibus finitis constat, & solum infinita dicuntur abusive ob numerorum multitudinem: igitur absurdum est dicere, Mundi durationem ab uno extremo esse infinitam, ab alio vero finitam. At certissimum est tam apud nos, quam apud vos eam esse terminatam a parte post, consequenter erit & a parte ante.

Tertium argumentum. Huic argumento tria præmittit Ascallabensis principia tamquam notissima, & ab omnibus concedenda. Primum. Quicquid alio eget ad existendum, necesse omnino est, ut existentiam illud præcedat, ac respectu egentis se habeat, ut ligna respectu navis, quæ existere nequit, quin prius ligna existant. Alterum. Quicquid actu numerationi obnoxium est, infinitum esse, impossibile est, etsi numeranda in infinitum syncategorematice protendantur, quia omnia, quæ ex illis in actum prodeunt, finita sunt. Tertium. Quicquid ad existendum eget, ut infinita alia illud præcedant, impossibile est, id suam posse consequi existentiam. His positis, ita arguit.

Si mundus æternus esset, individua animalium continua atque æterna generatione ab invicem procederent, homo de homine, equus de equo, taurus de tauro, & sic de cæteris, semperque generantis existentia geniti antecederet. Quod si ita esset, profecto existentia Amri patris antecessisset existentiam Zaidi filii, & sic omnium patrum existentia existentiam filiorum in infinitum: igitur Zaidum antecesserunt infiniti patres numero, quorum alter ab altero processit, qui fuerunt causa existentiæ ejus. Sed jam positum est in primo principio, quod quicquid alio eget ad existendum, nequaquam existere potest, nisi antecedat illius, quo eget, existentia: in secundo vero principio dictum est, impossibile esse, aliquid actu existere infinitum numero. Si ergo parentes Zaidi numero sunt infiniti, & impossibile est, ut ille existat, quin prius extiterint actu illi, quibus eget, ut existat: igitur parentes Zaidi sunt actu infiniti numero, quod impossibile est ex hoc secundo principio. In tertio autem principio affirmatum est, quod quicquid eget ad existendum, ut alia infinita illud antecedant, impossibile est, ut suam umquam consequatur existentiam: at Zaidus actu existit, ergo ejus parentes haudquaquam infiniti sunt numero: sed quicquid fini obnoxium est, principium habet, ergo Mundus principium habuit, cum hujusmodi sit. Adde, quod quamcumque durationis Mundi partem ante existentiam Zaidi mente complexus fueris, procul dubio unum ejus parentum sub illa existere comperies: Mundus igitur habuit principium, quia necesse est, quod primus parentum Zaidi principium habuerit, sicque de cæteris animantium, plantarumque individuis arguendum est. Hoc autem argumentum, inquit Ascallabensis, principiis naturæ omnino consentaneum est, quia res absolutæ, & perfectæ sunt, quæ actu existunt, quæ vero potentia imperfectæ. Quod sane cum ita

fit, oportet, ut res perfectiores antecedant eas, quæ imperfectiores sunt, & quæ actu sunt, eas, quæ in potentia, cum illæ istarum causæ sint. Siquidem quæ in potentia sunt, auferunrur, ablatis iis, quæ sunt actu, sed non contra; nam nisi existat actu Amrus pater, non poterit existere Zaidus filius, qui est potentia, sed absque existentia Zaidi filii, poterit existere Amrus pater. Itaque si Mundus principio caret, nequaquam homo, qui actu existit, antecessit illum, qui in potentia est; sequereturque, omnes parentes Zaidi fuisse in potentia, nullumque illorum extitisse umquam actu, qui alios de potentia ad actum producere possit. Verum hoc naturæ, ejusque principiis protsus repugnat, quia exigit ordo ejus, & analogia, quemadmodum dictum est, ut quod est perfectum, antecedat imperfectum, nempe quod est actu, quod est in potentia, ut illud educat ad actum, quia illud hujus est causa, cum nihil seipsum efficere possit: & quod potentia existit, perinde ac si non existeret. Quæ autem difficultas nulla quidem est, si affirmatur, Mundum principium habuisse, hac enim ratione prima individua, quæ ad actum a naturæ Auctore producta sunt, reliquorum extiterunt causa. Atque hæc est summa argumentorum, & rationum Joannis Ascallabensis.

Aliorum Philosophorum argumenta, cum eadem fere sint, vel non multum differant, inunum congerere visum est, eodem modo, ac methodo. Si corpora æterna essent, inquiunt, aut quiescerent ab æterno, aut moverentur: sed utrumque absurdum; ergo absurdum quoque est, Mundum esse æternum. Quod autem, si Mundus esset æternus, aut quiesceret, aut moveretur ab æterno, ita ostenditur: Unumquodque corpus necessario loco circumscribitur, atque continetur; quod si in circumscripto detinetur loco, procul dubio quiescit, sin minus, movetur. Motum quod attinet, non inficiantur adversarii, quia cælestes orbes æterno motu cieri affirmant: sed motus ratio requirit, ut res a loco, in quo detinetur, ad alium se transferat, adeoque loci a quo ratio necessario antecedit motum, motus itaque alterius prioritatem supponit; ratio vero æternitatis nullam prioritatem supponit, ex quo rationem motus rationi æternitati repugnare patet: ergo Mundus non est æternus.

Rursus. Unumquemque præteritum motum alius præcedit: sed quod ejusmodi est, de novo est productum; quod autem de novo producitur, effectorem habeat, necesse est, qui aut necessario agat, aut libere: sed non potest esse agens necessario natura, quia hac ratione ex æternitate agentis, sequeretur effecta, & motum de novo producta, & aliquando esse æterna, quod est absurdissimum. Restat ergo, ut sit libere agens: sed qui libere agit, & ex electione, antecedat, necesse est, productos a se effectus: at quicquid suam sequitur causam, & illa posterius est, nequaquam æternum est; ergo Mundus non est æternus. Ad hæc ratio, & esse motus est mutatio de uno in alium locum, ex quo sequitur necessario, statum illum, a quo res mota recessit, antecessisse motum; igitur motus præsupponit aliquid prius: sed quod ejusmodi est, non est æternum; ergo Mundus nequit esse æternus, quemadmodum & orbium cælestium motus.

Præterea. Mundi corporea moles est finita: sed quicquid ejusmodi est, de novo est productum; ergo Mundus est de novo productus, non æternus. Majorem propositionem ita probant. Medietas Mundi est minor toto: sed minus est finitum; ergo medietas illa est finita: pari ratione de alia medietate arguendum est; ergo collectivum istarum partium est finitum, quia quicquid ex finitis consurgit, finitum esse oportet. Quod autem finitum de novo sit productum, ex eo ostenditur, quod intellectus potest concipere magis, & minus illo: sed quod hujusmodi est, ut nec magis nec minus sit, terminante omnino eget; quod vero terminatum est, nequit esse æternum; ergo mundus non est æternus.

Idem argumentum ex motu Saturni & Solis ita urgent. Circulationem, quam uno conficit Sol anno, triginta annorum spatio perficit Saturnus: igitur circulationes Saturni multo pauciores numero sunt circulationibus Solis, seque habent ut unum ad triginta; quod autem minus est, item & finitum: circulationes itaque Saturni sunt fini-

ræ ; ergo & ejus motus principium habuit aliquando, nec est æternus, igitur & reliqui motus, quia duplum finiti sæpius etiam replicatum semper est finitum. Hæc, & quamplura alia id genus tam apud antiquos, quam recentiores Arabum Philosophos leguntur, quibus singulis in præsens recensendis supersedimus, cum ut brevitati consuleremus, tum quia satis trita sunt in scholis Philosophorum.

DE EJSUDEM MUNDI ORIGINE, ET DURATIONE antiquorum Arabum Astronomorum Sententia.

CAPUT OCTAVUM.

ASTRONOMI ut qui non eamdem omnes condiri Mundi constitutionem, & planetarum, siderumque situm statuebant, in diversas abibant opiniones, variasque Mundo ætates ex suis positionibus & fundamentis tribuebant. Gelaladinus Asiutensis in Historia Ægyptiaca duas refert opiniones, sive Astronomicas Epochas, quas nonnulli ex Pyramidis cujusdam inscriptionibus sub Ahmeti Benruluni præfectura eruerunt. Ex prima Epocha a structura illius Pyramidis ad ann. 261. Hegiræ putabantur anni triginta mille ; ex altera vero octingenta mille. Ex quo autem discrimine manifeste colligitur, aut hoc esse merum excogitatum commentum, uti revera est, aut eos qui inscriptiones illas interpretari sunt, potius imposuisse, aut esse hallucinatos, quam bene legisse, aut intellexisse. Qui enim fieri potest, ut eadem Pyramidis structura ab eodem rege facta duabus notetur Epochis, quæ immensum quantum inter se distent?

Gezbanirarum etiam secta erat Astronomorum apud Arabes seculi ignorantiæ notissima, quæ docebat, singulos triginta-sex mille annos, quadringentos, viginti-quinque bina ex singulis animalium speciebus produci, marem scilicet ac fœminam ex quibus animalia propagantur, hocque inferiorem incolunt orbem. Absoluta autem cælestium orbium circulatione, quæ illo annorum conficitur spatio, iterum alia producuntur animalium genera & species, quemadmodum & plantarum, aliarumque rerum, & primus destruitur ordo, sicque in infinitum producitur. Planetas autem, & astra vocabant isti patres, matres elementa, quæ eorum excipiunt impressiones, filios composita, quæ utrorumque virtute gignebantur. Inter hos vero filios unum quemdam omnium excellentissimum, præstantissimum, & omnibus numeris absolutum ex purissimis, atque defæcatissimis planetarum, & elementorum partibus gigni asserebant, quem Deus sibi unit, ac mira per illum in hoc inferiori orbe durante sua circulatione operatur.

Astronomorum alii Mundo quidem principium constituebant, sed nullum habiturum finem credebant, cælestem nempe quod attinet. Elementarem vero hunc singulorum cælestium signorum subjiciebant dominio, quo desinente desinat ille, destruaturque, & alterius dominio incipiente perpetua conversione incipiat iterum, atque renovetur Mundus idem. Istis autem signis non par dominatus tribuitur ab his Astrologis tempus, sed gradatione quadam sese excedunt. Nam signo Piscium mille tribuuntur anni, bis mille Aquario, Capricorno ter mille, quater mille Sagittario, quinque mille Scorpioni, sex mille Libræ, septem mille Spicæ, octo mille Leoni, Cancro novem mille, decem mille Geminis, undecim mille Tauro, Arieti duodecim mille. Horum omnium signorum revolutione peracta ad idem principium redeundum esse asseverabant, initium vero revolutionis a regno Spicæ sive Virginis inchoant, quod est septem annorum millium. Ex quo patet, hos mundo principium statuisse, sed non finem ejus renovationi. Verum enim vero horum sententiam falsam esse res ipsa nos docet, quia secundum ipsorum computum, qui ab illo, qui ex septuaginta Interpretum

Editione colligitur, non multum distat, anni jam putantur 160, plus minus supra 7000. atque adeo haud dubium est, si ejus Auctores nunc viverent, quin palinodiam publice canere cogerentur, ut de sui Messiæ adventu fecerunt olim, & jam rursus faciunt Judæi. Quoniam autem res a nostro proposito scopo non longe distat, & ad convincendam audaciam, pervicaciam, perfidiamque sua evidentia non parum facit, breviter illam a capite referre non pigebit.

Traditio itaque apud Judæos antiquissima est, & in ipso Talmude aliisque libris non semel repetita, ac ut Eliæ Prophetæ vaticinium credita, quemadmodum præter multos alios testatur eruditissimus Fabianus de Fioghis cap. 85. sui Dialogi, Mundum scilicet sex mille annis duraturum, septimo tandem destructum iri. Talmudis hæc sunt verba in Tract. Sanhedrin cap. Helek, & in Gemara Habodæ Zoræ capite 1. & alibi: *Sententia domus Eliæ; sex mille annis durabit Mundus, & uno erit destructus: duobus mille annis vacuus erit* (id est absque lege, ut interpretantur) *& duobus mille annis sub lege, & duo mille anni erunt dies Messiæ.* Recentiores Judæi videntes hoc tempus præstitutum jam esse elapsum, & Messiam, qualem exoptant, nempe divitem, ac terrarum dominum, nullum hactenus apparuisse, totam moræ culpam in sua rejecere crimina, hæc Eliæ vaticinio addentes: *Et propter peccata nostra, quæ quamplurima sunt, tot anni jam supra illud tempus elapsi sunt.* Additionem hanc esse ejusdem Auctoris ac reliquæ sententiæ, Menasseh Ben-Israel Judæum virum eruditum affirmare non puduit lib. 3. de resurrect. mortuorum cap. 3. ad suæ Gentis stabilienda placita, & commenta, non autem ipsam veritatem. Ita quippe scribit loco mox citato. *Quia vero præter opinionem suam* (Auctor ille) *rem cadere videbat, ideo erumpens in lamentationes, ac querelas ait, vitia, ac peccata populi in causa esse, cur adventus Messiæ ulterius, longiusque dies iste esset dilatus, adeo ut jam trecenti anni ultra quatuor millia annorum elapsi essent.* Sed quis cordatus, & qui rantisper rationis usum habet, non videt, verba illa ejusdem Auctoris reliquæ sententiæ haud esse posse? Nam Auctor ille vel fuit ante præstitutum tempus elapsum, vel post; si ante, qui dicere poterat: *tot anni jam supra illud tempus elapsi sunt?* Si post, qui vaticinandi est modus iste a posteriori? Sane nec vaticinium dicendum est, nec ratiocinium, quia immensum quantum ab utroque distat. Non ita male profecto noster divinat Astrologus, aut suas infert conclusiones. Mortem Imperatoris Turcarum, octo menses postquam contigit, egregie prædixit, seu se prædixisse dicit. Posteriores Cabalistæ prima spe frustrati ad sextum millenarium provocarunt, & mysterium hoc juxta artis institutum ex opere sex dierum creationis eliciunt. Horum sententiam legere est apud eumdem Menasseh tract. de creatione mundi, problem. 11. cui hic est titulus; *An spatium sex dierum quo mundus conditus est, mysterium aliquod in se habet?* ubi hæc sunt ejus, & Cabalistarum apud illum verba de mysterio sexti diei: *Sexto die creata sunt quadrupedia, & homo omnium postremus. Eo designatur sextus millenarius, in quo omnes Principes liberabuntur a jugo Imperii Romani, & quilibet regnabit in sua diæcesi: atque hoc tempore venturus tandem est Messias, cujus typus fuit Adam; quippe qui non aliter quam Adamus olim, etiam tum dominabitur, atque imperium habebit in omnes pisces, aves, & quadrupedia, per quæ figurantur omnes Mundi principes.* Idem problem. 30. postquam respondit octo argumentis illorum, qui Mundum ab æterno conditum esse volunt, hanc infert ex dictis Cabalistarum ejus sententiæ confirmationem: *Hac ratione*, inquit, *corruunt argumenta eorum, qui contrarium sentiunt, & simul etiam confirmatur Cabalistarum opinio, quæ maxime nititur verbis Eliahu, qui dicit Mundum sex mille annis duraturum, & uno interiturum. Quod intelligendum est de septimo millenario, quo tempore omnia inferiora corrumpentur, & ad chaos redibunt, ex quo facta sunt.* Sed ex his oritur non levis difficultas, imo maxima, & Judæis numquam solvenda, quia sexti millenarii, ad quem elapso quarto millenario confugerant, ac iterum adventui Messiæ illum præstituerunt Cabalistæ & Rabbini, finis jamjam adest, & synagogæ pulsat fores. Siquidem annus nunc ab illis putatur 5419. Messias tamen iste ab illis tamdiu expectatus nullibi comparet, nulla ejus cura

prænuncia, nulla ſpes proxima. Quando erit igitur ea terrena, materialiſque Judaica felicitas tempore hujus Meſſiæ? Quantum durabit Judaicum hoc regnum ſub iſto Meſſia in omnes gentes, ac illarum principes, quorum opera non aliter ſunt uſuri Recutiri, ac beſtiarum & jumentorium, per quæ figurantur, ut mox citatus Menaſſeh affirmat? Quingenti, aut quadringenti anni beatitatis hujus Judaicæ tot centenos compenſabunt calamitatum, & miſeriarum, quos Iſrael paſſus eſt, patitur hactenus, & pro certo adhuc paſſurus? Minime vero, ajunt Rabbini; ſed tot erunt dies felicitatis hujus, quot fuerunt dies calamitatum, ut Pſal. 90. verſ. 15. ita de illis vaticinatus eſt Pſalmographus; *Lætati ſumus pro diebus, quibus nos humiliaſti: annis, quibus vidimus mala.* ſive ut ipſi legunt: *Lætifica nos, juxta dies afflixiſti nos, annos vidimus malum.*

Quid igitur, quæſo, doctiſſimi Rabbini, nunc agendum eſt? difficultas ſolvenda. Agite. ſed quis tantus erit? Menaſſeh Ben-Iſrael, quem nec fugit difficultas iſthæc, nec ſolutio Probl. mox citati in hæc verba: *Hoc ita ſuppoſito, reſtat dubium aliquod non leve, quod nobis ſolvendum eſt. Id hoc eſt, ſi iſta opinio* (quod ſcilicet Mundus ſit duraturus ſex mille annos) *vera eſt, & quod erit tempus Meſſiæ, ſive quis dicit Mundus ille Meſſiæ, quem Iſrael expectat, in quo promiſſo gaudio fruetur. Ratio dubitandi eſt. Cum enim Iſrael jam tot centenos annos tam graves calamitates paſſus ſit, & adhuc patiatur, ſola ſpe futuræ iſtius in diebus Meſſiæ felicitatis ſe ſublevans, ac ſuſtentans, profecto omnino par, & æquum videtur, ut anni iſti felices plures ſint, longiuſque durent. At vero cum jam agatur quinquies milleſimus trecenteſimus nonageſimus quintus annus a Mundi creati initio, exiguum temporis reſtat ad finem ſex iſtorum mille annorum; cumque ex Judæorum omnium ſententia nondum venerit Meſſias, videtur ſane nihil, aut parum admodum temporis reliquum futurum Iſraeli, quo feliciter vivat ſub Meſſia ſuo, & ſperata felicitate perfruatur.*

Ad propoſiti hujus dubii ſolutionem requirit Menaſſeh longiorem prolixioremque tractatum: putat nihilominus rem confectam eſſe, dum aſſerit, opinionem de corruptione Mundi ſexto millenario futura ex illius vaticinii præſcripto, apud omnes Hebræos non eſſe communiter receptam, quia R. Moſes Ægyptius, aliique Judæi exiſtimarunt, Mundum fore æternum, ſubditque: *Omnia vero loca, quæ videntur innuere contrarium, conciliantur; quemadmodum in Conciliatore meo videre licet.* At quæ, ſodes, conciliatio eſt illa Scripturæ locorum, cum ea, quæ Mundi æternitatem aliquo modo innuere videntur, proprie, & ad litteram accipiat Moſes ille, quæ vero corruptionem, metaphorice, & figurate? Hac ſane ratione nulla difficultas non ſolvitur, & nulla contradictio non conciliatur. Adde, quod nec dubium a Menaſſeh propoſitum ſolvitur, quia ipſe in ſuo Conciliatore quæſt. 30. ad quem lectorem remittit, contrariam, nempe Cabaliſtarum opinionem de corruptione Mundi ſexto millenario futura, amplectitur tamquam veram, ac magis piam, eamque a ſapientibus Prophetis receptam eſſe ex R. Selomo Ben Aderet ſententia ſcribit: idemque pluribus auctoritatibus & rationibus eam roborare obnititur. Quinimo hanc R. Moſis Ægyptii expreſſis verbis improbat lib. 3. de reſurrect. mortuorum cap. 11. atque adeo difficultatem iis verbis eluſit potius, quam ſolvit, & adhuc cum ſuis Rabbinis, & Cabaliſtis in eodem hæſitat luto.

Aliam quamobrem eodem Probl. cum recentioribus Cabaliſtis excogitavit ſolutionem. *Idcirco*, inquit, *quidam hujus ſæculi Cabaliſtæ animadvertentes eam difficultatem, diſſentiunt ab antiquis, & inquiunt, quando ait Eliahu* חד חרוב *& uno deſtruetur, non intelliguntur mille anni, neque univerſalis deſtructio: ſed quod uno die, aut una hora ſiſtetur generatio, & corruptio cum omnibus cæleſtibus motibus.* Suam vero ipſe dicens ſententiam libro 3. de reſurrect. mort. cap. 4. eamdem amplectitur hujus Eliahu, quem alium a Thisbite facit, prophetiæ interpretationem. *Ad me*, inquit, *quod attinet, ego poſtremam opinionem* (nempe recentiorum Cabaliſtarum) *tamquam veriſimiliorem, cæteris præferrem: ac proinde exiſtimo, Mundum uno die, vel*

unica hora destructum iri , id est , toto illo tempore suspensis , ac immotis stantibus orbibus cælestibus , nullam futuram , neque generationem , neque corruptionem , omniaque per resurrectionem innovatum iri , & ad meliorem statum reditura esse .

Ex hac unius difficultatis solutione plures aliæ haud leviores exoriuntur . Prima emergit ex interpretatione horum verborum vaticinii חרוב *& uno destruetur* , sive *destructus erit* , quibus volunt Mundi destructionem uno die, vel hora, aut momento temporis tantum duraturam esse. Sed sane verborum analogia aperte interpretationi huic repugnat , videturque necessario illam destructionem mille annos fore duraturam , quia ea tempora per millenarios distribuit vaticinii auctor ; tribuitque Mundi vacuitati , sive legi naturæ annos bis mille , bis legi Mosaicæ, ac totidem diebus Messiæ, demum destructioni unum absque ullo addito, quod possit variare sensum posterioris membri, aut illud restringat, ideoque eadem prorsus ratione intelligendum est , ac antecedentia . Nec puto sane aliter Menasseh explicaturum principis alicujus præscriptum , quo mandet illi , qui a thesauris est , ut singulis hujus sententiæ Rabbinis bis mille solvat aureos nummos, Menasseh vero unum.

Altera difficultas vertitur circa adventum Messiæ , quem Menasseh , & recentiores Cabalistæ ad ultimum relegant sexti millenarii diem , ipsique mortuorum resurrectionem adjungunt ; ut ex cap. 2. lib. 3. de resurrectione mortuorum ejusdem Ben-Israel patet, adeoque regnum ejusmodi Messiæ fore post ipsam resurrectionem necesse est . Atque hinc quis non videt , Judæorum sententiam de adventu Messiæ merum esse delirium , ac ut reliqua Rabbinica , & Cabalistica commenta vacillare , fluctuare, atque nutare tamquam nullo stabili, fixoque innixam fundamento , aut anchora veritatis firmatam . Nam cum primum , secundumque præstitutum terminum elapsos esse vidissent , ad tertium refugerunt , quem statuunt in ipso die resurrectionis , quamobrem tempus illud expectandum ipsis est . Profecto rationi longe consentaneum fuisset , vel vaticinium illud penitus negare , vel tempus protrahere , quam Messiam post resurrectionem expectare . Hoc unum certe argumentum , si Judæus essem , sat mihi luminis prætulisset, ad tam palpabiles tenebras abjiciendas, ac nutantem adeo persuasionem repudiandam; Christianamque amplectendam fidem; cum Christianorum Messias sive primi , sive secundi termini rationem ineas , ad præstitutum præscriptumque ab Eliæ vaticinio venerit tempus . Primus quidem terminus clare , dilucide , explicate , ac plane habetur ex textus Hebraici supputatione , juxta quem Christum Dominum , scilicet verum Messiam venisse constat circa initium quinti millenarii : secundum vero terminum non minus luculenter dat computus , qui ex septuaginta-duorum seniorum versione colligitur ; secundum quam Christus Dominus venit sexto millenario . Hæc supputationis varietas ab ipsis Judæis invecta non absque forte divina providentia obtigit ad illorum confundendam pervicaciam , ac ut illos utroque includat , concludatque termino , ne huc aut illuc loco dimoveri possent . Præterea manifestissima apud Menasseh in hac Judæorum sententia deprehenditur contrarietas , Siquidem lib. 3. de resurrect. mortuorum cap. 2. totis viribus ostendere nititur ex cap. 33. Deuteronomii, cap. 2. 23. & 49. Isaiæ, Psalm. 72. aliisque divinis oraculis , adventum Messiæ resurrectioni mortuorum , quæ erit ex ipsorum sententia , in fine sexti millenarii , conjunctum & annexum fore . Quod si ita est , qui fieri potest , ut Elias initium quinti millenarii , seu tertiam ætatis Mundi periodum huic adventui præscripserit? Quis sanæ mentis, & fidei facile credet , alium & alium terminum eidem rei a diversis Propheris præstitui ? Hinc quam misere cæcutiant miseri Judæi , Messiam quærentes , & expectantes , nemo clarissime non videt , nisi in luce meridiana cum illis cæcutire & ipse velit.

Adhuc occurrit alia difficultas, non solum omnium gravissima, sed etiam multiplex. Si enim ultimo die sexti millenarii Messias est venturus, quo die quoque mortuorum resurrectio obtinget, vaticinium illud Eliahu eluditur potius a Rabbinis, quam interpretatione explanatur ulla; quia illi bis mille anni, qui diebus & regno Messiæ tribuuntur, vagi erunt, ut ita dicam, & incerti, nec alium exitum habebit ejusmodi Prophetia, quam deliria Mahometi, cum hic non agatur de unius, aut alterius sæculi discrimine, sed de toto intervallo Messiæ adventui præscripto. Maxime obstat quoque assertio ejuscemodi ipsorum Rabbinorum alii sententiæ Psalmographi confirmatæ auctoritate, quam paulo superius retulimus, nempe tot fore dies Messiæ, & Judæorum felicitatis, quot fuerunt afflictionis: sed resuscitati numquam amplius morientur ex Tract. *Sanhedrin Viene*, *Midras Talmedenu*, aliisque libris, & auctoribus; ergo nec felicitate illa, quam semel consequuti sunt, excident. Beatitudo igitur Judaica, ac ultima felicitas tota materialis erit, corporea, ac terrena, nec aliud habebit objectum, aut in quoquam alio consistet, quam in uxoribus ducendis, liberis procreandis, divitiis cumulandis, demumque sensualibus voluptatibus in hoc Mundo, in melius renovato, vacando, ut idem quoque Menasseh lib. 3. de resurrect. mortuorum cap. 9. ultro fatetur, suamque hanc sententiam Judæis omnibus receptissimam esse conscribit, ac R. Mosis Ægyptii, & Isaaci Abravanelis contrarium sentientium opinionem pluribus improbat. Ex hujus Judaicæ felicitatis delineamentis suum formasse Mahometum paradisum arbitror, & ejus fundamenta jecisse. Verum non tam humiliter sensit, sapuitque, ut Rabbini; quia quamvis paradisum suum fluminibus lactis, mellis, butyri, & perennis, gelidæ, ac dulcissimæ aquæ allui asseruerit, elegantissimas puellas eo introduxerit, omnium lectissimorum, jucundissimorumque fructuum arborum genera ibi conseruerit, odorum, florumque suavitate omnia oppleverit, ædificia ex pretiosissimis gemmis ac margaritis excitaverit & exornaverit, demumque omnes illecebras, & voluptatum blandimenta, ac lenocinia quasi titillationes sensibus adhibuerit; nequaquam tam nobile domicilium in terris collocare dignatus est, sed super cælos septem, & maria septem ipsi locum delegit, & in septem tribuit ordines, ut ex capite proxime sequente clarius habebitur. Primus dicitur *domus majestatis*, secundus *domus salutis*, tertius *hortus voluptatis*, quartus *domus æternitatis*, quintus *hortus beatitudinis*, sextus *hortus paradisi*, septimus *hortus Eden*, qui cæteris eminet, & cujus convexo solium Dei est impositum. Quæ autem in hoc paradiso sunt, idem Mahometus auctor est, nec oculus vidit, nec auris audivit, nec humanum cor imaginari potest. At Judæi ut nullum alium paradisum agnoscebant ex terra Ægypti egressi, quam ollas carnium, quarum recordari non absque summa indignatione & animi mœrore dixerunt ad Moysen & Aaron: *Quando sedebamus ad ollas carnium, & comedebamus panem in saturitate*; ita ex Palestinæ possessione expulsi eo semper dirigunt mentem, ac terram illam lacte & melle fluentem pro suæ finalis beatitudinis objecto constituunt. Nam hanc inter Israelitas post mortuorum resurrectionem distribuunt iterum, cibo & potu materiali resuscitatos usuros asserunt, & terram illam in æternum eos possessuros affirmant, ut apud Menasseh lib. 3. de resurrectione mortuorum cap. 8. & 9. videre est. Exinde planum fit, cur tam intimo & capitali odio Christum Dominum prosecuti sunt Judæi, ac ab ejus aversi semper doctrina. Ille quidem bonorum terrenorum maxime inculcabat contemptum; ipsi contra nonnisi in hæc ferebantur, in hæc a cunabulis proni erant, horum gustum habebant dumtaxat, solus hic ipsis erat genius, altius (ut uno omnia complectar verbo) se extollere nequibant; nec degenerarunt a parentibus filii. Mundana Christus Dominus aspernabatur sceptra, vindictam ac talionis pœnam graviter condemnabat, vitam ipsam, qua nihil carius est, parvi ut facerent, suis persuadebat, & mortem, qua terribilius est nihil, ut oppeterent, ad beatam vitam consequendam, perpetuo hortabatur. At Judæi Messiam nonnisi regem terrenum agnoscebant patres, fatentur filii, ac propterea vulgato & communi epitheto eum *regem Messiam* voci-

tant; in vindictam autem & pœnam talionis præ cæteris mortalibus erant ac sunt proclives, ita ut si vires pares voluntati essent, de reliquis gentibus jam actum esset. Demum de longitudine vitæ, & cura cutis nihil attinet dicere: a minori enim ad majus argumentum hic procedit. Hoc unum sane confidenter addere non dubito, quod si Augustus Cæsar, Tiberius, aut Nero ipse, vel si quisquam alius scelerum libidinumque maculis contaminatissimus atque notissimus, Messiæ titulum, & officium apud Judæos suscipere voluisset, sceptra & bona largiens, aut largiter promittens, quin illum ut verum Messiam pronis genibus recepissent, idemque nunc agerent cum Turca, si bona terrena ipsis offerret, Scripturarumque oraculis id comprobare niterentur; quia loca illa, quæ adducunt pro primo Messiæ adventu in ipso die resurrectionis, non magis pro illo faciunt, quam pro aliquo istorum. Itaque mundanæ divitiæ & voluptates sensuales una & sola sunt Judæis Messiæ vera nota; addat Menasseh suam summam continentiam & moderationem quibus usuri sint his. Sed jam tempus est, ut ad semitam nostrum pungamus asellum, quemadmodum Syris in proverbio positum est, scilicet eo, unde digressa erat, nostra revertatur oratio.

Arabum igitur nonnulli alii apud Georgium Homaidium Elmacinum parte 1. sui Chronici perhibent, Planetas suum incœpisse motum in ipso conditu mundi a primo puncto sive gradu Arietis, colliguntque ex ipsorum Planetarum, aliorumque Astrorum directione exinde ad finem An. Heg. 662. elapsos jam esse annos mille millium millium, tercentos viginti mille, ac tercentos sexaginta unum annum. An autem juxta horum opinionem Mundus finem sit habiturus, nulla fit ibi mentio. Hæc opinio merum excogitatum est, & delirium censenda; peccat quippe in ipsa principiorum positione, quæ probanda prius erat: etenim posito semel falso principio, infinita sequuntur absurda.

Sunt etiam apud eumdem, qui singulis septem Planetis mille dominatus tribuunt annos, adeoque horum septem absolutis revolutionibus, quod fit singulis septem mille annis, Mundus hic elementaris renovabitur, & ad pristinum statum omnia redibunt. Hæc opinio maxime viguit inter Ægyptios, qua persuasi suos Thesauros, & pretiosa, ac sibi cara quæque secum sepeliri & recondi sedulo curabant, tamquam iterum in hunc reversuri mundum, suisque divitiis perfruituri. Sed hac de re fusius suo loco.

Judæorum nonnullorum non absimilis huic fuit sententia, asserentium Mundum elementarem sex millibus annorum duraturum, septimo vero millenario interiturum, iterumque exiturum novum, & hunc etiam sex mille annis peractis relapsurum esse ad pristinum chaos; atque ita vicissitudinem hanc subiturum usque ad quadraginta novem millia annorum; tum in nihilum omnia redactum iri. Futiles sane sententiæ; sed longe futiliores sunt rationes & argumenta quibus asseruntur.

CHRONOGRAPHORUM, ATQUE HISTORICORUM ARABUM

de ejusdem Mundi origine, & duratione Sententia.

CAPUT NONUM.

SUPERIUS jam dictum est, priores Arabes non minus Chronologiæ, atque Historiæ studiis operam navasse, quam aliis disciplinis, etsi omnia antiquorum more susque deque fabulis & superstitionibus confuderint. Hoc porro ex eo maxime accidit, quia utraque a Poetis aut conscribebatur, aut ad scriptores alios inde manabat. Quod vero iisdem vitiis contaminata ad Mahometanos Auctores

fluxe-

fluxerit, ex eo factum est, quoniam, ut supra quoque notavimus, omnium gentium & populorum fabulas, superstitiones atque nænias retinuit non solum Pseudopropheta Mahometus, sed etiam tam scriptis quam verbis comprobavit, ac tertium quid ex illa temperavit colluvione, quæ lex Alcoranica dicitur.

Porro ad argumentum præsens quod spectat, ut propius accedamus, notandum est omnes Chronographos, & Arabum Historicos utriusque seculi, nempe antiquos & recentiores, Philosophis quibusdam exceptis, ut supra videre est, uno affirmare ore, Mundum a Deo creatum esse aliquando. Quo autem ordine ex ipsis referre, atque graphice exprimere non gravabimur, ut exinde curiosi videant Lectores, gentibus etiam in densissimis tenebris constituris semper aliquid maximi ejus luminis veritatis affulsisse, etsi ob oculorum mentis hebetudinem, eas esse potius hallucinatas dicendum est, quam vidisse.

Asserunt igitur, Deum Optimum Maximum, cum res a privatione ad esse producere decrevit, omnium primum tabulam quamdam amplissimam, & calamum creasse, ut singula quæ futura sunt usque ad diem Judicii in illam referret. Hoc facto album margaritum procreavit absque ulla prævia materia, quod, cum illud oculo majestatis conspexisset, in aquas liquefactum est, unde abyssus emersit. Hæc subsecuta est aeris productio, tum animarum; quanquam alii velint, animarum creationem omnes alias præcessisse creatutas, post illas vero Angeli quatuor qui Dei solium portant, procreati sunt, quorum princeps Istaphael dicitur. Post hos autem quatuor reliqua Angelorum producta est turba. Cæteras autem creaturas ad esse educere statuens altissimus Deus album unionem creavit, qui oculo divinæ Majestatis conspectus statim liquefactus est, ac ebullire, fumumque sursum emittere cœpit, atque spumare. Quo facto terras septem constituit ex ejus spuma Deus, nec non fluctus & montes; ex fumo vero cælos totidem. Quoniam autem terra suo pondere deorsum ferebatur, nec suspensa stare poterat, ipsi ceti cujusdam immensi supposuit dorsum, de quo ita Alcoranus: *Per calamum, & quæ scribit; per cetum, & quæ sustinet*. Ceto autem, eadem urgente difficultate, aquarum subjecit abyssum, huic immensum saxum, cui Angeli dorsum, Angelo aliud ingentissimum saxum, de quo sermo est in Alcorano, huic demum ventos. Quidam primo loco ponunt taurum, secundo saxum, tertio cetum, quarto ventos; omnemque terræmotus causam in taurum rejiciunt, asseruntque hunc accidere, cum taurus fessus aliquando tantæ molis onere, illam ponderet, liberetque, ac membra minus defatigata ponderi sufficiat: tunc enim, ajunt, terra huc & illuc impellitur, & excutitur, unde motus ille. Aliis minime ea arridet opinio, quare molem terræ monte Kaf, cujus reliqui montes rami sunt, tamqnam clavis trabalibus firmatam, confixamque esse volunt. Universi hujus opus sex dierum spatio confectum esse hoc ordine tradunt. Primo & secundo die terra creata est. Tertio die montes, & quicquid in illis est. Arbores ac germina, die quarto. Cæli die quinto. Die sexto demum sol, luna, stellæ, planetæ, Angeli. Quamobrem diem hanc يوم الجمعة *Jaum Algiomha*, id est, *diem collectionis & impendii*, vocant Arabes, quia in illa collectio & summa omnium creaturarum facta & perfecta est. Ex quo dies iste maxima in veneratione habitus semper est cum apud Arabes seculi ignorantiæ, tum apud eos, qui Mahometo nomen dederunt; simulque ex his palam fit, falsissimam esse illorum opinionem, qui in honorem Veneris hunc diem celebertimum esse Arabibus scribunt. Cælum autem, quod terram ambit, nobisque proximius est, ex cæruleo saphiro conflatum esse autumant, secundum ex candidissimo argento, tertium ex carbunculo, quartum ex albo unione, quintum ex auro purissimo, sextum ex jacyntho; septimum tandem ex lucentissimo lumine. Super hos cælos septem totidem lucis maria expandunt, & super hæc paradisorum constituunt parem numerum. Primus vocatur *domus majestatis*, ex candidissimis constans margaritis. Secundus,

domus salutis, ex lucidissimis carbunculis. Tertius, *hortus voluptatis*, ex viridi smaragdo. Quartus, *domus aeternitatis*, ex flavis coraliis. Quintus, *hortus beatitudinis*, ex candidissimo argento. Sextus, *hortus paradisi*, ex auro purissimo. Septimus, qui caeteris eminet, cujusque convexo solium Dei impositum est, *hortus Eden*, ex pretiosissimis unionibus. In his quidem mansionibus variis praeparavit Deus, ait Mahometus, suis cultoribus, quae nec oculus vidit, nec auris audivit, neque cor humanum imaginari potest. Locum illum beatitatis Mahometani vocant finem ultimum, beatorum Mundum, faciem Dei aeternam. Confer haec cum paradiso nuperorum Judaeorum, de quo supra vidimus. Sub solio Dei aliqui constituunt expansum, sive mare divinae providentiae, ex quo necessaria alimenta creaturis defluere ajunt. Inde quippe asseverant, de uno ad aliud caelum fluunt pluviae, donec perveniunt ad locum quemdam, quem *Abram* vocant, a quo venti eas deferunt ad nubes, quas agitantes, atque cribrantes, ut loquuntur, super terram dispergunt. Circulum lacteum, sive lacteam viam, quam γαλαξίαν Graeci vocant, ob lac Junonis effusum, ut Poetarum fingunt fabulae, portam caeli esse autumant, per quam descendunt, ascenduntque Angeli. Poetarum etiam fabula est, hanc esse viam, per quam superi ad Jovem accedebant. Ovidius:

Est via sublimis caelo manifesta sereno,
Lactea nomen habet, candore notabilis ipso,
Hac iter est superius ad magni regna Tonantis,
Regalemque domum, &c.

Haec ipsis Arabibus dicitur *via straminis*, sive *palearum*, fabula ab Ægyptiis derivata. Fingunt enim Typhonem Isidis fugientis fasciculum aristarum sibi objectum in caelo dispersisse, ex quo circulo illi nomen mansit, ut refert doctissimus, linguarumque peritissimus R. P. Athanasius Kircherus Societatis Jesu in Supplemento Prodomi, cap. 5. de Ægyptiacis stellarum appellationibus. Per hunc quoque circulum fluxisse olim cataclysmi aquas, iidem fabulantur. Antiqui Chaldaei hanc fuisse superorum viam Poetis assentiebantur: Caeli vero portam, per quam descendunt Angeli, ascenduntque animae, Ursam majorem statuebant, quam eminentiorem totius caeli partem faciebant. Machinam autem terrae, ea, qua diximus mox, ratione ad perfectionem perductam, Geniis incolendam excolendamque ab ejus Auctore Deo traditam fuisse perhibent, eisque Ablisum, quem nunc Diabolum & Satanam vocamus, praefectum fuisse. His plura dedit praecepta Deus observanda, inter quae praecipua erant, ut ne animalium effunderent sanguinem, nec odiis, & inimicitiis sese prosequerentur. Divinis igitur obsequentes mandatis, & nutibus terram hanc coluerunt, excoluerunt que septies centena millia annorum, tandemque divina praecepta parvi facientes, & sanguinis effusioni largiter operam navarunt, & odia atque inimicitias inter sese exercere coeperunt. Quod videns Ablisus, nec remedium afferre valens, Deum altissimum obnixe rogavit, ut illum in caelum transferret, ne aliorum sceleribus macularetur. Hujus precibus acquiescere non est dedignatus Deus, sed benigne illas excepit, & suorum votorum fecit compotem. Ille beneficii haud immemor noctu diuque divino cultui totus sese dedit, unde brevi promeritus est, ut terrarum regnum, imperiumque ipsi conferretur. Quamobrem adjunctus illi est Angelorum ingens exercitus, cujus ope genios illos improbos, ac perduelles ad maris insulas abegit. Ego sane fabulam hanc ex Bulegihani, qui secundus a Chiumorro regnavit Persis, enatam esse arbitror. Ferunt quippe Arabum, Persarumque Historiographi, Bulegihanum hunc infinita propemodum nebulonum, scelestorum, ac improborum turba orbem terrarum expurgasse, & ad insulas maris ablegasse, illosque diabolos appellare voluisse, ac gigantes. Huc quoque forte respicit illud Apostoli: *Omnes insulani mali*.

Interea hominem creare decernens Deus Angelis ait: Utique creaturam quam-

dam etcate jam statui. Cui respondetunt: Domine, quæ creatura hæc erit? Quibus Deus: Quæ mandata mea transgredietur, ac petparvi faciet; cujus posteri iniquitates ac scelera sunt commissuti enotmissima, invidia ad hæc tabescent, inimicitias exercebunt inter sese graves ac periculosas, frater fratrem neci dabit, irridebitur a filiis pater; uno verbo, nullum non patrabunt malum, aut crimen. Cur, inquiunt Angeli Deo, terrarum imperium effundenribus sanguinem tradis, & omne criminum scelerumque genus pattantibus subjicis; nos vero, qui diu noctuque tuas extollimns laudes, ac sanctissimum tuum celebramus nomen, excludis, & depellis? Quibus Deus: Quæ ego scio, vos nescitis. His dictis Gabrieli præcepit, ut pugillum terræ sibi afferret. Cui, cum divina mandata executioni mandare præsto esset, terta ait: Te per Deum adjuro, ne diminuas me; qui tanto abstertitus sacramento, vacuus reversus est. Quamobrem mittitut Izrael, nempe Angelus mottis, quem eodem modo terra adjuravit. At ille juramento juramentum retundens ipsi ait: Ego quoque per Deum te adjuro, ne vacuum remittas me, divino præcepto execurioni minime mandato. Pugillum igitur capit terræ rubri, nigri, albique coloris, ex quo factum est, ajunt, ut homines non ejusdem, sed varii, ac diversi coloris sint. Quidam vero Auctores tradunt, diversa hominis membra ex diversatum regionum luto compositra esse, atque compacta. Asserunt quippe, caput esse ex terra Caabæ, qui locus est, ubi nunc Mechanum cernitur Templum, pectus ex terra Syriæ, dorsum ex Ægypto, ventrem ex Indiis, manus ex Oriente, pedes ex Occidente. Nonnulli alii ex septem terris compactum esse hoc humanum corpus comminiscuntur; nempe caput ex prima, collum ex secunda, pectus ex tertia, manus ex quarta, dorsum & ventrem ex quinta, coxas, & nates ex sexta, crura & pedes ex septima. Alii tandem affirmanr, caput ex terra Jerusalem esse formatum, & ideo intellectus, prudentiæ, & imaginativæ sedes effectum est. Vultus autem ex paradisi humo conflatus est, pulchritudo propterea splendet in illo. Oculi ex piscina fluminis Alcauthar (est Arabibus unus ex paradisi fluminibus) concreti sunt, quamobrem venustas in illis elucet. Dentes ex ejusdem fluminis lapillis conflati sunt, hinc leporibus sunt præditi. Manus ex terra Caabæ formatæ sunt, quare laboris & industriæ sunt instrumenta, & omnis adminiculi vasa. Dorsum ex Chaldæa, idcirco fortitudine est instructum. Pudenda ex terta Babylonis, ex quo sunt libidinis sedes. Ossa ex montibus, hine duritiem adepta sunt. Cor ex terra Paradisi, quare fidei est subjectum. Lingua ex terta Arabiæ, ideo est diserta.

Formatio porro hominis hoc ordine & ratione se habuit. Pugillus ille terræ ex omnium sententia in quodam Paradisi loco repositus est quadraginta annorum spatio, donec lutescere cœpit; in lutum autem reductus aliis quadraginta annis ibidem remansit, donec alterarus fœtuit. Tum ex fœtido illo luto statuam quamdam formavit Deus, humanam tribuens illi figuram, sed tanta cura & studio, ut nonnisi post centum viginti annos ultimam perfectionem & manum ipsi imponere potuerit, nec ulla præteribat dies, quin aliquid laboris & studii circa illam impenderet. Humanam hanc statuam perpetuo Ablisus, seu Satanas intenro animo contemplabatur, ac penes se dicebat: Ad aliquid maximi momenti ac ponderis formatum est procul dubio hoc opus. Aspectum ipsum naturali quadam repugnantia maximopere horrebat, refugiebat. At animosior aliquando factus proprius accessit, ac luti aliquid summo corripuit digito, & naribus admovit, ex quo tanto terrore improviso perculsus est, ut numquam posthac ausus sit eo respicere. Ex hac fabula duplex alia subnascitur. Asserunt siquidem primo, umbilicum humani corporis nihil aliud esse, quam vestigium digiti Ablisi; secundo, ex frustulo illo luti, quod idem abstertitus excusserat, canem emersisse, qui suis latratibns diabolum persequi, & abigere inde cœpit, ac hominem defendere. Et hoc quidem causæ est, ajunt, cur canis tanta pro-

sequatur hominem familiaritate, & excolar amicitia; quia scilicet ex eadem procreatus est luti massa, nempe hominis umbilico. Hactenus affirmant posteri quoque, canem esse satis formidabilem, ac maximi terroris diabolis: quare in domibus nostris alendus est, atque nutriendus non solum adversus obnoxias feras, sed etiam ipsos dæmones, ac malos Genios. Quam autem ob rem canum hospiria alicubi apud Arabum Gentem etiam sub Mahometismo erigi videmus, & publicis expensis alimenta ipsis comparari. Grassante pestis contagio capita sua redimere putant Arabes, si canis caput ad januam suspensum singuli pro se habeant. Sic enim decreti divini solvi arbitrantur debitum, tot animalium mortem exigentis. Hinc canum multitudinem ubique obviam in Arabum urbibus videre est.

Hominem autem, seu statuam illam tanto impendio elaboratam spiritu vitæ animare volens Deus altissimus, & nobilissimam omnium indere illi formam, Angelis præcepit, ut statim atque id factum fuerit, ipsum proni adorarent. Divina jussa exequuntur omnes, Ablisо & satellitibus exceptis, qui superbia turgens ait: Adorabone illum ego, qui ex igne sum creatus, qui immensum quantum nobilitate distat a vilissimo luto, ex quo iste factus est? Ego ego sum ille, qui tot annos imperium rexi terrarum, atque dominus sum. Ego ego sum ille admirandis exornatus alis, lumine vestitus, & honoribus omnibus coronatus. Ego ego sum ille, qui te colui in terra & in cælis. Absit ergo a me, absit ut talia præstem, aut mandato ejusmodi obsequi patiar. Quibus indignatus Deus verbis ex suo expulit illum conspectu, & diris devovit æternis. Argumenta & rationes Satanæ ad suos satellites adversus Deum referemus agentes de septuaginta-tribus sectis Mahometanorum; hunc quippe Ismael Sciahinsciah, & alii scriptores Hæreticorum faciunt coriphæum, auctorem, & magistrum, quos arguendi & ratiocinandi docet artem, qua simpliciores irretiunt.

Qua vero ratione ac modo spiritus in faciem sive nares Adami insuflatus singula animavit membra & artus, non minus fabulosa quam lepida est narratio. Quandoquidem insuflatum ejusmodi spiritum centum mille annorum spatio fictum ex luto simulachrum circuisse affirmant, demumque per os ingressum esse sexto die mensis Aprilis. Cum autem oculos animasset, sese contemplari cœpit Adam, & lutum reliquum adhuc esse videns maximo afficiebatur dolore. Perveniente vero spiritu ad aures, Angelorum audivit concentus, laudesque quibus perpetuo Creatorem celebrant. Per reliqua capitis diffundente sese membra spiritu sternutavit, ac soluta lingua dixit: *Laus Deo*: cui Deus: *Misereatur tui Deus, o Adam*. Ad pectus descendente spiritu sese erigere tentavit, sed conatibus irritis; hinc dixit Alcorani Auctor: *Mora impatiens erat homo*. Tandem ad extrema pedum perveniens spiritus ille iter suum confecit, absolvitque spatio centum mille annorum. Ad perfectionem perductum tam graphicum, operosum, ac nobile opus in cælum assumptum est, injunxitque Deus Angelis, ut cælorum omnia mirabilia homini ostenderent, quod centum annis factum est. Inde in terrestrem paradisum remittitur, ibique immisso illi sopore ex educta lateris sinistri costa mulier formatur, quam Evam Deus appellari voluit, quia de vivente sumpta est. Hoc nominis Evæ etymon non minus abest ab illo, quod in sacris Litteris legitur, quam reliqua creationis Arabicæ narratio. His peractis uttique præcepit Deus, ut ne de arbore scientiæ boni & mali comederent. At illi tribus horis ejusdem diei exactis, sive, ut aliis placet, sex, a diabolo per serpentem seducti divinum fregerunt mandatum, ac inde propterea expulsi sunt. Itaque juxta primam opinionem in paradiso morati sunt ducentis quinquaginta annis communibus, sive mundanis, uti loquuntur; juxta secundam vero quingentis. Unus quippe dies illius felicissimæ ac beatissimæ vitæ æquivalet mille annis hujus nostræ infelicissimæ, quam nostri primi parentis culpa luimus. Ex his aut Mundum æquinoctii tempore procreatum fuisse, aut paradisum sub æquinoctiali situm linea, aut utrumque concurrisse colligitur, quia diem

perpetuo duodecim horis metiri videntur, cum tres horas quadrantem illius diei, & sex horas dimidium faciant. Hoc idem Judæi tenent, atque comprobant Psalmistæ auctoritate, qui asserit mille annos in oculis Dei esse sicut diem hesternum. Paradisum quoque fuisse in totius orbis eminentissima parte ex horum opinione infertur, quia Deus Adamum, Evam, diabolum, & serpentem præcipites in terram egisse dicitur. Ita autem præcipitatis non idem locus contigit, quia Adam cecidit in quamdam Indiarum insulam nomine Sarandib; Eva vero in eum locum Arabiæ, ubi nunc civitas Gedda conspicitur; Ablisus, sive Satan in Basan, vel ut alii malunt, prope urbem Basoram; serpens demum in Asphahanum, sive ut aliis placet, Nisiben. Nec silendum est, quod hac occasione de Indiarum aromatibus fabulantur Arabes, dum scribunt, omnes aromatum arbores, plantas, ac stirpes in ea provenisse regione ex foliis quibusdam, quæ secum eo asportaverat Adam.

At suis hactenus luxuriati sunt fabulis Arabes: quamobrem tempus jam est, ut illos in ordinem redigamus, & ab immensis propemodum temporum spatiis ad veram calculi rationem revocemus. Quæ autem Adami expulsionem e Paradiso antecesserunt temporum immensa propemodum ac innumera intervalla aliquorum Hebræorum næniis & commentis accensenda sunt, qui alios quoque Mundos ante hunc nostrum, in quo degimus, extitisse scribunt. Hanc opinionem præter R. Abhu & R. Jehudam ex antiquis Rabbinis, ut in Beresit Raba traditur, tuetur, atque defendit omnium impietate notissimus, ac blasphemus Isaacus Abravanel, quem Menasseh Ben-Israel Probl. 52. de creatione Mundi refert, & sequitur.

Quo notato, scias, Arabes temporum supputationem, & Mundi Æram exordiri ab Adami expulsione, sive casu, ut loquuntur, a qua tamquam a fonte cæteras derivant, ut ex subjicienda Ærarum tabula videre est; atque adeo Æra casus Adami eadem est Arabibus ac Judæis & Christianis Æra creationis Mundi, & ipsius Adami. Advertendum tamen est diligenter, tantam esse inter scriptores in subducenda annorum ratione ex daro Mundi exordio confusionem, tot rantaque discrimina, ut alias & alias esse periodos, ac alia & alia principia nemo non crediderit. Tot discriminum duas ut præcipuas assignant juniores Arabes causas. Altera harum duarum causa ex Ærarum multiplici numero enata est: quandoquidem ante Mahometismum singulis principibus & regibus peculiaris constituebatur Epocha, qua publice acta notabantur: quamobrem multiplicato hoc Ærarum numero, annorum decursu tanta confusio posteris Chronographis emersit, ut in suo Chronico animadvertit apud Sciahinsciaeh Hamza Asphahanensis Persa scriptor. His linguarum addit mutationem idem Sciahinsciah, quæ imperia sequuntur ut plurimum, & librorum, qui in hoc genere scriptionis extabant, deplorandam amissionem, quæ cum temporis edacis injuria, tum incuria hominum & barbarie passim accidisse legitur. Altera vero harum causarum ex variis sacrarum Litterarum Editionibus orta est, postquam Judaismus, Christianismus, & Samaritica hæresis propagari cœperunt inter Arabes, quemadmodum omnes fere perhibent gentis scriptores. Has autem inter Editiones haud facile concilianda versari discrimina in annorum putatione, nemo mediocriter in ipsarum lectione versatus ignorat. Ex quo factum est, ut qui Samaritanam sequuti sunt Editionem, minime conveniant cum illis, qui aut Hebraicum textum, aut LXX. versionem sunt amplexati; & vice versa, illi, qui post Mahometum scripserunt, LXX. editioni adstipulati fere sunt omnes, repudiatis ut falsis atque corruptis Hebraicis Samaritanisque numeris. Audiatur nunc inter alios plures in præludiis Historiæ Gentium Ismael Sciahinsciah, ita de Samatitani textus Chronologiæ adulteratione scribens. *Hæc editio*, inquit, *Samaritana indicat inter casum Adami, & diluvium annos intercessisse* 1307. *Porro diluvium contigit anno* 600. *ætatis Noe, & vixit Adam (super quem pax) ex omnium consensu annos* 930. *Igitur juxta hanc editionem Adam vita defunctus est agente Noe annum* 200. *quod affirmare est maximum absurdum. Indicat præterea hæc editio, ab exacto diluvio ad nativitatem Abrahæ*

dilecti (super quem pax) elapsos annos 937. *& a nativitate Abrahæ ad obitum Moysis annos* 545. *Igitur ab Adami casu ad obitum Moysis putantur anni* 2737. *De intervallo porro, quod intercedit inter obitum Moysis & Hegiram duæ sunt opiniones, una Chronographorum, Astronomorum altera. Si enim numerus ex Samaritana editione subductus addetur numero a Chronographis subducto ab obitu Moysis ad Hegiram, conficent anni a Mundi conditu ad Hegiram* 5135. *Intervalla vero ab hac eadem editione subducta, si addentur Astronomorum supputationi, dabunt annos* 149. *minus, quam prima supputatio. Ex his itaque omnibus plane deprehenditur hujus editionis corruptela, cum ex ejus mente longo temporis intervallo Noe cum Adamo vixerit.*

Hebraicam porro editionem ita idem improbat Auctor. *Textus autem*, inquit, *Hebraici inde patet corruptela, quod a casu Adami ad diluvium putet annos* 1556. *a diluvio vero ad nativitatem Abrahæ annos* 292. *At Noe ex omnium consensu vixit post diluvium annos* 350. *Colligitur itaque Noe vita defunctum fuisse agente Abrahamo annum* 58. *quod maximum est etiam absurdum. Fieri enim nequit, quod Noe attigerit Abrahæ tempora, quoniam gens Hudi exorta est post gentem Noe, & gens Salehi post gentem Hudi, Abraham vero ac gens ejus post gentem Salehi. Quod quidem demonstratur ex Hudi verbis, quibus suam ita hortabatur gentem, ut Alcoranus testatur:* Mementote, quod successores gentis Noe constituerit vos Deus. *Iisdem quoque verbis suam exhortatus est gentem Salehus. Ex quibus dilucide patescit hujus Hebraici textus, quo Judæi hac nostra ætate utuntur, cujusque innituntur auctoritati, corruptela. Sed ad intervalla a creatione Mundi deducta nunc veniamus. Putat hic textus a casu Adami ad diluvium annos* 1556. *& a diluvio ad nativitatem Abrahæ dilecti (super quem pax) annos* 292. *& a nativitate Abrahæ ad obitum Moysis ex communi consensu* 545. *Ab obitu autem Moysis ad Hegiram, juxta putationem textus Hebraici, & electionem Chronographorum, sunt anni* 4741. *juxta Astronomos vero, & ejusdem textus putationem* 4492. *nempe* 249. *anni minus. Summa quidem Periodorum ex hoc subducta textu exceditur ab illa, quæ colligitur a Græco, cuius auctoritati est innitendum, annis* 1475. *quæ est summa illa, quam Judæi a præterito tempore annorum Mundi detraxerunt. Modus autem, quo id præstiterunt, eiusmodi fuit: transtulerunt ex ætate Adami, & singulorum filiorum annos centum ante filiorum suorum nativitatem, illosque reposuerunt post nativitatem, ex quo factum est, ut summa vitæ singulorum integra manente, intervalla & periodi diminutæ sint. Adam siquidem annum agens* 230. *genuit Seth, & vixit Adam ex communi consensu* 930. *Judæi autem sumentes* 100. *annos ex vita Adami ante nativitatem Seth, eosque reposuerunt post ejusdem nativitatem, ita ut juxta illorum textum Adam genuerit Seth annum agens* 130. *summa vitæ hac ratione integra manet, tempus tamen minuitur annis* 100. *atque ita in cæteris factum est, unde contigit illa tot annorum diminutio. Fertur autem, Judæos ad id patrandum compulsos fuisse, quia tam ipsorum Scriptura, quam libri alii prænunciaverant Messiæ adventum in fine dierum futurum esse, qui revera fuit sexto millenario, sed cum id patraverint, translatus est ad initium millenarii quinti, qui est medium tempus, & non finis. Quandoquidem totam Mundi ætatem* 7000. *annorum faciunt isti.* Hæc Ismael Sciahinseiah.

Antequam autem ulterius progrediamur, tria hic notanda sunt ex Ismaelis mox relatis verbis. Primum, summa, seu periodus, quam a creatione Mundi ad diluvium ex Hebraico textu suæ ætatis, quem in Perside, ubi scripsit, consuluit, centum annis ab illa exceditur, quam nostra nunc exhibent in Occidente exemplaria. Ille tamen non semel testatur, non solum se plura evolvisse ejusmodi Hebraica exemplaria, sed etiam Rabbinos, & gentis Doctores adhibuisse, quemadmodum fecit quoque ante illum in suo Chronico conficiendo Hamadaddinus Ismael princeps Hemat. Ex quo plane colligere est, exemplaria, quibus usus est uterque Ismael, differre ab iis, quæ legunt nunc in Europa Judæi, nec ita sibi ubique constare, ut blaterat & rudit noster Judæus. Secundum, quamvis verba illa Hudi & Salehi ad suas gentes qua ab Alcorano relata nullius sint habenda ponderis aut momenti, nihilominus captu difficillimum esse videtur, quomodo tam brevi temporis inter-

vallo tot potentissimi reges sub ipsa Noachi ætate emergere potuerant, ac gentibus penne innumeris regnare, quæ vix, aut ne vix quidem suam agnoscebant originem, adhuc etiam vita fruente omnium parente. Legat, qui vult, R. P. Joannis Morini Presbyteri Congregationis Oratorii JESU CHRISTI, viri præter insignem Hebraicæ Linguæ peritiam, undequaque doctissimi cap. 2. Exercit. 7. lib. 1. de Hebræi Græcique Textus sinceritate, in quo hac de re suo more literatissime disserit, idque tractat argumenti. Demum ea opinio de corruptela & adulteratione Judaicæ Chronologiæ ad negandum Christi Domini adventum, atque ad evitandum præstiturum ab Eliæ vaticinio tempus, ac receptissimam antiquorum omnium Rabbinorum traditionem, non solum ab hoc Ismaele asseritur, sed etiam ab omnibus aliis Mahometanis scriptoribus, quotquot hoc argumentum Chronologicum tractarunt. Sed hac de re alibi fusius dictum est.

Quænam autem fuerit ejusdem Auctoris de textu LXX. sententia, eamdem Chronologiam quod attinet, hæc ejus ibidem ostendunt verba: *At Græca editio*, inquir, *quam exactiores elegerunt Chronographi in suis conficiendis chronicis, nihil absurdi sane continet, aut difficultatis, quod præteritas spectat ætates. Hanc septuaginta-duo transtulerunt Doctores ante nativitatem Messiæ annos circiter* 300. *cura & solicitudine Ptolomæi, uti dicemus ad calcem Historiæ filiorum Israel, dum agemus de ejus versione ex Hebraico in Græcum idioma, ut ibi, Deo juvante, videre poteris. Hanc propterea & nos versionem selegimus ad hoc nostrum Chronicum contexendum, eamque cæteris prætulimus. Ista indicat siquidem ab casu Adami ad diluvium, quod contigit ætatis Noe anno* 600. *intercessisse annos* 2242. *ac inter illud & nativitatem Abrahæ dilecti (super quem pax)* 1081. *inter nativitatem vero Abrahæ, & obitum Moysis ex communi omnium Editionum consensu ann.* 545. *De periodo porro ab obitu Moysis (super quem pax) ad initium regni Nabuchodonosor, dissensio est inter Astrologos & Chronographos. Quandoquidem isti, eam* 978. *annorum esse, statuunt, dierum vero* 248. *& ab initio regni Nabuchodonosor ad Hegiram putant* 1369. *ac dies* 117. *absque ulla dissensione. Quam autem periodum confirmavit quoque Ptolomæus in Almagesto, suasque secundum illam notavit observationes. Igitur inter Hegiram & casum Adami erunt anni* 6216. *quæ est selecta a nobis supputatio in hoc nostro concinnando libro. At Astrologorum periodi supputatio, quam in suas retulerunt tabulas, ab obitu Moysis ad initium regni Nabuchodonosor, putat annos* 249. *minus*. Hæc Ismael, cui plures alii adstipulantur Mahometani scriptores.

Ex hactenus autem enarratis planum fit, Editionem LXX. Interpretum non solum Christianis Orientis maxime probari, sed ipsis quoque Mahometanis, qui Hebraicam & Samaritanam examinatas, expensas, & cum illa diligentissime collatas, tamquam corruptas & adulteratas repudiarunt, rejecerunt atque improbarunt, hanc vero, ut magis veracem, & Chronologiæ consentaneam amplexati sunt. Huic opinioni non parum roboris addit Ecclesiæ Catholicæ auctoritas, quæ, ut auctor est Annalium Ecclesiasticorum scriptor eminentissimus in Apparatu n° 118. & in Annot. ad Martyrologium Romanum, ac alibi, antiquitus consuevit supputare annos ab origine Mundi non secundum Hebraicam editionem, sed secundum LXXII. Interpretes, & ipsa acta Synodica consignare, & quod caput est, hac hactenus utitur supputatione.

Sed gravis hic occurrit difficultas de annis Mathusalem, quæ gravissimorum Patrum & Scriptorum exagitavit animos, quamque libentissime amplectuntur, passimque opponunt, qui male sunt affecti erga LXX. Editionem, & Hebraicam quo lubet jure, & pertinacia defendere conantur. Siquidem secundum hujus LXX. Interpretum editionis subductos numeros comperitur Mathusalem vita defunctus esse annis post diluvium 14. sive, ut habet Eusebius Chronicorum lib. 1. annis 15. Hic error solus in causa fere fuit, ut posteriores Chronographi Occidentales LXX. Editione repudiata Hebraicam sint secuti. Orientales vero non item, quod nusquam ejusmodi error in eorum comperiatur codicibus, aut deprehendatur, sed omnium constantissima supputatione plane habetur, Mathusalem eo-

dem, quo contigit diluvium, anno excessisse. In eos autem Græcos codices, ex quibus id erroris colligitur, eum quoque casu & fortuito irrepsisse manifestum est, quia tempore D. Augustini non omnes codices pervaserat; ut ipse testatur quæst. 2. Genes. Multo minus etiam tempore Josephi, Africani, Eusebii, & aliorum, qui licet LXX. secuti sint, hanc tamen corruptelam minime animadverterunt.

Arabes, si hac difficultate laboravissent, facile suis fabulis illam absolvissent & expedivissent, cum asserant in arca Noe octoginta servatas fuisse animas, nempe mares quadraginta, ac totidem fœminas etiam præter Noe uxorem, filios, & nurus. Isti ex arca egressi urbem, ut Arabibus placet, condidere, & ex suo nomine *Octoginta* nominarunt. Hanc civitatem idem nomen adhuc retinere affirmat in Pratis aureis Mashudius, tempore quo scribebat, videlicet Hegiræ anno 332. Ismael Sciahinsciah ex quorumdam aliorum sententia sex tantum præter Noe familiam arca inclusos fuisse tradit. Sed utraque opinio Judæorum haud absimilibus næniis accensenda est, qui dæmones, ne aquis diluvii submergerentur, in arcam quoque admiserunt, ut de Gigantibus, Rhinoceronte, ac aliis id genus nugis nihil inpræsens dicam.

Ad corruptelam illam in ætatum Patriarcharum numeros invectam quod attinet, potius Judæorum malitiæ, ne pauperem Messiam præter spem & genium reciperent, confidenter adscribenda est juxta Orientalium omnium Auctorum opinionem, quam LXX. Interpretibus. Quod quidem ex iis, quæ Rabbinorum antiquissimi perhibent de Adami ætate ante genitum Seth clarissime evincitur. In *Beresith Raba*, qui liber est maximæ auctoritatis apud ipsos Judæos, tradunt Rabbini, Adamum ab Eva uxore abstinuisse post Abelis necem annos 130. quibus elapsis cognovit eam iterum, quæ concipiens peperit ei Seth. Ex his autem videntur Judæi putare annos Adami a morte Abelis ad nativitatem Seth solum, rejectis iis, qui necem illam antecesserunt. Hanc receptissimam Hebræorum traditionem citant R. Moyses Ægyptius in *More Nebochim* lib. 1. cap. 7. *Midras Tanchuma*, sive *Jelammedenu*, R. Selomo in Genes. 4. 25. Elias in Thisbi voce לילית, & alii. At quis cordatus, & intellectu præditus facile sibi persuadebit, eodem Adami creationis anno Cainum, & Abelem genitos fuisse, ac eodem anno contigisse fratricidium? Necessario igitur sequitur Adamum, cum genuit Seth, ætate majorem fuisse, quam 130. annorum, quos ipsi tribuit præsens Judæus textus a sua creatione ad nativitatem Seth. Et sane multo vero similius est ex illius temporis conditione Abelem vita defunctum fuisse annos agentem 100. qui additi annis 130. quibus Adam abstinuit ab Eva post illam necem, conficent anni 230. quos Adamo LXX. editio tribuit. Huic opinioni de abstinentia Adami eo temporis intervallo Orientales omnes adstipulantur. Videsis Georgium Elmacinum parte 1. sui Chtonici, Gregorium Barhebræum lib. 1. & alios. Nec difficultati satis responsum esse arbitrentur, qui opinionem hanc fabulis accensent sola assertione, nulla probatione accedente, præsertim cum præter universalem assensum non parvi, aut levis roboris argumentum a LXX. auctoritate habeat.

Concludendum tamen est, utriusque seculi Chronographos Arabes omni asseveratione affirmare, Mundum hunc elementarem finem habiturum aliquando, quemadmodum & principium habuit, iisdemque plane ad id probandum utuntur argumentis, ac quibus Philosophi contra Dahritas. Notandum adhuc est, id a nemine illorum, qui mortuorum concedunt resurrectionem, negari, sed tantum ab iis, qui mortales esse animas credunt.

DE

DE ARABUM UTRIUSQUE SECULI EPOGHIS, SIVE ÆRIS:

CAPUT DECIMUM.

ARABIBUS ante Mahometismum, cum non una eademque esset persuasio, ita nec una eademque erat Epocha, aut Æta. Nam qui Judaicam profitebantur Legem, Judaica utebantur Epocha; Samaritana, qui Samaritanam; qui Christianam, vel Christiana a Christo Domino nato, vel ea, quæ a LXX. Interpretum Editione statuitur: qui demum nulli harum religionum addicti erant, tot constituebant Ætas, quot regnabant illis reges, ut capite superiore notatum quoque est. Ex quo quidem non parum confusionis in actis publicis, & scripturis consignandis exoriebatur, ac temporum perturbationis. Contingebat enim, atque contingere poterat aliquando, ut uno eodemque anno duo vel tres regnarent reges, unde totidem Epochæ sanciendæ erant, adeoque ratione trium illarum Epocharum unus annus, sive unius anni fragmenta ac partes pro tribus solidis annis putabantur, quod supra etiam ex Arabum Auctoribus animadversum est. Hæc putandi ratio & methodus usque ad regnum Zaraa cognomento Dunnas duravit, sub quo Elephantis Æra initium habuit, ac in usu inter Arabes esse cœpit. Hujus hæc fuit origo. Zaraa iste Christiana, qua ab incunabulis institutus erat, abdicata Religione, ad Judaismum se recepit, nec id sat habuit, ut Auctores sunt Ismael Sciahinsciah, Mashudius, Bensahna, & alii, sed impietate pene Calvinistica sacramenta pessundedit, Ecclesias, & sacrata Deo templa vel solo æquavit, vel in animalium convertit stabula, Sanctorum reliquias voracibus dedit flammis, demumque Christianos, qui Judaismum amplecti nolebant, in ardentissimas fornaces detrudi, ac præcipites agi præcipiebat, unde ab ejusmodi fornacibus cognomentum inditum illi est. Nec prætereundum hic silentio est, quod Mashudius Auctor Mahometanus de muliere Christiana, & septimestri puero tradit. Hæc jussu Tyranni cum ad voraces agebatur flammas, ac timore perculsa pedem referre cogitabat, ita a septimestri puero illo interpellata est: *O mater, perge in fide tua, nequaquam alius erit ignis post hunc*. Zaraa regis erga Christianos crudelitate ac impietate erga Religionem summopere motus Æthiopiæ rex, Artabam Ducem cum septuaginta millibus pugnatorum contra illum destinavit, ad illatam Christianæ Religioni vendicandam injuriam. In Æthiopum exercitu ingentis molis Elephas erat, antehac Arabibus numquam visus, unde rei novitas Æræ locum dedit, & nomen. Quoniam autem hoc contigit eo anno, quo Pseudopropheta natus est, ejus natalis annus Æra Elephantis notatur, ut in nostra Chronologia videre est. Quam quidem Epocham incidisse probant Arabum paulo supra citati scriptores in annum 885. a victoria Alexandri Macedonis contra Darium, & 5356. ab initio regni Nabuchodonosor.

Quinimo a translato regno ab Arabibus ad Æthiopes, & ab his ad Persas, usque ad Caliphatum Homari filii Alchottabi acta publica consignabantur tantum notato mense, nulla Æræ alicujus aut anni mentione facta: sed nec etiam extabat apud Arabes vox, aut vocabulum aliquod, quo Epocham, vel Æram significarent. Quamobrem redacta ad regni formam provincia, & rei perpenso momento & gravitate, certam supputandorum annorum rationem, & firmam fixamque sedem & Epocham statuere putavit Homarus, ad quotidianam evitandam confusionem, & incommoda. Molimini accessit occasio. Syngrapha a creditore ipsi oblata est, qua debitor quamdam pecuniæ summam mense

Sciahban solvere promittebat, nullo notato anno. Maxima contentio & lis coram Homaro exoritur; creditor quippe asserebat, mensem illum esse anni currentis; contra debitor, futuri, affirmabat. Hac difficultate motus Homarus, suorum consilio convocato, ut de tanta re deliberatent, proposuit. Omnes censuerunt, id a Persarum institutis mutuandum emendandumque esse. Quamobrem accersitum Harmazanum Doctorem Persam diligenter interrogat Homarus de suæ gentis supputandi modo & ratione, qua acta publica & scriptutas consignant. Qui ait: Est apud nos supputandi quædam ratio, quam *Mah Ruz* vocamus, id est *supputationem mensium*. Quod vocabulum ad Epocham significandam mutuati sunt, & Arabicæ accommodantes pronuntiationi scripsere *Movarrach*, unde postea derivatum est *Tarich*, id est, *Chronologia*, seu *adscriptio temporis*, & verbum *varracha*, id est, *Chronologiam contexere*, *tempus adscribere*, *Æra scripturas notare*. Quo stabilito, Pseudoprophetæ Hegiram, nempe fugam Mecha ad Medinam, quæ contigerat die octava mensis Rabihi prioris, in primum diem Mohatrami rejiciunt, ac pro Æra Moslemanica, sive Mahometana statuunt. Id autem præstiterunt idcirco, ut Epocha hæc in ipso anni principio, primique mensis Calendis suam sedem fixam firmamque haberet; ab illo quippe mense initium sui anni capiunt Arabes. Ex quo palam relinquitur, Josephum Scaligerum longe deceptum esse, dum lib. 2. de Emendat. temporum statuit principium anni Arabum Rabihum priorem, contra omnium Arabum mentem ac statuta. Itaque Hegira Mahometi sexagintaocto diebus a proprio tempore ac loco retrocedit, adeoque a decem annis & duobus mensibus quos Mahometus post Hegiram vixisse dicitur, demendi sunt dies sexaginta-octo, itaut ejus vita ad verum calculum revocata sit post Hegiram annorum novem, mensium undecim, dierum viginti-duorum, quod diligentet Arabes notant Scriptores.

Qui porro post ea tempora Chronologiæ scribendæ diligentiorem navarunt operam, & variarum Gentium evolverunt monumenta, suam hanc Epocham aliarum plurimarum collatione confirmare studuerunt, & cum illis contulerunt. Qua de re exactissimam confecit tabulam Ismael Almoviad princeps Hemat, quam in suam Historiam Gentium retulit Sciahinsciah, in qua ipso temporis momento Æras ac Ærarum discrimina, intervalla & periodos intueri licet. Quoniam autem eam lectoribus & Chronologiæ studiosis haud ingratam fore putamus, illam huc transferre, & ejus usum demonstrare visum est.

A

*	*Casus Adami.*	*Diluvium.*	*Natalis Abrahæ.*	*Obitus Moysis.*	*Regnum Nabuchodonosor.*	*Victoria Alexandri.*	*Victoria Augusti.*	*Natalis Christi.*	*Regnum Diocletiani.*	*Hegira.*
Casus Adami.	*	2242	3323	3868	4847	5281	5583	5584	5876	6216
Diluvium.	2242	*	1081	1626	2605	3039	3321	3342	3634	3974
Natalis Abrahæ.	3323	1081	*	545	1524	1958	2240	2261	2553	2893
Obitus Moysis.	3868	1626	545	*	979	1413	1695	1716	2008	2348
B *Initium regni Nabuchodonosor.*	4847	2605	1524	979	*	435	717	738	1031	1369
Victoria Alexandri contra Darium.	5281	3039	1958	1413	435	*	282	303	595	934
Victoria Augusti contra Cleopatram.	5583	3321	2240	1695	717	282	*	21	313	652
Natalis Christi.	5584	3342	2261	1716	738	303	21	*	282	631
Regnum Diocletiani.	5876	3634	2553	2008	1031	595	313	282	*	339
Hegira.	6216	3974	2893	2348	1369	934	652	631	339	*

Hujus tabulæ usum hisce verbis ejus tradit Auctor apud Sciahinsciah, qui eam plurimum commendat, & comprobat. *Quoties*, inquit, *scire vis intervallum aliquod inter duas Epochas, procede per tabulæ columnas incipiendo a cella in qua est notatum nomen unius illarum Epocharum, quarum intervalla quæris, usque ad communem cellam, in qua sibi occurrunt, & numerus ibi descriptus tibi dat intervallum quod quæris*. Res facillima exemplo multo facilior erit. Si vis itaque scire intervallum, quod est inter Christi Domini Natalem & Hegiram, ingredere per cellam ubi Christi Natalis est descriptus in columna notata A, excurre usque ad cellam communem sive concursus, comperies in ea 631. qui numerus est intervallum annorum, qui secundum utriusque Ismaelis opinionem elapsi sunt a Christi Domini Natali ad Hegiram. Itaque 631. Christianus annus dat initium Æræ Mahometanæ. Item vice quoque versa, si cupis invenire idem intervallum

per Hegiram, descende a cella columnæ B, in qua Hegira est descripta ad communem cellam cum Natali Christi Domini, occurret tibi idem numerus 631. annorum. Ex quo videre est, tabulæ hujus duplicem esse usum ab alterutra Epocha incipiendo. Cellæ autem notatæ hoc signo * oriosæ sunt, sive ut Auctor loquitur, cadentes, quia in iis eadem Epocha incidit, sibique occurrit, ut casus Adami cum casu Adami, Diluvium cum Diluvio, & sic de aliis. De vera ratione horum intervallorum nec disputo hic, nec judicium fero, tantus enim non sum; sed propono tantummodo quænam fuerit ac sit Arabum Mahometanorum opinio, ut unusquisque habeat quid probet aut improbet. Nec etiam abs re fore existimo, nec lectoribus ingratum addere hic eadem intervalla ex Eutychii Patriarchæ Alexandrini Melchitæ Ecclesiastica Historia Arabica, ad rei hujus majorem elucidationem. Agens igitur is de Mahometi Hegira, quam incidisse primo anno Imperii Heraclii scribit, ita periodos intercedentes inter illam aliasque Epochas disponit,

A Diocletiano ad Hegiram sunt anni	338
A Natali Christi Domini ad Hegiram	614
Ab Alexandro ad Hegiram	933
A Captivitate Babylonis ad Hegiram	1196
A David ad Hegiram	1673
Ab Exodo filiorum Israel ad Hegiram	2279
Ab Abrahamo ad Hegiram	2786
A Phaleg ad Hegiram	3317
A Diluvio ad Hegiram	3858
Ab Adamo ad Hegiram	6114

Has periodos ac intervalla utriusque tabulæ suos habere assertores & patronos, qui Arabum tam Christianorum quam Mahometanorum evolvit monumenta facile animadvertit: at Hegiram contigisse primo anno Imperii Heraclii, nemo Arabum Auctorum, quos videre hactenus potui, tradit præter unum Eutychium; cæteri enim uno ore ac voce affirmant, illam accidisse anno illius undecimo. Quamobrem exinde Georgius Elmacinus, & alii utriusque religionis, quotquot Arabum Mahometanorum Historias aut Chronologias scribere aggressi sunt, exordium sumpserunt, in eoque anno Æram Hegiræ collocarunt.

DE ARABUM UTRIUSQUE SECULI ANNIS, MENSIBUS, HEBDOMADIS, DIEBUS, AC NOCTIBUS.

CAPUT UNDECIMUM.

QUÆ hoc capite de Arabum annis, mensibus cæterisque aliis temporibus tradimus, ad verbum pene sunt excerpta ex Mashudii Pratis aureis.

Arabum annum Lunæ emetitur cursus, constat diebus 354. nempe diebus undecim, & quadrante minus, quam annus Syriacus. Vagus erat, ut hactenus est, quia menses per singulas vagando tempestates non prius ad idem principium, & punctum, unde digressi erant, redibant, quam 33. annorum emenso spatio. Annus autem, in quo hoc accidebat, Arabicus dicebatur. Mensem singulis tri-

bus annis intercalabant Arabes ſeculi ignorantiæ, vocabaturque illis *Alnaſio*, id eſt(ut interpretatur idem Mashudius) *retroceſſio*, *regradatio*. Ejuſmodi regradationem, ſeu intercalationem antiquorum reprobat Alcoranus tamquam impiam dicens : *Alnaſio augmentum eſt impietatis*. Hæc Alcorani verba Commentatorum vexarunt divexaruntque ingenia, quia videre nequeunt ubi conſiſtat augmentum hoc impietatis a Mahometo aſſertæ, nam & ipſi ſuos annos intercalare coguntur, quocumque vocent nomine menſem illum interjectitium. Communis tamen opinio rationem ejus impietatis in cæremonias quaſdam, ritus, ac ſuperſtitiones, quas illo anno celebrabant, præſertim eo intercalari menſe, rejicit.

Hodierni Arabes ἀπὸ τῆς φάσεως neomenias putant, priſci vero ἀπὸ τῆς συνόδου, ſingulis menſibus 30. dies completos tribuentes, quod quidem convenire minime videtur cum ratione anni conſtantis 354. diebus, nam numerus 30. duodecies replicatus efficit annum dierum 360. Id plane conſtat ex colloquio, quod antiqui illi Arabes cum Luna faciebant a prima nocte novilunii ad interlunium per 30. noctes excurrentes ad varios ejus ſtatus exprimendos. Dicebant enim, ut idem Mashudius auctor eſt: *Dic Lunæ: qualis es filia primæ noctis?. Sum* (reſpondebat Luna) *agniculus in caſula lactens. Qualis es filia ſecundæ? Ut duo infantes a biduo nati colloquentes. Qualis filia tertiæ? Ut conventus puellularum confabulantium. Qualis filia quartæ? Ut oviculæ nec lactentes, nec herbam adhuc carpentes. Qualis filia quintæ? Converſatio, & perhumana confabulatio. Qualis filia ſextæ. Lætitia & exultatio. Qualis filia ſeptimæ? Meo lumine legi poſſunt calculi.* Octava & nona interrogatio deſunt. *Qualis filia decimæ? Occultor adveniente aurora. Qualis filia undecimæ? Videor veſpere, videorque mane. Qualis filia duodecimæ? Sum Luna lucens, oculos hallucinans.* Decima-tertia interrogatio deeſt. *Qualis filia quartæ-decimæ? Valida juventus nubes minime metuens. Qualis filia decimæ-quintæ? Perfectio conſtans, ætas conſiſtens. Qualis filia decimæ-ſextæ? Forma diminui incipio in ortu & occaſu. Qualis filia decimæ-ſeptimæ? Vultus meus palleſcit, viator perhorreſcit. Qualis filia decimæ-octavæ? Vita finis properat. Qualis filia decimæ-nonæ? Sero orior, cito occultor. Qualis filia vigeſimæ? Diluculo exorior, & mane videor. Qualis filia vigeſimæ-primæ?. Tarde prodeo, adhuc tamen appareo. Qualis filia vigeſimę-ſecundę? Mole extenuor, in dies deſtruor. Qualis filia vigeſimę-tertię? Diluculo orior, inſtar oboli videor. Qualis vigeſimę-quartę? Ex regione obſcura prodeo, tenebras expellere nequeo. Qualis vigeſimę-quintę? Nec ſum lumine cumulata, nec etiam corniculata. Qualis vigeſimę-ſeptimę? Defectio accedit, lumen recedit. Qualis vigeſimę-octavę? Orior mane, non appareo meridie. Qualis vigeſimę-nonę? Anteverto Solis radios, nec percipiunt me ſenſus. Qualis trigeſimę? Tendo ad occaſum, regrediorque ad ortum.* Hæc ille.

Sed ſatis probabile eſt, noctem poſtremam complete non eſſe accipiendam, cum ſit utriuſque ſtatus particeps tendens ad occaſum & ortum. Quare ſi tribuantur ei horæ 12. 44′, 3′, ut ſtatuit doctiſſimus Dionyſius Petavius cap. 2. par. 2. lib. 1. Rationarii Temporum, conſurgit annus aſtronomicus dierum 354. horarum 8. 48′, 38″, circiter, qui plus minus convenit cum anno illo populari 354. dierum, quem initio hujus capitis ex Mashudio notavimus. Horarum & ſcrupulorum nulla habetur ratio anni popularis apud Scriptores, præſertim cum aliud agentes id argumenti leviter tractant, & non ex inſtituto.

Annum in ſex diſpertiebantur tempeſtates, ſingulis menſes duos tribuentes. Menſes vero duplici nomine deſignabant. Primum impoſitum erat ad ipſum tantum indigitandum menſem, uti ſunt nomina menſium Syrorum, Hebræorum, Ægyptiorum, ac aliarum multarum gentium, quibus nullum ineſt etymon. Alterum nomen inditum erat ad factum, vel effectum, aut aliquid ejuſmodi exprimendum, & ſignificandum, & non aliter ac apud Romanos Aprilis ab aperto tempore fuit dictus, Majus a majoribus, Junius a junioribus. Quamquam in menſibus hiſce Arabum res non ſemper conveniant cum ſignificatione, ſive menſibus ſuis non quadrent. Nam illæ, ut frigus, calor, & ejuſmodi, fixæ ſunt,

ac stabiles, cum pendeant a cursu Solis; menses vero vagi, instabiles, cum Lunæ dirigantur motu. Igitur etymologia illorum nominum sumenda est a prima eorum impositione, & institutione anni, in quo a rerum cum tempore congruentia nomina indita sunt.

Primum anni mensem vocarunt *Nabu*. Quoniam autem hoc mense ad bella prodire, aut incursiones facere vetitum illis erat, dictus est *Moharramo*, a verbo *Harrama*, id est, *prohibuit, illicitum habuit, vetavit*. Scaliger hujus denominationis caussam se ignorare lib. 5. de Emendat. Temp. de primo Moharram Hegiræ, fatetur ingenue. Secundus mensis *Foail* vocabatur, *Sapharo* dein nuncupatus est a locis quibusdam Arabiæ Felicis hujus nominis, in quibus eo mense celeberrimæ indicebantur nundinæ, ad quas totius regionis confluebant homines vendendi & emendi gratia. Nonnulli tamen putant id cognominis inditum illi fuisse a verbo *Saphara*, quod significat, *vacuum, & desolatum esse*, quia elapso Moharram ad bella & incursiones egrediebantur Arabes; & urbes vacuæ incolis, & destitutæ fere manebant. Significat etiam verbum hoc *sibilare*, quia civitates & domus vacuæ sibilum edere quodammodo videntur. Tertius *Talu*. Quartus *Nager*. Quoniam autem, ex Mashudii sententia, in ver inciderant in ipsa anni prima institutione, primus appellatus est *Rabiho Alavalo*, idest, *ver primum*; alter vero *Rabiho Althani*, hoc est *ver secundum*. Loquendi formula priscorum Latinæ haud absimilis. Plinius libro decimo, capite vigesimonono. *Luscinię pariunt vere primo quum plurimum sena ova*. Livius. *Primo vere exercitum moturus erat*. Quintus dicebatur *Asmah*. Sextus *Annah*. Isti duo, ut idem Mashudius auctor est, in hyemem & brumam inciderant, ex quo primo nomen impositum est *Giamadi Alavalo*, id est *Giamadi prior*: alteri vero *Giamadi althani*, *secundus*, a verbo *giamada*, id est *concrevit*, quia his duobus mensibus aquam frigoris vi conglaciare atque congelare videbant primi Arabes illi. *Nesciebant enim*, inquit Mashudius, *mutatione mensium lunarium, & a propria sede digressione mutari & frigoris & caloris tempora*. Ex dictis non levis momenti aut ponderis oritur difficultas. Nam si menses isti duo in brumam inciderunt, qua ratione alii duo priores verni appellari possunt, cum hyems terrarum ubique ver antecedere credatur? Porro non sunt ita forte nuncupati juxta temporum ordinem, sed a floribus & herbis, qui ea tempestate ibi virent & luxuriantur, id enim Arabicum vocabulum significat, ut Latinis ver a virore, unde verno, id est pullulo, est dictum. Ejusmodi significandi & loquendi modus, quo ver non a temporum ordine quandoque sumatur, sed a florum aspectu, occurrit interdum etiam apud Latinos. Cicero 7. Verr. *Cum autem ver esse cæperat, cujus initium isto non a Favonio, neque ab aliquo astro notabat: sed cum rosam viderat, tum incipere ver arbitrabatur*. Eodem forsitan modo arbitrabantur Arabum anni conditores. Dici quoque potest regionem illam, ubi primum anni institutio facta est, vere duplici gaudere, atque hinc in sex tempestates annus distributur est, sed hæc prolixius tractare non est præsentis loci & instituti. Septimus mensis appellatur *Adlach*. Est autem unus ex quatuor mensibus, in quibus bella gerere, aut incursiones facere illicitum erat, unde impositum est ipsi nomen *Ragiab*, id est *timor, pavor, formido*. Alii ita dictum esse volunt, quia eo tempore spectrorum quorumdam terrebantur aspectibus. Octavus *Lasah*. Hoc mense ad aquas quærendas suis gregibus & armentis dividebantur Arabes, ac in varias distribuebantur equitum turmas, & ordines ad incursiones faciendas, & patriis insistendo institutis latrocinia exercenda, ex quo vocabulum ipsi inditum est *Sciabban*, hoc est *dividens*. Nonus *Zahera*. Quoniam autem Sol maximis & vehementissimis caloribus tunc fervebat, cum annus institutus est, *Ramdhan* ab ipsis sortitur est nomen. Unum præterea est ex Dei epithetis, quamobrem advertunt gentis Scriptores non esse absolute usurpandum, sed cum addito quoties ad mensem significandum illo utimur, dicendumque tunc esse, Mensis Ramdhan; nam simpli-

citer prolatum denotat ipsum Deum. Decimus dicitur *Barat*. Eo mense æstuabant libidine cameli, qua de causa *Seiaval* vocatus est a verbo *Seiavala*, id est *caudam extulit*, *libidine æstuavit*. Ne autem cum suis camelis ad libidinem excitari viderentur Arabes, a nuptiis hoc mense abstinebant abhorrebantque. Undecimus *Nahis*. Unus est e quatuor mensibus, in quibus bella gerere nefas erat: idcirco *Dual-Kaadati* nominatus est, a verbo *Kaada*, id est *sedit*, *quievit*, quia domi se continebant. Duodecimus demum *Morais*, & *Dual-hagiati*, a vocabulo *Haggia*, id est *diem festum egit*, *ad sacrum locum peregrinatus est*: ita dictus, quia hoc mense ad templum Mechanum invisendum peregrinabantur antiqui Arabes, ut faciunt nunc etiam posteri sub Mahometismo. Est unus e quatuor sacris, in quibus bellis vacate aut latrociniis nefas erat. Hi autem sunt Moharram, Ragiab, Dual-kaadati, & Dual-haggiati.

Porro de initio anni Arabici institutionis maxima controversia est inter Scriptores. Hujus enim exordium quidam Autumnum statuunt, alii ver. Mashudius ultimam amplectitur sententiam. Mihi (si meum interponere licet judicium) neutrum esse videtur. Nam si uterque Rabiho in Autumnum nostrum incidit, nempe prior in Octobrem, posterior in Novembrem, & uterque Giamadi in hyemem, scilicet in Decembrem & Januarium, ut ipsa nominum etymologia docet, & consentiens Scriptorum comprobat interpretatio, certum exinde sequitur Sapharum incidisse in Septembrem & Moharram, qui primus anni Arabici mensis est, in Augustum nostrum; nisi tamen tempestatum temporumque vicissitudinum alia sit ratio quam nostrarum, quæ me fallat. Tamen quicquid sit differentia, ut summum, unius mensis esse potest, adeoque si maturius uno mense contigit illis tempestas, quam nobis, Moharram anni institutionis primus in Julium nostrum inciderit, oportet; si vero serius in Septembrem, hacque ratione annus Arabicus ab Autumno occœpit.

Lunæ autem cursu ductuque menses suos emetiuntur Arabes, quia astrum hoc, ut notat Mashudius, aliique gentis Scriptores, suo novilunio, plenilunio, interlunio, interjectisque ætatibus temporum varietates ac mutationes ita ad unguem ostendit idiotis, imperitis atque illiteratis, ut facile Diarii suppleat vices, & quid agendum sit plane indigitet, doceat. Quantum autem horum omnium cognitio ad agriculturam, gregum & armentorum curam, quibus non solum Arabes, sed tota antiquitas addictissima erat, conducit, medicinamque ipsam nemo ignarus est. Astri hujus tanta vis est in res has inferiores, ut non abs re propterea sublunares dictæ sint ex Arabum sententia. Quis non animadvertit earum quamplures crescere luna crescente, decrescere decrescente illa, æstusque marinos hanc habere causam, ac alia ejusmodi infinita?

In putandis Hebdomadæ diebus ab ea feria exordiebantur antiquissimi Arabes, a qua etiam opus creationis, quamque nos communi vocabulo *Dominicam* appellamus, ipsisque vero dicebatur *Aval*. Secunda *Ahvan*. Tertia *Giabar*. Quarta *Diar*. Quinta *Munis*. Sexta *Aruba*. Septima *Sajar*. Recentiores sub Mahometismo Arabes ferias numerant dies usque ad sextam, quam *Giomha* nuncupant, id est *synaxim*, *collectionem*. Denominationis ratio ex gentis Auctoribus duplex est. Primo quia ea die animalia collecta adductaque sunt ad primum hominem, ut videret quid vocaret ea. Secundo, quia μικρόκοσμος homo creaturarum omnium collectio, epitome, & compendium ea die & creatus est, & creaturarum dominus constitutus. Hinc dies hæc maximo in honore ac veneratione illis fuit, ac est, & ut sacra celebratur. Fallitur non mediocriter igitur Scaliger, & quicumque ipsi subscribit, istbæc de hac feria tradens libro 2. de Emendat. Temporum titulo de anno Hegiræ: *Quod Mucharram* (scribendum Moharram) *Hegira cœperit a feria sexta, ideo eam diem sacram illis dicunt ab eo tempore. Ego scio antiquiorem superstitionem esse propter Venerem quam Chobar vocabant, & summa superstitione antiquitus venerabantur*. Primum falsissimum esse ex eo patet, quia omnes Arabum Chronographi & Histotiographi una voce affirmant, Mahometum ab urbe Mecha fugam

arripientem Madinam ingressum esse die 12. Moharrami, quam nonnulli fuisse feriam secundam, alii quintam scribunt. Moharram igitur illius anni, secundum primæ sententiæ Auctores, cœpit a feria quinta, juxta secundæ vero patronos a feria prima, ergo non a feria sexta. Secundum quod attinet, nemo sane Arabum scribit, Venerem illis vocari Chobar; imo nec inter Arabum numina hæc refertur, ut ex dictis superius de ipsorum diis & idolis videre est, quicquid Christianus ille relatus a Scaligero ex Vincentio Bellovacensi, & Auctor Saracenicorum dicant. Scio, esse, qui existimarunt, Arabes sub Mahometismo tunc Venerem invocare, cum ex templorum turribus populum ad synaxim altis clamoribus invitant, ac suas quoque preces hisce inaugurantur verbis *Allaho Achbaro*. Sed non mediocriter profecto decipiuntur hæc asserentes, quia vocibus iis nihil significant aliud Arabes, quam *Deum esse omnium Maximum*, ut ex vocabuli significatione, & eorum commentatorum constat interpretatione. *Achbaro* enim nomen formæ superlativæ est a positivo *Chabiro*, id est *magnus*, itaut duæ illæ voces sonent, *Deus Maximus*, quæ loquendi formula eadem esse videtur, ac ista Romanorum, *Deus Optimus Maximus*. Ego puto, errorem hunc duplici ex origine emanasse. Dies ista sacra erat Veneri apud Romanos Græcosque, quamobrem idem institutum Arabibus fuisse falso sunt arbitrati. Nostram roborat sententiam tam antiquissimum quam recentius vocabulum, quibus feria hæc sexta notatur apud Arabes utriusque sæculi, quorum neutrum ex Veneris nomine impositum ipsi fuit. Nec minus quoque occasionis forte dedit Mahometi, gentis pseudoprophetæ, salacitas, libido, & lex ab illo lata, qua venereis voluptatibus illecebrisque laxat habenas, ac uxorum numero, & concubinarum grege non solum eam large atque liberaliter huic turpitudinis quasi numini dicat, sed etiam prodige. Feria septima dicitur illis Sabbatum ab Hebræo vocabulo. Mashudius tamen, & alii, Arabicam dictionem illam esse volunt, quæ significat abscissionem, amputationem, & ejusmodi, denominationisque rationem reddunt, quia eo die orationis opus finitum, & quasi amputatum & abscissum est.

Arabum quoque vetustissimum institutum fuit in ratione temporum non dies, sed noctes putare, quod hactenus a posteris observatur. Itaque vel acta publica, & contractus obsignantes, vel memorabilem aliquem notantes eventum dicunt: Actum est, vel contigit decima, vel decimaquinta, aut vigesima nocte talis mensis, & sic de cæteris aliis. Eumdem morem Gallis fuisse olim ex Cæsare observarunt Textor, Scaliger, & alii. Rei ratio in promptu est; a neomenia suas supputationes exordiuntur, & Lunam noctis dominam sequuntur, ac ducem in hoc habent. Creationis opus etiam a vespere occœpisse ex his sacrarum litterarum verbis colligunt: *Factumque est vespere & mane dies unus*. Opinionem hanc pluribus firmat, roboratque argumentis & rationibus Jesudad Chaldæus, vir non mediocris eruditionis in sua Chaldaica Elucidatione locorum difficilium Sacræ Scripturæ, cujus rationum aliquas hic adscribere visum est. *Quæritur*, inquit, *cur a tenebris, quæ noctem constituunt, & in tenebris exordium cæpit creationis opus, deinde lumen, quod efficit diem, productum est. Primum, quia nox, sive tenebræ sunt Mundi hujus typus, in quo mors in nos dominatur; dies vero & luminis tempus futuri Mundi symbolum est, in quo immortales erimus. Secundum, ad coarguendum errorem illorum impiorum, qui duo Esse, ac contraria Principia statuerunt, quorum unum auctorem luminis faciunt, alterum vero tenenebrarum, quas lumini opposuit. Et sane si primo loco productum fuisset lumen, tum tenebræ, heresis hæc in Mundo satis invaluisset. Tertio, in tenebris produxit Auctor naturas, ne existimatum esset, illum lumine indiguisse ad creaturas formandas. Quarto, id quoque nostri typus fuit, quia prius mortale corpus formatur tenebrosis obnoxium affectionibus, deinde immortalis, & lumine fulgentissima infunditur ipsi anima. Primo etiam fingimur in tenebris uteri, postea ad hanc educimur lucem*. Idem contendit præterea, tenebras non esse meram privationem

lumi-

luminis, sed ens reale non minus ac lumen ipsum. Patres autem, ut D. Basilium, & alios contrarium docentes, non ex animi sententia id astruisse ait, sed ut insanum insani Maniehæi coarguerent errorem, & delirium.

ARABUM UTRIUSQUE SECULI

DE ANIMARUM ORIGINE

quænam fuit Sententia?

CAPUT. DUODECIMUM.

DAHRISTARUM dogma fuit, æternam esse Animarum originem; speciem quod attinet, earum vero individua non secus ac corpora ab invicem gigni, unaque cum illis interire. Dogma hoc multi Arabum ut impium explodunt; sed quodnam suum sit, non proferunt.

Porro Mahometus gentis seductor, & fabularum nugarumque omnium egregius propugnator, imo amplificator perquam hyperbolicus, Animas simul, & semel multis ante hujus Universi seculis conditas esse, non solum temerario ausu nugatus est, sed etiam horrendis blasphemiis, & commentis aliis susque deque omnia implet, omnia confundit. Quandoquidem non sat habuit scelestissimus, hoc cum Platone, Pythagora, Hermete Trismegisto, ac aliis antiquioribus asserere dogma; nec sat putavit, sacrilego ore proferre aliquando, omnia propter se, ac pro se a Deo condita esse: verum enimvero, quod vix, & ne vix quidem credibile est, aut ingenui animi ferre possunt, creaturarum nobilissimas animas, quas ad suam condidit imaginem Deus, ex suis excrementis, sive sudoribus productas esse tradidit, stultissimi crediderunt Arabes, reliquis gentibus paulatim cum impia religione insinuata est insania. Fabula commentitia in libro *subtilitatum de cognitione veritatum* hisce narratur verbis, ut alias in nostris notis ad Semitam sapientiæ observavimus. *Omnium primum*, inquiunt eo in libro, *Mahometi lux a Deo creata est pavonis referens speciem & formam. Hanc in candidissima posuit Deus margarita, quam in pulcherrima appendit arbore, ubi Creatorem annos circiter mille summis laudibus celebravit. Quo exacto tempore speculum vitæ creavit, & vultui Mahometi pavonis opposuit: Is cum suam imaginem pulcherrimam esse aspexisset, quinquies adoravit Deum, ex quo factum est, ut quinquies Mahometani in precibus persolvendis adorent. Qua quidem Mahometi lux conspecta aliquando a Deo tota sudore perfusa est. Tunc ex sudore capitis ejus condidit Deus Angelos; ex sudore vultus solium, tabulam in qua omnia refert, calamum, Solem, Lunam, cælum, stellas, & quicquid in cælis est; ex sudore pectoris Prophetas, Apostolos, Doctores, Martyres, ac probos quosque; ex sudore dorsi Mecham, & ejus templum, Jerusalem, & omnia loca, in quibus colitur Deus; ex superciliorum sudore gentem Mahometicam utriusque sexus; ex sudore aurium animas Judæorum, Christianorum, Magorum sive Ethnicorum, ac similium; ex sudore pedum terram universam, & quicquid in ea est. Post hæc jussit Deus, ut animæ choreas ducentes circumcirca Mahometi lucem illam gratias Creatori agerent, quod illæ spatio septuaginta millium annorum præstiterunt. Deinde præcepit eis, ut adspicerent pavonicam Mahometi figuram, quæ statim morem gesserunt. Ille ergo cui caput ejus videre contigit, Calipha & Imperator destinatus est; qui vero frontem vidit, inferioris notæ princeps; qui dextram, Dei legis observantissimus; qui supercilium pictor; qui aures, officiosus, & hominibus ac-*

ceptus; qui genas, pulcher atque sapiens; qui nasum, medicus, & aromatarius; qui labia, prorex; qui os, jejunans; qui dentes, facie decorus; qui linguam, Imperatorum & Regum legatus ac orator; qui guttur, concionator; qui barbam, miles, ac pro divina religione pugnator; qui collum, mercator; qui utrumque brachium, lanceator ac gladiator; qui dextrum tantum, chirurgus; qui sinistrum, stultus & ignavus; qui volam dextræ manus, nummularius; qui volam sinistræ, mensurator; qui utramque volam, liberalis, justus; qui dorsum manuum, avarus ac sordidus; qui digitos, scriptor; qui dorsum digitorum dextræ manus, sutor; qui dorsum sinistræ, faber ferrarius; qui pectus, doctus, honorabilis, ac operibus bonis deditus; qui dorsum, humilis, ac legibus obediens; qui latera, latro; qui ventrem, continens, religiosus; qui dorsum pedum, piscator & venator; qui pedum volas, tabellarius, & cursor; qui umbram, circulator, & mimus; qui nihil demum, Judæus, Christianus, & infidelis. Hæc illi ex Mahometi traditione in libro *subtilitatum de cognitione veritatum*. Animas itaque eo modo creatas, & destinatas Deus suo tempore, ex horum opinione, juxta generationis exigentiam de cælo demittit, infunditque in humana corpora. Hoc autem causæ fuit, quod Alexander apud nostræ Semitæ sapientiæ Auctorem interroganti, cur majorem honorem deferret magistro quam parenti? responderit: *Quia meus parens ex cælo in terram me descendere fecit, magister vero meus ex terra in cælum ascendere me facit.* Et Lucretius:

Cedit enim retro de terra, quod fuit ante
In terra, sed quod missum est ex atheris oris,
Id rursus cæli fulgentia templa receptant.

Hæ Mahometi, suorumque aniles prorsus, innumerabilesque ineptiæ quibus, sodes, fortioribus argumentis, aut rationibus refelli possunt, quam D. Irenæi lib. 1. cap. 35. hisce verbis: *Adversus eos victoria est, sententia eorum manifestatio?* Nec minus huc faciunt hæc D. Hieronymi Epist. ad Ctesiphontem: *Sententias eorum prodidisse, superasse est.*

Dogma porro hoc de Animarum creatione in exordio Mundi ab Hebræis ad gentiles manasse, Prob. 15. de creatione Menasseh Judæus existimat: ego vero contrarium penitus evenisse credo. Nam ille ex Rabbinorum placitis & Choragio nullum proferre potuit testimonium nisi libri *Tanhumæ paras Picude*, qui Platone, Pythagora, Hermete Trismegisto, ac Origene ipso multo recentior est. Idemque affirmandum est de Guemara Haguigæ, Berescit Raba, aliisque ejusmodi tractatibus, quos ibidem indicat. Auctores autem libri Tanhumæ, quos Menasseh veteres vocat, suam hanc sententiam ex Deuteronomii cap. 29. vers. 14. hisce eliciunt verbis, ut illa idem refert: *Neque vobiscum solis ego pango fœdus meum hoc cum adjuratione hac: sed cum eo, qui adstat hic nobiscum hodie coram Domino Deo nostro, & cum illo, qui non est hic nobiscum hodie.* Ad hæc verba ita Tanhumitæ commentari sunt שהיו כן אדם הראשון ושיהיו עד סוף נבראו בששת ימי בראשית וכולן בג עדן וכלן היו במתן תורה שנאמר כיאת אשר כל הנשמות ישנו פה עמנו עומד היום ואת אשר איננו פה עמנו היום העולם כלם Id est, *Omnes animæ, quæ fuerunt ab Adamo, & quæ futuræ sunt usque ad finem Mundi, omnes illæ fuerunt creatæ sex diebus creationis, omnesque in horto Edenis fuerunt, & interfuerunt. Sic enim dicitur, cum eo, qui adstat nobiscum hodie, & cum eo, qui non est hic nobiscum hodie.* Quibus omnibus hac ratione robur addere nititur Menasseh: *Enimvero quomodo Deus potuisset pacisci, fœdusque inire cum iis, qui in rerum natura non existunt?* Quis non mirabitur, talia proferri ab homine in sacrarum Litterarum lectione versato? Nonne, quæso, perinde est, Deum pacisci cum absentibus, & qui non aderant, ac cum non existentibus, sed extituris? Subinde enim sequeretur, si ratio illa valeret, Legem præsentibus tantummodo datam esse, ac fœdera cum his inita, non item cum posteris. At non sic profecto, non sic fuit. Audi sacram Scripturam Genes. cap. 9. vers. 9. ad Noe, & posteros extituros lo-

quentem: ואני הנני מקים את בריתי אתכם ואת זרעכם אחריכם id est, *& ego, ecce ego statuens pactum meum vobiscum, & cum semine vestro post vos*. Abrahæ vero cap. 17. vers. 7. dictum est. אחריך לדרתם לברית עולם והקמתי את בריתי ביני וביניך ובין זרעך Id est, *statuam fœdus meum inter me, & inter te, & inter semen tuum post te in generationes suas in pactum seculi*. Simile quid reperitur vers. 10. Et ne existimet quisquam, pactum hoc cum ipsis animabus initum esse, subditur: *Eritque pactum meum in carne vestra in fœdus æternum*. Igitur cum semine, & posteris sancitum fœdus est, & non cum animabus. Sed quem testem adhibere hic meliorem possumus, quam Menasseh adversus Menasseh? Is in suo Conciliatore, quæst. 7. in Leviticum Mosaicæ legis perpetuitatem asserere perperam obnitens inter cætera S. Scripturæ loca hoc Deuteronomii 29. vers. 14. *Neque vobiscum solis ego pango fœdus meum hoc, &c.* utitur, eoque recensito subdit: *Manifeste videmus, non modo cum præsentibus tunc Israelitis, verum & posteris eorum hoc fœdus percussum*.

Animadvertendum hic est, in illis Tanhumæ verbis turpissimam cubare contradictionem, quam silentio ignominiose præterit Menasseh, nec est ausus, eam Latine exprimere; quamobrem fidelissimam accipe a nobis illius sententiæ interpretationem: *Omnes animæ, quæ fuerunt ab Adamo primo, & quæ futuræ sunt usque ad finem Mundi, omnes illæ fuerunt creatæ sex diebus creationis, omnesque in horto Edenis fuerunt, & interfuerunt* CUM LEX DATA EST, *sicuti dicitur, cum eo, qui adstat nobiscum hodie, & cum eo, qui non est hic nobiscum hodie*. Adetant animæ cum Lex data est: igitur verba illa Deuteronomii, *& cum eo, qui non est hic nobiscum hodie*, de animabus nequaquam intelligenda sunt, sed de posteris, qui futuri erant, ut mox explicatum est.

Multa præterea congerit ibidem Scripturarum loca ad sententiam hanc adstruendam. Omnium firmissimum habet hunc Isaiæ cap. 57. *Nam spiritus a conspectu meo egredietur, & animas ego feci*. Ad quæ verba ita ille: *Non dicit facio in tempore præsenti, sed, feci in præterito, ad significandum omnes in principio Mundi conditas fuisse*. Egregie sane. At Spiritus quoque in ipso Mundi exordio creati sunt, ut idem Probl. 24. probat, nec nos negamus; tamen dicitur ibidem: *egredietur spiritus*, in futuro, & non in præterito. Quod vero dixerit Deus, *feci*, & non, *facio*, nullum facessit negotium, quia infinitas propemodum jam condiderat præterito tempore animas, ac multo plures, quam in eo præsenti tempore, quo cum Propheta loquebatur; unde satis majori jure dicendum erat, *feci*, quam *facio*. Adde, quod nihil in Scripturis obvius sit, quam temporum permutatio, ac unius pro alio acceptio. Unum pro infinitis aliis sit Deuteronomii 34. versu 10. *Non surrexit ultra Propheta in Israel similis Mosi*; ubi *surrexit* in præterito positum est, pro, *surget*, in futuro.

Rabbinorum quænam sit mens, & expositio loci hujus Isaiæ, dum apud me solerter cogitabam, dumque me accingebam ad eorum commentaria consulenda, en bonis avibus hæc meditanti adest Saphnath Pahaneah Hebræorum arcanorum revelator Josephus de Voisin, vir pietatis, doctrinæ, ac omnis generis eruditionis ornamentis clarissimus, quemque non sola Hebraicæ linguæ commendat summa peritia, sed multo magis Rabbinicarum disciplinarum, quæ mirifice in utroque ejus tomo de Judæorum Theologia, ac altero de divina lege elucet, admirabilis cognitio. Itaque vir iste summus duo nobis suppeditavit ex Pugione fidei Raymundi Martini (qui in lucem propediem magnis Litterariæ Reipublicæ commodis ejusdem studio & opera ex prælo, sub quo est, prodibit) par. 3. dist. 1. cap. 4. testimonia, quæ Menasseh sententiam, atque commentarionem eum in locum Isaiæ & funditus evertunt, & non minus infidelem illum hic, quam alibi prædicant. Primum habetur in Berescit Raba R. Moysis Hadarsan, sive Glossatoris super illud Genes. cap. 5. זה ספר תולדות אדם *Iste liber generationum Adam*. כי לא לעולם אריב עם אדם הראשון ולא לנצח אקצוף עם תולדותיו

נשמות עשיתי כי רוח מלפני יעטוף ר' תנחומא בשם רבנן אמר אין מלך המשיח בא עד שיבראו כל הנפשות שעלו במחשבה להבראות מה טעם ונשמות אני עשיתי בשביל Id est, quia non in æternum (Isai. cap. 57.) litigabo cum primo homine, neque in finem irascar cum generationibus ejus, quia spititus a facie mea amiciet, &c. *R. Tanhuma dixit nomine magistrorum nostrorum: Non veniet rex Messias donec creentur omnes animæ, quas creare intendit Deus?* (sive in Dei sunt ideæ) *Unde probatur hoc ? ex eo quod scriptum est*. Isa. 57. & animas ego feci, *id est, & propter animas ego feci.*

Ad hæc ita mox laudatus Raymundus: *Nota, quod ex eo quod dicit, Messiam non esse venturum (quod de secundo adventu propter multa , quæ apud eos leguntur , oportet intelligi) donec omnes animæ, quas Deus prævidit creandas, creatæ fuerint, ostendit quod animæ quotidie creantur, & creabuntur usque ad finem Mundi.*

Alterum testimonium multo expressius habetur, & efficacius ex libro *Radicum* R. David Kimhi in radice ברא *creavit*, ubi ait שאמר בקרבו ויצר רוח אדם בקרבו ופי' רבינו סעדיה כי אמרו בקרבו רל' כי הבורא בורא אותה עם שלמות צורת האדם וזה id est, *Quod dicitur Zachariæ cap. 12.* Et formans spiritum hominis in medio ejus , *exposuit hoc magister noster Saadias dicens, quod ex hoc quod ait (Propheta)* In medio ejus, *vult dicere quod creator creat eam (animam) cum perfectione formæ corporis humani , & hoc est quod dicit* , In medio ejus.

Ex his luce meridiana clarius constat , utrumque Rabbinum , nomine etiam aliorum Rabbinorum, atque ex illorum mente ac traditione loqui de creatione animarum facienda suo tempore, non autem facta initio Mundi . Nam primus ait , *quas creare intendit Deus*, sive magis ad verbum, *quæ sunt in cogitatione Dei* , id est quæ adhuc non sunt productæ, sed suo tempore juxta decretum Dei producendæ . Alter vero dicit , Creatorem creare animam cum perfectione corporis humani, id est, cum corpus humanum in materno utero suam adipiscitur perfectionem . Ne cavillandi autem Judæo relinquatur locus , utitur Rabbinus ille verbo ברא *creare*, hoc est ex nihilo facere.

Iterum etiam Menasseh citat pro hac sua sententia cap. 1. *Aboda zara*, dicens: *Et alibi asseritur Messiam venturum esse, cum omnes animæ, quæ creatæ sunt, sese corporibus humanis junxerint*. Locum consulo, quia Judæi fidei amplius haud standum esse duxi. Ipsissima indicati ab illo loci verba sunt. שיכלו נשמות שבגוף שנ' כי רוח וגו' ואמר ר' יוסי אין בן דוד בא עד Id est, *Et dixit R. Jose non venit filius David donec completæ fuerint animæ in corporibus juxta illud Isa. 57.* Conferantur hæc cum Judæi assertione, ac judicent docti, indoctique simul, an eadem sit ratio formaliter, anque idem sit, *donec completæ fuerint animæ in corporibus*, &c, *cum omnes animæ, quæ creatæ sunt, sese corporibus humanis junxerint?* Estne vel minimum vestigium creationis prætetitæ apud illum Rabbinum? Aut completum esse , & creatum idem sunt? Dicendum itaque potius est, genuinum sensum illorum verborum esse, donec completus fuerit numerus animarum , quas creare decrevit Deus . Nec facile credendum est, hunc Rabbinum dissentire ab iis, quos supra retulimus , sed in eodem sensu, licet diversis vocabulis, suam opinionem protulisse.

Pergit Menasseh suam roborare aliis auctoritatibus sententiam. *In Guemara Haguigæ*, inquit, *refertur in cælo Empyreo esse domicilia vitæ, & pacis , & animarum justorum, & spirituum, atque etiam animarum istarum, quæ in Mundum venturæ sunt.* Verba ipsa non retulit, quia recta contra ipsius eunt sententiam Ibi enim inter illa , quæ in thesauris Dei sunt recondita , ponuntur hisce verbis: שנ' כי רוח וגו' הרוחות ונשמות שעתידי' להבראי *spiritus , & animæ quæ creandæ sunt juxta illud Isa. 57.* Animas autem non esse inibi realiter, sed qua prævisæ a Deo, verba ipsa Talmudis plane nobis declarant, cum dicant, *quæ creandæ sunt*, sive magis ad verbum, שעתידי' להבראות *quæ futuræ sunt , ut creentur* . Perpendant æqui judices , an idem sit, *quæ in Mundum venturæ sunt*, Et, *quæ creandæ*, sive , *quæ futuræ sunt , ut creentur.*

Adhue urget in hac ſententia non pauci momenti difficultas. Libro 3. de reſurrect. mort. cap. 2. conjungit, annectitque Menaſſeh mortuorum reſurrectioni adventum Meſſiæ, adeoque ex ejus mente tunc omnes animæ ſuis corporibus junctæ erunt. Eodem vero lib. cap. 9. affirmat, ac probare nititur, reſuſcitatos generationi prolis operam daturos. Ex hoc autem ſequeretur alterutrum, vel ſcilicet non omnes animas junctas fuiſſe corporibus in adventu Meſſiæ, vel animas creari tunc in corporibus. Et ſi tunc, cur non etiam nunc? Porro occurret forte objectioni huic ex Gloſſa cap. 1. Aboda Zara ita: לימות המשיח שמא י"ל גוף חדש ונשמות חדשות Id eſt, *Diebus Meſſię forte dicendum eſt, corpus novum fore, & animas novas*. Sed tam contra ipſum, quam ſuam Gloſſam inferretur; ergo non eadem reſuſcitatorum fore corpora, & animas contra ea, quæ tradit lib. 2. cap. 4. & 5. imo cap. 6. contendit, eos reſurrecturos cum ferali amiculo, & iiſdem veſtibus, quibuſcum terræ mandati ſunt. Si dicet, illud intelligendum eſſe de iis, qui poſt reſurrectionem generabuntur, non quidem de ipſis reſuſcitatis, urgebitur: ergo reſuſcitati non gignent ſibi ſimiles, ſed alterius ſpeciei liberos. Atque adeo procreandi modus ille Judaicus non longe abſimilis erit ab eo, quem invenit Ana in ſolitudine, cum paſceret aſinos Sebeon patris ſui. Hæc ſatis nunc dicta ſint: ad alia properemus.

Hanc eamdem perſuaſionem de Animarum creatione ſimul facta in ipſo Mundi principio, Chriſtianis Orientalibus impingit Thomas Biatienſis lib. 7. par. 2. cap. 6. & alibi, ſui *Theſauri de procuranda omnium gentium ſalute* in hæc verba: *Animę ab initio omnes ſimul creatæ ſunt*. Sed quam falſo, ac temere hæc ab illo prolata ſint, ipſorum Orientalium conſtet tam inconſiderato teſtimoniis. Ex Maronitis, quos nominatim hujus aſſertionis inſimulavit, adſit modo pro omnibus D. Joannes Maro, ut multos alios brevitatis omittam gratia, qui in ſuis diſputationibus adverſus Neſtorii dogma ita animæ, & corporis utitur exemplo ad demonſtrandum Verbum Carni unitum fuiſſe in ipſo conceptionis inſtanti, nec carnem præceſſiſſe unionem. *Nec ſufficit illis*, inquit, *demonſtratio animę, quę nequaquam corpus pręcedit*. Ex Neſtorianis prodeat Jeſudad in Elucidatione locorum difficilium ſacræ Scripturæ, qui agens de formatione mulieris difficultatem proponit, cur Scriptura de Adamo dixerit, *& ſpiravit in faciem ejus ſpiraculum vitę*, de Eva non idem affirmaverit, reſpondet: *quoniam formato corpore anima ſimul cum illo creari ſupponitur*. Joannes Epiſcopus Darenſis Syrus, & ſcriptor vetuſtiſſimus lib. 1. de reſurrectione corporum cap. 4. poſtquam ediſseruit de ſingulorum membrorum in utero materno virtute formativa, addit: *Statimque membris formatis celeri Dei nutu anima creatur*. Toto etiam cap. 2. Origenis ſententiam oppugnat, eamque modo impiam appellat, modo ab omnibus reprobandam.

Hanc autem Origenis opinionem cum reliquis illius erroribus per Orientem diſseminare conati olim ſunt Nonnus, & Leontius Byzantinus monachi novæ Lauræ, ut ex hiſtoria V. Synodi generalis habetur, exinde autem cap. 11. dictæ Synodi Hæreticis adſcriptus eſt Origenes, ac damnatus. D. quoque Hieronymus hunc fuiſse errorem Origenis, & nonnullorum Græcorum ſcribit in Epiſt. ad Anaſtaſium. Sed nonnullorum errorem eſse omnium, nemo affirmabit præter Thomam Biatienſem, & ſi qui reperiantur ſimili inſania capti. Per hanc enim novam Biatienſis dialecticam aſserere liceret, hæreſes nonnullorum Occidentalium, puta Lutheri, Calvini, Zuinglii & ſimilium, eſse omnium. Apage tam putidum ratiocinandi modum: inſtitutum proſequamur.

DE ANIMARUM QUIDDITATE,

SUBSTANTIA, SIVE ESSE.

CAPUT DECIMUM-TERTIUM.

TAM varia ac multiplex hac de re antiquorum & recentiorum Arabum sententia fuit, ut longe difficile sit, tot opinionum posse iniri numerum. Earum aliquas percenset Benassalus Ægyptius in libro de fundamentis & principiis Religionis, porta seu cap. 5. plures Mashudius in Pratis aureis; nonnullas liber subrilitatum de cognitione veritatum; aliæ sparsim apud diversos leguntur Auctores.

Sunt igitur qui opinati sunt, animam nihil aliud esse, quam ipsum sanguinem, quamobrem hactenus menstruatam mulierem, ac puerperam, quandiu sanguinis fluxu laborat, نفسا *Naphsa* vocant, id est *animam*, seu *anima immundam*, nempe sanguine, eodemque vocabulo utrumque significant. Hac opinione imbutus Nabeta Scianfrensis Arabs interroganti de genere mortis amici respondit, *Indignata febri anima ejus effluxit*. Et Bensaraka poeta seculi ignorantiæ.

Effluunt animæ per pectora sauciata armis amoris,

Non secus ac effluunt in bello per vulnera facta ferro.

Nec videntur ab hac distare opinione Mahometani Canonici juris Tractatores, qui *Titulo de puerperis & menstruatis* sanguinis nomine animam intelligunt. In Titulo vero de iis, quæ aquas immundas reddunt, eum in eas cadunt, duo distinguunt animalium genera, in ea scilicet, quæ fluida anima sunt prædita, id est sanguine, quibus hominem accensent, & quæ non. Sententiæ hujus patroni eam satis evidenter probatam esse arbitrantur præsenti experientia, quia tandiu homo vivit, inquiunt, quandiu humidus, & calidus humor, qui nihil aliud est, quam sanguis, in illo conservatur; moritur vero, statim atque is abest. Empedocles animam in sanguine radicatam esse statuebat, non autem animam, ut isti, sanguinem esse ajebat.

Quidam aerem, seu ventum, spiritum, & auram animam esse sunt opinati. Siquidem Arabibus, ut Hebræis, & Chaldæis dictio روح *Ruhon* & animam, & spiritum, & auram, & aerem significat. Assertionemque probare putant ex eo, quod homo tandiu vivit, quandiu aerem attrahit, & spirat; moritur vero, cum illo privatur, hine *animam efflare*, *expirare*, *& spiritum emittere* pro *mori dicunt*. Hujus quoque persuasionis fuerunt Anaximenes, Anaxagoras, Diogenes Cinicus, & Critias.

Nonnulli credebant animam esse avem quandam per totum corpus humanum extentam, ut loquuntur, atque diffusam, quæ homine defuncto pristinam recipit formam, ac perpetuo circa suum circumvolitat cadaver, & quæ post suum discessum ab illo geruntur, ipsi refert. Hac sententia persuasus Alsalt vir inter priscos Arabes celeberrimi nominis filiis jamjam moriturus ait:

Quæ post me fient, meus mihi referet bubo,

Quare a criminibus filii recedite procul.

Rebantur enim antiqui illi, bubones, ululas, nycticoraces, ac reliquas ejusmodi ferales volucres, quæ in cavernis, ædificiorum ruinis, & ruderibus, locis desertis, cæmeteriis, & mortuorum monumentis commorari amant, ac lamentabiles edunt voces & ululatus, defunctorum esse animas. Hujusmodi persuasio, uti legimus apud Mahometum Bocharensem tomo 30. Commentariorum Alcorani cap. 94. reprobata est a pseudopropheta Mahometo, qui interrogatus aliquando a Judæis quibusdam, an anima esset bubo, respondit, *nec bubo est*, *nec ulula*. Rursus vero interrogatus, quid esset igitur? respondit ex nomine Dei, postquam

diu revelationem se expectasse simulavit: *Interrogantibus te de anima dicito: Anima est ex mandato, & praecepto Domini Dei mei*. Digna ipso Mahometo definitio! Quasi vero cum sit anima ex praecepto Dei, esse nequeat bubo, ulula, sanguis, aer, ventus, aqua, terra, aut aliquid aliud ejusmodi. Aut interrogantes Judaeos illos latebat, *omnia Deo praecipiente creata fuisse*, ut cecinit Psalmographus. Neque etiam ex hac definitione doctiores evaserunt Mahomeri sequaces, nec quid sit anima propterea apud illos clarius constitit deinceps. Nam sectae legales, sive Theologi, & Canonistae animam esse accidens cum Mohtazlitis philosophis affirmarunt, quod sane multo minus est, quam esse bubonem, ululam, nycticoracem, anserem, passerem, aerem, aut sanguinem. Hoc delirium Mahometanorum Theologorum gravissimis verbis & rationibus refutat Elias Chaldaeus Episcopus Nisibensis sess. 7. suarum Disputationum habitarum cum Alvaziro Abulcasemo principe viro Mahometanae sectae. Inter caetera autem argumenta, quibus ad hanc sententiam refellendam utitur, hoc unum est. Accidens non est subjectum accidentium, nec contraria recipit, aut adsciscit: at animae utrumque contigit, nam & accidentia recipit, & admittit contraria, ut scientiam & ignorantiam, bonum & malum, virtutes & vitia, ac ejusmodi: ergo anima nequaquam est accidens. Hoc idem demonstrat ex somniis, ex quibus aliquando rerum futurarum praevidentur eventus, dum scilicet sensus externi sunt penitus sopiti, ac nulla corpus externa actione est praeditum, sed anima pene ab illo separata & disjuncta suis liberius fungitur muneribus. Porro haec, & alia ejusmodi argumenta parum, aut nihil Legales, & Mohtazlitas praesertim urgent, aut movent, cum utrique non sola divina virtute, sed naturae viribus accidens independenter, & absque ulla substantia subsistere posse doceant, ut nos de Mahometanorum sectis variis agentes in Notis ad Chronologiam fusius ostendemus.

Sunt etiam, qui animam esse quatuor elementorum aequale temperamentum existimarunt. Hoc autem rati sunt, quia quoties unum elementorum, sive humorum, praevalet aliis, vita periclitatur, nec restituitur sanitas, nisi temperamentum ad pristinam aequalitatem redierit. Hujus opinionis fuit quoque Zeno Citiaeus, necnon Galenus.

Alii asserunt animam esse subtile quoddam corpus, & pene spirituale, quod formatur in sinistro ventriculo cordis, ac per arterias essentiales, ut loquuntur, exindeque transmittitur ad alias corporis partes.

Nonnulli animam esse spiritus dixere in cerebro genitos, qui suscipere apti sunt sensum, motum, imaginationem, ac reliquas animae potentias & munia. Hanc sententiam quidam refellunt apud auctorem libri subtilitatum, non quoad ipsum esse animae, sed quoad sedem ejus & locum attinet: siquidem animam nullam certam sedem in corpore habere volunt, demonstrantque ex eo, quod unus aliquando ex acceptis multis, & quidem gravissimis vulneribus nequaquam moritur, ubi alius ex levissimo in eadem parte inflicto vulnere statim animam agit; quod autem non aliunde provenit, nisi quia hujus animae sedes, & domicilium in laesa parte collocatum erat, illius non item.

Alii asserebant animam particulam esse substantiae divinae. Opinio haec ortum habuit apud Persarum Magos auctores Zaradast, sive Zoroastere, indeque successu temporis ad Arabes emanavit. Eamdem lib. 7. parte 2. cap. 6. Maronitis, ac Orientalibus aliis tribuit Thomas ille Biatiensis dicens: *Anima rationalis* (ex Maronitarum & Orientalium aliorum sententia) *ex divina substantia creatur*. Bene nobiscum agitur, at non cum illo, cujus anima ex diaboli substantia genita esse videtur, cum nullum, ut ille, mentiendi faciat finem. Sed audiat impudentissimus impostor, si adhuc in vivis est, si non, ejus manes, quid nostri Maronitae hac de re sentiunt. In ordine matutini feriae quintae Breviarii simplicis ita orant: *Suscipe nos Domine secundum tuum ineffabilem erga genus humanum amorem, quo nos ex* NIHILO *creasti*. In ordine vero matutini feriae sextae: *Domine noster Jesu*

Christe Deus, & salvator animarum nostrarum, longanimis, multarum gratiarum & justitiarum, qui ex NIHILO *creasti nos, & ad esse produxisti.* In ordine officii defunctæ secularis: *Domine Deus omnipotens, principium & finis, principio & fine carens, qui ex* NON ESSE *ad esse produxisti nos.* Dies certe & anni me deficient prius quam auctoritates & testimonia ex Maronitarum libris, quibus hæc veritas constet, nempe animam ex nihilo creatam esse, non autem ex divina substantia. Eam autem appellare divinam, non est, illam ex divina substantia facere, sed quod ad imaginem Dei sit sola creata: unde D. Ambrosius epist. 38. *Hominis & animæ dignitas est causa imaginis divinæ: &, proprie secundum animam factus est* (homo) *ad imaginem Dei.* Quod non gignatur, ut corpora, sed ab ipso Deo producatur ex nihilo, non ex materiæ potentia educatur, sed ab illo nobis infundatur, & inspiretur: juxta illud Genes. 2. 7. *Et inspiravit in faciem ejus spiraculum vitæ, & factus est homo in animam viventem.* Quod divinitatis quodammodo sit particeps: in quo sensu D. Augustinus *de vera innocentia*, ait: *Sicuti oculi exteriores quiddam sunt carnis: ita mens quiddam animi, quod in eo secundum participationem divinæ rationis excellit.* Et sane divinitatis adjuncto passim animam apud Patres vocari comperies. Nec aliud significare voluisse reor ethnicos, quam ipsius animæ dignitatem, præstantiam & excellentiam, ob immaterialitatem, ut ita dicam, ac similitudinem quamdam, quam cum Deo habet, quum illam divinis exornant titulis. Tullius lib. 5. quæst. Tuscul. *Humanus autem animus*, inquit, *decerptus ex mente divina, cum nullo alio, nisi cum ipso Deo (si hoc fas est dictu) comparari potest.* Macrobius vero de som. Scip. libro 1. *Animarum originem manare de cælo inter recte philosophantes indubitatæ constat esse sententiæ.* Manil. lib. 4.

An dubium est habitare Deum sub pectore nostro;
In cælumque redire animas, cæloque venire:

A quo loquendi modo nec Christiani absunt Auctores. Lactantius Firmianus lib. 2. cap 13. divin. instit. *Constat enim* (homo) *ex anima & corpore, id est quasi e cælo & terra: quandoquidem anima, qua vivimus, velut e cælo oritur a Deo.*

Adhæc ex omnium Orientalium sententia Deus incorporeus est, atque indivisibilis: qui fieri ergo potest, ut ex ejus substantia creetur anima, ac tamquam particula quædam materialis ab illa decerpatur, atque decidatur? Ex hoc contra sensum ac rationis lumen sequeretur, animam etiam in hoc corpore positam esse immutabilem, & quæ, ut Epist. 28. arguit D. Augustinus, neque deficeret in deterius, neque proficeret in melius, neque aliquid in semetipsa inciperet habere, quod non habebat, nec desineret habere, quod habebat.

At quid diutius in hujus pecudis refutatione laboramus, cum idem sese propriis armis confodiat, nec tam putidum ac perniciosum mendacium ad horas sub lingua continere potuerit, sed illud eodem lib. par. 1. cap. 38. hoc alio everterit: *Errant deinde Orientales*, inquit, *credentes animas per traducem gigni ab animabus parentum?* Egregia impostura! *Animæ creantur ex substantia divina: Animæ gignuntur ab animabus parentum.* Facessat hinc tam delirus impostor, aliis farciat centones, nec alia dignandus responsione, quam hoc Svidæ: γλῶσσα ποῖ πορεύῃ; πόλιν ὀρθώσουσα καὶ πάλιν ἀνατρέψουσα. id est, *Lingua quo vadis? erectura civitatem, eamdem denuo subversura.*

Opinionem de generatione animarum per traducem fuisse olim Tertulliani & Luciferianorum non ignoro: sed an per traducem intellexerint vim aliquam inesse semini, aut virtutem intrinsecam animæ parentis producendæ animæ filii, an vero per traducem denotaverint exigentiam quamdam extrinsecam, & dispositionem, qua posita anima a Deo creetur, & uniatur corpori, non attinet ad nos disquirere. Patres autem multum olim in hac quæstione collocasse studii & sudoris constat ex D. Augustini epist. 28. ad B. Hieronymum, 157. ad Optatum, serm. de orig. animæ & lib. 10. de Genesi ad Litteram cap. 23. Apud Arabes tamen antiquos recentesque Scriptores nec verbum quidem hac de re hactenus

com-

comperire potui, ex quo credendum est, hanc opinionem apud illos locum minime habuisse.

Nonnulli demum animam, & corpus unum idemque esse credebant. At horum assertionem quinque argumentis, sive corollariis refellit Auctor Epistolæ *de Spiritu & Anima*. *Primo*, inquit, *ostendimus superius, Animam superstitem remanere destructo corpore: at quicquid remanet alio destructo, est aliud ab illo: ergo Anima est aliud a corpore. Secundo, demonstravimus existere Animam ante existentiam corporis, ergo Anima est aliud a corpore. Tertio, corpus crescit, & decrescit, Anima non item: ergo est aliud a corpore. Quarto, homo comprehendit universalia & particularia: atqui hæc non sunt actiones corporis, sed Animæ: ergo Anima est aliud a corpore. Quinto, corpus exercitationibus enervatur, Anima contra roboratur, & quo magis hæc vires acquirit & firmitatem, illud infirmitatibus deprimitur: ergo aliud est Anima a corpore*. Hæc ille.

AN UNA ANIMA

SIT ALIA PERFECTIOR, NOBILIORQUE.

CAPUT DECIMUM-QUARTUM.

QUÆSTIO hæc plures habere potest sensus. Nam vel una anima alia perfectior nobiliorque est ratione specificæ differentiæ; vel ratione numericæ & individualis; vel quod in composito meliorem sortita sit anima organorum, præsertimque cetebri dispositionem & temperamentum, eaque propter perfectiores edit actus; vel ob acquisitos scientiarum habitus; vel demum ob eosdem divinitus infusos.

Primum quod spectat; in tres ordines sive species humanum genus seculi ignorantiæ Arabes nonnulli distinguebant. Primum ordinem ac omnium nobilissimum patrio vocabulo appellabant ناس *Nas*, quo intelligebant nostram. speciem. Secundum ordinem vocabant نسناس *Nasnas*, quod nomen de iis prædicabant quos satyros nuncupamus. Tertiam speciem, seu ordinem نسانس *Nasajes* nuncupabant, sub quo centauros, simias, aliaque id genus monstra, quæ humanam formam, actionesque aliquo modo imitantur, includebant. Hanc opinionem multi ut a vero longe alienam non solum explodunt, sed etiam satyros & centauros extare uspiam in rerum natura negabant. Suæ assertionis rationem assignabant, quia qui de his scribunt, semper in regionibus longissime dissitis eos collocant. Qui enim orientem diem primi salutant, sub occaso sole locum illis figunt, isti vero ad primos remittunt eos, pari modo faciunt alii. Ad ea autem tria vocabula, quibus hujus sententiæ propugnatores tres humanæ speciei ordines significari volunt, respondent: Primo vocabulo designari quidem speciem humanam, reliqua vero diminutiva esse a primitivo derivata, ut ipsa forma nominum demonstrat, adeoque significare *homunciones*, sive *homunculos*, quæ de hominibus infimæ plebis dici solita sunt, ac dein sylvestribus animalibus per analogiam quamdam applicata. In hoc sensu citant Nademæ antiquissimi Poetæ hos duos versus:

Excelsi virtutes (nas) homines sunt depressi,
Factique sunt infra (nasnas) homunciones.

Quasi dixisset, homines virtute præclari oppressi sunt, ac pessumdati ab iis, qui nulla virtute pollent, & vix homines dici merentur.

Abdalla tamen filius Sahidi affirmat apud Mashudium in Pratis aureis,

se non unum satyrum, sed plures vidisse in ea Arabiæ regione, quæ *Alciagiar*, id est arborea a frequentia arborum dicitur, ac non semel una cum sodalibus ad horum egressum fuisse venationem. Porro quod Jacob filius Harethæ narrat, omnino fabulosum esse videtur. Refert quippe, se cum sociis cepisse aliquando satyrum in quadam Arabiæ sylva, & dicente quodam sociorum, cum sanguis satis abunde ex inflicto animali vulnere efflueret: O quam ruber est satyri hujus sanguis! cui qui in vicina latitabat arbore satyrus respondit: Quia hic vescebatur fructu sumak. Est fructus cujusdam arboris rubri coloris, & saporis acidi. Tunc ex voce proditum satyrum capiunt venatores. Hoc alius animadvertens, qui non longe inde in densa absconditus erat sylva, dixit: Profecto si servare hic silentium didicisset, nequaquam fuisset captus. Georgius Elmacinus parte 1. sui Chronici in divisione Climatum scribit, in Persidis partibus interioribus animal quoddam reperiri humanam referens figuram, quod sagittis illud impetentes venatores Tartarica lingua multis conviciis & maledictis incessit. Giaafar Almotuachelo, qui Hegiræ anno 240. Caliphatum gessit, Honaino filio Isaaci medico suo injunxit, ut ad Jamamam, & Hadramutam Arabiæ provincias proficiscens centauros ad se inde adduceret, quemadmodum ex provincia Sciagiar satyros. Fama quippe est in iis regionibus ejusmodi animalia obvia ac frequentia esse. Jussa principis gnaviter exequens utrumque animal Bagdadum, sive Babylonem adduxit. Res vulgatissima est apud Arabes scriptores, ut Mashudius & alii testantur. Nonnulli tamen, qui seculo proxime sequente scripserunt, eam in dubium revocarunt, & quamvis hoc naturæ potentiæ haud negent, productionem ejus in actum concedere induci non possunt. Nihilominus historiæ huic Honaini suffragari videntur plures aliæ. Rerum potiente Constantino cornigerum hominem, seu satyrum, caprinis præditum pedibus Alexandriam adductum esse scribit D. Hieronymus, indeque mortuum, & sale conditum Antiochiam allatum Imperatori conspiciendum. Duos alios hujus generis & notæ in Saxoniæ montibus captos esse suo tempore testatur Magnus Albertus. Phlegon Trallianus Augusti, sive ut alii malunt, Adriani libertus scribit, hipocentaurum in Saunis Arabiæ urbis monte captum, & Romam Cæsari missum fuisse, ejusque partes & figuras diligentissime describit, & enumerat.

Sunt qui satyros designatos fuisse existimant apud Isaiam Prophetam cap. 34. vers. 14. hisce verbis: *Pilosus clamabit alter ad alterum*. Id confirmari videtur ex Hebraico vocabulo שעיר *sahir*, quod *pilosum*, *hirsutum*, & *hircum*, cujus formam partim referunt satyri. Arabicus textus habet ibi الغيلان *Alghilan*, quod satyrum, vel animal aliquod humanam repræsentans aliquo modo figuram denotat.

At utut sit, probare dari satyros, dari centauros, aut ejusmodi monstra alia, non est probare illa pertinere ad genus humanum, aut alicujus animalis rationalis constituere speciem, etsi ad humanam accedere quodammodo videantur, humanasque imitentur prope actiones. Extrinsecæ enim figuræ affinitas non est ea, quæ constituit speciem, præterquam quod etiam satyri, centauri, ac id genus alia monstra longius absunt ab humana similitudine, quam canis a lupo, asinus ab equo, a cuniculo lepus, & ejusmodi. Imo Arist. 6. de historiis Animalium cap. 24. scriptum reliquit, mulas, quæ in nostra Syria pariunt, quamquam simillimæ sint aliis, ut ne vix quidem ab illis discerni possint, non esse tamen ejusdem speciei propter diversum generationis modum. Averroes vero in fine de somno & vigilia docet, quod si qui essent homines, qui non eodem modo cognoscerent, ac nos, non essent ejusdem generis nobiscum. Ad actiones autem quod spectat, plura sane sunt animalia, quibus nullæ prorsus formæ affinitas est cum genere humano, hoc tamen comparatum habent a naturæ principiis, ut suos actus ad finem ordinare, & dirigere, rationemque finis cognoscere putentur, cum media apta eligant, & disponant ad finem illum consequendum. Hinc hirun-

dinum admiramur nidi artificium, quem parturiendi fœtus gratia extruunt, aranearumque telas ac retia ad muscas aliaque insecta capienda contextas. Noxia etiam non minus devitant irrationalia, ac rationalia animalia, unde Horatius lib. 1. Epist.

Cautus enim metuit foveam lupus, accipiterque
Suspectos laqueos, & opertum milvius hamum.

Admiratione longe dignum, quod scribunt Gelaladdinus in *Historia Ægypti*, & Salamas filius Hadi *Tract. de mirabilibus mundi, sect. 6. de Animalibus*, de ave quadam, quam Indiarum rex misit Almotuachelo Moslemanorum Caliphæ. Erat hæc diversis distincta mirabiliter coloribus, rostro rubro, oculisque instar ignis scintillantibus prædita: principis semper assistebat mensæ; si autem veneni quid cibis subetat, statim uberrimis fusis lachrimis, & gemitu humano haud absimili, ac magnis editis clamoribus prodebat. Ibidem refert Salamas, se aliam vidisse avem barbam comamque humanæ simillimam habentem, quæ claris & articulatis Arabicis vocibus sola natura magistra continuo hæc verba canit, وحده الله *Allaho vahdoho*, id est, *Deus est unus*, vel *solus*. Infinita hujusmodi brevitatis gratia prudens prætereo. Quinimo Auctor *Propositorum Arabum Philosophorum*, ipsis quoque plantis & stirpibus comprehensionem tribuere videtur scribens propos. 7. *At forte plantæ etiam non carent comprehensione*. Idque colligit, conjicitque ab evitatione impedientis, cum si quid impedimenti offenderit planta in via, illud declinat, alioque deflectit, antequam eo perveniat. De ipsarum vero plantarum naturali ropugnantia, aut consensu, & convenientia vix credibile est quod ab Auctoribus perhibetur. Hoc unum ut oculatus testis, & experientia doctus affirmare possum de palma. Fœmina numquam fructus ad perfectionem & maturitatem perducit, nisi per incisum ejus folliculum aliquid floris seu seminis ex maris folliculis decerpti injiciatur, & ab agricola sufflelur, nec sufficit ad id aspectus mutuus, ut quidam tradunt, cum, quod indico, in Oriente & Africa ita sit compertum, ac in Europa vitium putario. Longe admirabilitate dignum est quod de planta quadam loco mox citato refert Salamas in insula quadam Indiarum crescente, uberes ac suavissimos edente fructus, quos si virgo quæpiam, ant nupta comederit, statim gravida redditur, intumescitque ipsi venter, non secus ac si viro copulata fuerit; & post biduum, triduumve ad summum, exanimem parit fœtum omnibus membris ita absolutum, ut nullis notis ab humano distingui possit.

Pseudopropheta Arabs, qui omnes scientias in suo ineprissimo Alcorano se complexum fuisse jactat, non modo brutis animam rationalem tribuit ac intellectum pares hominibus, sed etiam pari ratione resurrectionem, præmium, & supplicium ipsis pro meritis ac demeritis statuit cap. de belluis, inquiens: *Non est jumentum in terra, nec volatile volans alis suis, nisi gentes simile vobis* (hominibus) *quandoquidem nihil contempsimus in libro*, (Alcorano) *deinde ad Dominum suum suscitabuntur*: Suo Pseudoprophetæ suffragantur Alcassai, Vahbus, Cabhus, Abbas ac reliqui Mahometani legales: at non conveniunt, an bona bruta, & quæ propterea præmio & felicitate donanda sunt, eumdem beatitatis paradisum cum hominibus sint habitura, an alium. Multi annuunt eumdem utriusque felicitatis fore paradisum: qui negant, in duplici sunt sententia. Eorum quidam alium ipsis fore locum præmii existimant, decem exceptis, quæ hominibus associant; alii affirmant, in terram & pulverem conversum iri præter illa decem. Horum decem, de quibus nulla est controversia, primum tenet locum Camela Salehi, cujus historia hæc est. Salehus iste ad Thamuditas, uti narrant, missus a Deo fuit ante Abrahami tempora, ut gentes illas ad meliorem frugem converteret. Illi autem pro signo confirmationis suæ prophetiæ, & missionis postularunt ab ipso, ut camelam de rupe quadam, quam ei ostenderant, educeret. Quod ipse fusis ad Deum

precibus præstitit. Camela hæc interdiu in montibus pascebat, vespore vero reversa totam percurrebat urbem, & clara altaque voce exclamabat, *Quicumque lacte eget, ad me exeat*, atque ita civibus universis sufficiebat. Verum illi, nec miraculi magnitudinis habita ratione, nec tanti beneficii memores, Camelam enervant, & Salehum sua expulerunt ditione. Camelam hanc sequitur Vitula Abrahami; & est ea, ex cujus carnibus convivium tribus hospitibus Angelis instruxit. Post parentis Vitulam ingreditur Ismaelis filii Aries. Ismaelitarum quippe nonnulli pro Isaac Ismaelem parentem suum substituunt in sacrificio illo pro quo Abraham benedictionem sibi ac semini, nec non repromissionem promeritus est cum divino juramento. Arietem Ismaelis excipit Vacca Moysis. Hujus fabula hæc est. *Erat vir quidam probus*, inquit Sciahinsciah, *inter Israelitas, qui præter vitulam nihil in bonis habebat. Hanc morti proximus in quadam dimisit sylva dicens: Domine Deus hanc tibi commendo vitulam, donec crescat filius meus, illamque reposcat. Adulto puero rem indicat mater, qui eo pergens inventam domum reduxit. Cui mater ait: Ito, fili mi, in forum, ac tribus vendito illam denariis, sed cave eam tradas me inconsulta. Pergenti autem in forum occurrit humana sub forma Angelus, & sex obtulit ipsi denarios, dummodo non consuleret matrem: at ille materni moniti memor præstare noluit. Quæ consulta rursus ait: Placet, sed ne tradas illam, nisi me prius consulas. Proficiscenti ergo iterum in forum idem occurrit emptor dupla plus offerens, dummodo matrem non consuleret. Quod ille facere constanter negavit. Consulta itaque secundo mater ait: Fili mi, hic Angelus Dei sine dubio est, quare sciscitare ab illo, cui fore usui vaccam istam. Quod autem cum fecisset juvenis, dixit ipsi Angelus: Res accidet quandoque in Israele cujus causa Vacca hæc tanta vendetur auri summa, quantum capere potest ejus pellis. Non multo quidem post interfectus est vir quidam ditissimus Israelitarum nomine Hamil, quamobrem plures necis hujus suspecti ad Moysen delati sunt. Qui ne cum noxiis innoxios comprehenderet, Deum multis sollicitavit precibus, ut homicidam proderet. Redditum est oraculum, ut Vacca talibus ac talibus prædita signis in sacrificium offerretur. Nulla in omnibus Israelitarum armentis inveniri potuit ejusmodi habens signa & conditiones præter Vaccam hanc, quam interfecti consanguinei ea auri emerunt summa quam Angelus dixerat.* Vaccæ huic succedit Jonæ Prophetæ Cetum. Rudit post Cetum Jonæ Mahometanum paradisum ingrediens Asinus Jeremiæ. Hujus lepida narratio ex Sciahinsciah, Abisahidi Africani & aliis Mahometanis scriptoribus ejusmodi est. *Solo postquam æquata esset Hierosolymarum urbs una cum Templo, nec spes ulla affulgeret instaurationis, Jeremiæ præcepit Deus, ut eo pergens non proximam modo, sed præsentem annunciaret civibus instaurationem illam. Qui cum eo pervenisset, vidissetque Urbis ac Templi tantam ruinam, risit apud se dicens: Facilius est profecto mortuum ad vitam revocare, quam urbem hanc iterum exsuscitare post tam miserabilem casum. Quamobrem vincto prope se Asino, quo eo vectus erat, mæstitia oppressus inter urbis rudera immisso illi sopore, & ab oculis hominum subductus Dei voluntate, centum annorum spatio exanimis cum Asino obdormivit. Interea instauratur Urbs, Templum excitatur, & pristino omnia redduntur splendori. Eo elapso intervallo exsuscitatur Propheta, & primam vitæ oculis restitutis videbat quomodo tam sua, quam sui Asini ossa ad invicem jungebantur, vestiebanturque nervis, carne, & pelle. Quibus absolutis stat pristina forma recepta Asinus, altisque vociferationibus rudere cœpit. Tunc ait Jeremias: Jam scio, rerum omnium præpotentem esse Deum. Alii non Jeremiæ, sed Ezdræ id evenisse scribunt, qui excitatus, & ad suam profectus urbem cuncta aliam rerum faciem, aliaque signa habere comperit, & suos nepotes jam gravi senectute confectos vidit. Sparso per provinciam facti rumore confluunt ad illum Judæi, dicuntque: Si tu es Ezdras, ut asseris, recita nobis Legem, & eam edoce nos. Qui lumine in ejus ventrem cælitus immisso illustratus jampridem amissam restituit ipsis Legem juxta formam, quæ etiamnum apud eos extat.* Et is Asinus est unus e decem brutis, quæ Mahometanum paradisum sunt merita. Asini hujus vestigia premit Formica Salomonis, de qua ita Alcoranus cap. de Formica: *Et coacti sunt Salomoni exercitus ex geniis, hominibus, & avi-*

bus, qui in turma dispositi processerunt, donec pervenerunt ad vallem formicarum, tunc dixit una formica: o formicæ ingredimini habitacula vestra, ne conterant vos Salomon, & exercitus ejus imprudentes. Upupam Balkais reginæ Sabæ, sive Arabiæ post Formicam eo introducunt, cujus apologum pluribus etiam narrat Alcoranus capite mox citato. Fabula summa est, hanc nimirum egregie lenæ perfunctam esse officio inter Salomonem, & reginam illam, ut præter Alcoranum miris luxuriantur commentis Commentatores. Ibidem quoque Mahometi Camelam stabulari volunt. Demum brutale agmen claudit Canis septem Dormientium Ephesinorum, qui Decii Imperatoris declinantes iram in quoddam antrum sese receperunt proximi montis, ubi obdormierunt usque ad Theodosii tempora. Cani huic quoniam ex immundorum genere est, flavi arietis inderur forma. Illi nomen est, secundum aliquos *Nura*, secundum alios vero, *Camtira*. Et hæc de differentia specifica.

Quod autem pertinet ad secundum, multi Arabum Philosophorum docent, unum hominem alio præstantiorem nobilioremque esse secundum rationem numericam, & individualem, ita ut differentia individualis unius nobilior, perfectiorque sit differentia individualis alterius. Proinde autem potentiæ ac facultates animæ, puta, intelligendi, aut ratiocinandi vegetiores sint in Zaido quam in Amro. Hanc sententiam patroni comprobant hoc Alcorani celebri de hominibus enunciato: *Putasne plures audire, an intelligere?* Id est multi audiunt, pauci intelligunt. Contra hanc opinionem ita occurrit nonnemo. Perfectio numerica Zaidi habetur a ratione specifica, sed hæc una eademque est in omnibus, & æque participatur: ergo si unus non præstat alio ratione specifica ex horum sententia, neque præstat ratione numerica. Ad hanc objectionem respondent, perfectionem numericam haberi a specifica fundamentaliter, non formaliter.

Ad tertium quod spectat, iidem fatentur unum hominem perfectiores nobilioresque edere posse actiones ratione melioris organorum dispositionis. Pro qua re notant, hominem, qua ex anima constat & corpore, quasdam habere potentias mere organicas, quæ omnes sunt materiales, & corporeis organis affixæ, ut sunt eæ, quæ sequuntur gradum vegetandi, & sentiendi, quasdam vero immateriales, & minime organicas, quæ non corpori, sed soli animæ inhærent, ut sunt intellectus & voluntas. Istæ, licet sint immateriales, & minime organicæ, organis tamen ob nexum animæ cum corpore egent ad suas functiones rite obeundas. Cum igitur inæqualis ac dispar sit organorum corporeorum dispositio ac temperies, inæqualis ac dispar oritur intelligendi ac operandi facultas & actio, proindeque perfectio. Hinc unus promptius alio concipit, expeditius ratiocinatur, recordatur felicius. Huic assertioni objicit quidam auctoritatem Philosophi 3. de Anima asserentis intellectum non habere aliquod organum in corpore. At Philosophus loquitur ibi de intellectu secundum se considerato, & ab omni corpore abjuncto, non autem de intellectu prout corpori conjuncto, sic enim organis eget, & creatio corporis & membrorum est propter illum, ut idem Philosophus asserit lib. 2. de animalibus. Præterea nec Philosophi isti asseverant intellectum habere organum, qua intellectus est, sed qua perfectio est corporis egere organis corporeis ad suas functiones rite obeundas.

Ad quartum dicendum est ex omnium sententia, unum hominem alium præcellere posse habitu scientiæ ex perenni virtutis studio, & exercitio acquisito, etsi ille, qui ejusmodi habitu præstat, ignobiliori præditus sit principio sive ratione numericæ individuationis, sive ratione temperamenti, & dispositionis organorum.

Demum ad postremum quod spectat, nulla difficultas inesse potest, quia divino beneficio & munere unus homo ob infusos divinitus sibi habitus perfectius alio intelligat, & per consequens nobilior habeatur. Hanc sententiam refert Mahometus Jamnius in Præfatione Tract. de præstantia Mechæ & Jerusalem

ex hisce Alcorani verbis: *Et extulimus quosdam vestrum super quosdam gradibus*: indeque probare nititur unum locum alio præstantiorem esse, ut homine hominem. Idem asserit Salamas sect. 1. de mirabilibus orbis. *Scias oportet*, inquit, *Deum omnium præstantissimum constituisse intellectum, & unicuique elargitum esse juxta mensuram sui amoris erga illum, ejusque dignitatem apud Dominum suum. Itemque antecellere fecit quosdam super quosdam divitiis, & largitate bonorum. Angelorum itaque, & Prophetarum intellectus superant intellectus Doctorum. Doctorum vero intellectus superant intellectus vulgi hominum, & intellectus vulgi hominum superant intellectus mulierum, demum intellectus mulierem intellectus puerorum.*

Hæc porro partim intelligenda sunt de habitibus infusis, quales sunt Prophetarum: partim de acquisitis, quales Doctorum; partim de differentia numerica, atque de gradibus perfectionis, qui oriuntur ex organorum corporeorum dispositione, quales inter mulieres puerosque discernuntur.

Verum ex mox dictis oritur dubium, num mulier viro imperfectior sit, distinguaturque in ipsa ratione specifica. Philosophi Arabum distinctionem hanc specificam non admittunt, at legales, sive Theologi ultro concedunt. Eam docet imprimis Cahbus ex Rabbino pseudoprophetæ sectator, & discipulus, ut de illo referunt Amamus Nagemaddinus, & Abufadlus in præfatione Commentarii ejusdem Cahbi poematis coram Mahometo habiti de ejus amasiæ Saad laudibus. Opinionem hanc e Judæorum scholis ad Arabes emanasse, non semel mihi olim testatus est clarissimus, Rabbinicarumque disciplinarum peritissimus Joannes Baptista Jona, in Pisana olim, nunc in Romana Academia Hebraicæ linguæ publicus Lector, atque Professor. Quod autem per mox nominatum Cahbum præstitum forte est, cum is omnes ex Judæorum synagoga fabulas & apologos ad Mahometanam transtulerit Moschæam.

Eidem assertioni suffragari videtur Tullius, dum dicit: *Duplex est natura generis humani, sed præstantius est genus eorum, qui sunt viri*. Accedit Philosophus 1. Polit. docens, quod in communicatione, qua sibi communicant vir & mulier, vir est sicuti principans, & mulier sicuti subjecta. His omnibus addere robur creditur auctoritas Apostoli affirmantis, virum esse caput mulieris, & mulieres viris subditas esse oportere. Nec minus favet testimonium D. Augustini in quæst. Novi & Veteris Testamenti, isthæc edisserentis de creatione hominis ad imaginem Dei: *Hæc*, inquit, *imago Dei est in homine, ut unus factus sit dominus ex quo cæteri oriantur, habens imperium Dei quasi vicarius est, quia unius Dei habet imaginem. Ideoque mulier ad imaginem Dei non est facta, sic etenim dicit*: Et fecit Deus hominem, ad imaginem & similitudinem Dei fecit illum. *Hinc etiam Apostolus, Vir quidem, ait, non debet velare caput, quia imago & gloria Dei est. Mulier ideo velet, quia non est imago, aut similitudo.* Eadem ferme tradit D. Ambrosius super epist. 1. ad Corinthios. Ex quibus omnibus colligi videtur, virum differre specie a muliere, cum ille sit factus ad imaginem Dei, ipsa non item, adeoque diversa est utriusque substantialis forma.

Ad hæc respondetur primo, auctoritatem Apostoli & Philosophi Arabibus istis minime suffragari. Principatus enim & eminentia viri super mulierem non est naturæ, cum in hoc, teste D. Basilio in Hexam. æqualis sit vir, & mulier, sed œconomiæ, proindeque paterfamilias non uxori præest dumtaxat, & caput dicitur esse mulieris, eminere & habere principatum gamium, seu conjugalem, verumetiam præest liberis, habetque in eos dominium paternum, præest servis, & habet in eos despoticum, seu herile dominium, nec præterea censetur esse diversæ naturæ & speciei respectu liberorum ac servorum.

Illud autem quod adducitur ex Tullio pro diversitate generis viri & mulieris, intelligendum est de sexu distinguente suo modo inter virum & fœminam, genusque accipiendum hic esse latissimo modo, ac satis analogice, in quo sensu dicere solemus, genus Gallorum, genus Hispanorum, genus Arabum, designan-

tes tunc multitudinem quamdam regione, lingua, habitu, victus ratione, moribus, religione, & id genus ab alia multitudine distinctam. Profecto etiam qui verba illa attentius perpenderit, comperiet, esse dicta de perfectione numerica, & quæ a meliori dispositione organorum pendet, secundum quam tam corpore quam mente fœminæ sunt viris longe imperfectiores. Hinc Ovid. in Epist. Heron. ad Leand.

Ut corpus teneris, sic mens infirma puellis.

Ad id porro, quod affertur ex DD. August. & Ambrosio, ita respondet S. Thomas par. 1. quæst. 93. art. 4. ad 1. *Tam in viro, quam in muliere invenitur Dei imago quantum ad id, in quo principaliter ratio imaginis consistit, scilicet quantum ad intellectualem naturam. Unde Gen. 1. cum dixisset ad imaginem Dei creavit illum, scilicet hominem, subdit, masculum & fœminam creavit eos, & dixit pluraliter eos (ut August. dixit) ne intelligatur in uno individuo uterque sexus fuisse conjunctus. Sed quantum ad aliquid secundarium imago Dei invenitur in viro, secundum quod non invenitur in muliere: nam vir est principium mulieris, & finis: sicut Deus est principium & finis totius creaturæ. Unde cum Apostolus 1. Corinth. 11. dixisset, quod vir imago & gloria est Dei, mulier autem est gloria viri; ostendit, quare hoc dixerit subdens: Non enim vir est ex muliere, sed mulier ex viro: & vir non est creatus propter mulierem, sed mulier propter virum.*

Ego sane non a veritate alienum esse reor, mulierem ideo dici non esse factam ad imaginem Dei, quia non immediate a Deo condita est sicut vir, sed ut apographum ad prototypi viri imaginem, quemadmodum si quis pingat immediate imaginem Cæsaris, & ad hujus similitudinem aliam. Tunc licet utraque sit effigies Cæsaris, prior tamen dicitur facta ad ejus imaginem, altera non item, sed ad similitudinem prioris delineata, sive antitypon.

Curiose forsitan, ac jure merito sciscitabitur hic a nobis nonnemo, qua ratione Arabum legales aliqui excludunt mulieres a paradiso virorum consortioque, cum potissimam partem voluptatis finalis alterius mundi ex Mahometi decreto, & condicto istæ constituant, ut non satis putaverit singulis viris singulas jungere puellas, sed plures, quas aliqui volunt fore quadraginta, alii centum, nonnulli multo plures, nive candidiores, sole splendidiores, uti videre est in Alcorano cap. *Misericors*.

Respondetur, puellas illas Mahometicas non esse ex harum, quas in hoc nostro habemus Mundo, genere, aut specie, sed alterius longe sublimioris, ac elegantioris, uti legere est in libro *Sonnat*, seu de Mahometi Lege tradita, & alibi. Vide hac de re doctissimum eruditissimumque R. P. Philippum Guadagnolum in Apologia pro Fide Christiana Tract. 2. de Alcorano cap. 3. sect. 3. Quamquam non omnibus una sententia sit de harum puellarum productione.

Ex Arabibus Christianis Abuisaac Benassalus Tract. *de principiis, & fundamentis Religionis cap. 5. de Intellectu, Anima, Corpore, Forma, Materia, & Operibus hominis*, quadrifariam distinguit juxta potentias theoricas, ut loquitur, Animarum ordines. Primum tribuit iis, qui divinarum cognitione, & scientiis sunt cælitus illustrati. Secundum illis, qui divina veraque dogmata amplexati sunt, non evidenti demonstratione inducti, sed sola Ecclesiæ persuasi auctoritate. Tertium iis, qui tam veris, quam falsis dogmatibus vacui penitus sunt. Quartum demum illis, qui falsis imbuti sunt. Porro juxta potentias practicas in tres distinguit ordines. Primus ordo tribuitur iis Animabus, quæ optimis sunt præditæ moribus; secundus illis, quæ tam bonis, quam malis vacuæ sunt; postremus eis, quæ malis moribus sunt inquinatæ.

Auctor Epistolæ *de Spiritu & Anima quæst.* 8. duas affert opiniones, unam Philosophorum, alteram Theologorum Mahometanorum. Illorum sententia totam discriminis rationem collocat in varietate temperamentorum, istorum verso in ipsa essentiali differentia. Quatuor hæc sententia innititur argumentis. Primum ita ad-

ſtruitur ex officio Apoſtolatus. Vel enim, ajunt, id conſequitur Apoſtolus gratia aliqua, vel ex principiis eſſentialibus emanat; non primum, quia illa gratia aliam requirit, & hæc aliam, atque ſic in infinitum; ergo reſtat, ut ſit ex principiis eſſentialibus: igitur homines, licet ſint ejuſdem ſpeciei, differunt inter ſe in gradibus perfectionum eſſentialium. Alterum argumentum inſtituunt ex hiſce Mahometi Pſeudoprophetæ verbis: *Animæ ſunt milites ordinati*, nempe inſtar militum cæleſtium, ſeu Angelorum: atqui Angeli diſcrepant in gradibus eſſentialium perfectionum: ergo & homines. Tertium ex hoc ejuſdem Pſeudoprophetæ alio dicto: *Homines differunt inter ſe ut metalla, nempe aurum, & argentum*; atqui hæc differunt in gradibus eſſentialibus: ergo & homines. Quartum: Homines, inquiunt, longe diſſident ingenii acumine, vel hebetudine, temperantia, & luxuria, & ejuſmodi aliis: ſed hæc proveniunt ex principiis eſſentialibus: ergo differentia inter eos eſt in gradibus perfectionum eſſentialium. Eadem tradit Sciahrzenrus in libro *Ænigmatum, & Parabolarum divinarum de cognitione Animæ & Spiritus*. Hanc ſententiam lubens amplectitur C.F. d'Abra de Raconis Doctor Navarricus *Tract. de Anima rationali ſect. 5. de affectionibus animæ rationalis quæſt. 1. an omnes animæ rationales ſint æqualis perfectionis*, alia, quam dudum ſecutus erat, repudiata, ita palinodiam canens. *Verum quia inſpecta attentius ratione iſta, eam infirmam valde, imo ruinoſam eſſe deprehendi: ideo in ea opinione diutius perſiſtere non potui, ſed lubentius contrariam ſum amplexus, ductus contraria ratione, quæ talis eſt: Non eſt inconveniens, imo valde congruum videtur admittere inæqualitatem eſſentialem inter individua ejuſdem ſpeciei: ergo tametſi omnes animæ rationales ſint ejuſdem ſpeciei, non ſequitur, eas omnes eſſe in eſſentia æqualis perfectionis, imo exinde potius judicandæ ſunt inæquales. Probatur antecedens: non eſt magis inconveniens, ſed pari jure aſſerendum videtur, individua ejuſdem ſpeciei inæqualia eſſe in perfectionibus eſſentialibus, ac ſpecies ejuſdem generis: ſicut enim ſpecies præter communem gradum generis, in quo omnino ſimiles ſunt & æquales, habent proprias & peculiares differentias eſſentiales a quibus peti poteſt inæqualitas eſſentialis; verbi gratia homo & brutum, quæ ſunt ſpecies animalis, præter illam communem rationem animalis habent ſuas differentias eſſentiales, homo rationalitatem, brutum irrationalitatem, ratione quarum non modo diſcriminantur, ſed homo brutum nobilitatis jure longiſſime anteat: ita individua præter communem gradum ſpeciei ſuæ, ſecundum quem eadem ſunt, & plane æqualia, ſortiuntur peculiares differentias individuales*. Hæc retulimus ad oſtendendum, quam par & uniformis ſit ratio diverſa philoſophandi vel in Gallia, vel in Arabia, vel ubique terrarum & gentium.

DE ANIMARUM MORTALITATE ET IMMORTALITATE.

CAPUT DECIMUM-QUINTUM.

ANIMAS qui mortales faciunt inter Arabes, non pari modo & ſententia inſaniunt omnes. Aliqui enim natura ipſa abhorrente, atque reclamante manu, & calamo renitente, repugnanteque, illas in nihilum redactum iri, ac una cum corporibus interitum affirmabant, nulla ſpe reſurrectionis aut Animabus, aut corporibus affulgente.

Alii, Animas cum corporibus extingui aſſerebant, unaque in noviſſimo die cum iiſdem reſurrecturas fore docebant.

Prima ſententia Dahritarum Philoſophorum erat: Quamquam Fachrus in *variis quæſtionibus*, præter aliorum omnium Arabum opinionem, perſuaſionemque, ut poſteaquam horum ſupra retulimus ſententiam, apud eum legimus, perhibeat,

Dahritas nequaquam Animas interituras sensisse , sed non resurrecturas , seu ad corpora sua aliquando redituras, aut illa resumpturas. *Hinc*, inquit ille , *quidam sunt rati , Dahritas Philosophos mortales habere Animas , quia resurrectionem corporum inficiabantur , & Animarum ad corpora reditum . Verum hæc de corporum mortalitate & interitu intelligenda sunt , non autem Animarum* . Scilicet , Dahritæ corporum negabant resurrectionem , asserebantque Animas ad ea non esse redituras amplius, postquam semel ab ipsis discesserunt , at eas propterea esse mortales , nequaquam.

Arbitror sane; ad me quod attinet , Fachtum Dahritas cum Peripateticis philosophis hic confundere . Ex horum quippe de Mundi æternitate secundum præsentem formam sententia nullam fore corporum resurrectionem necessario consequitur , aut Animarum ad illa reditum . Ex quo Mahomerus Algazel hujus opinionis reum agit Avicennam , quamquam is *Tract. postremo Metaph. sect. de Prophetia* , inter multa atque diversa , quæ a Propheta inculcanda sunt hominibus , articulum resurrectionis , ut valde præcipuum , ac necessarium recenseat , necnon reditum Animarum ad sua corpora . Qua de re ita noster Auctor propositorum Arabum Philosophorum propos. 24. *Haud obstante hac expositione retulit ad illum (Avicennam) Amamus Mahometus Algazel negationem reditus corporalium . Causa autem hujus relationis ad hoc fuit , quod reditus corporalium repugnat æternitati Mundi corporum . Ipse vero (Avicenna) asserit æternitatem , & durationem hujus Mundi in sua existente forma* . Hoc est , Avicenna asserit Mundum ab æterno conditum fuisse , atque in æternum duraturum , servatumque præsentem formam : sed quisquis hujus opinionis suscipit patrocinium , resurrectionis dogma destruit , & Animarum ad corpora negat reditum , quicquid verbis in contrarium dissimulet . Resurrectionem autem præsentem Mundi invertere ordinem , & formam præter rationes & argumenta divina testantur oracula : *Adveniet autem dies Domini ut fur : in quo cæli magno impetu transient , elementa vero calore solventur , terra autem , & quæ in ipsa sunt opera , exurentur* . Licuit ergo Algazelo ex hac sententia de Mundi æterna duratione inferre , Avicennam aliosque Peripateticos Philosophos re corporum resurrectionem negare , & Animarum ad illa reditum, quicquid ille de resurrectionis articulo a Propheta inculcando dixerit . Totum itaque discrimen inter Dahritas Arabes , Arabesque Peripateticos in eo consistit , quod isti ex suo doceant Philosopho immortales esse Animos, illi non item, si Fachri de illis excipias testimonium.

Altera opinio, nisi velis insaniam illam appellare, de Animorum mortalitate extitit nonnullorum sub ipso Christianismo, cui nomen quoque dederant. Isti affirmabant Animas una cum corporibus extinctum iri, & in die novissimo cum iisdem vicissim esse resurrectura, uti legere est in Concilio Arabico contra eosdem celebrato an. 2. Fabiani Pontificis, & 4. Philippi Imperatoris, qui est Domini 249. de quo videsis Eusebium, Baronium, & alios.

Fit alterius quoque Concilii Alexandriæ habiti contra eosdem mentio in Cophtitarum Martyrologio , ubi ipsa verba sunt . *Die 3. mensis Tuti congregatum est sanctum Concilium in urbe Alexandria ann. 2. principatus Patris nostri sancti Patriarchæ Dionysii . Coactum autem est Concilium hoc causa quorumdam , qui ex regione Arabia prodeuntes docebant , Animam una cum corpore mori , simulque etiam cum illo in die resurrectionis resurgere . Qua de re conscriptam Epistolam ad aliquos Alexandriam transmiserunt . Quod videns Pater noster S. Dionysius ægerrime tulit , illosque ab hac ut amoveret opinione omnes adhibuit conatus . Quamobrem hoc adversus eos coacto Concilio , multisque initiis eum ipsis disputationibus eorum aperuit errorem , & resipiscere detrectantes , ac ab ejusmodi opinione nolentes recedere , anathematis mucrone ferit , & fidelium privavit communione . Scripsit præterea contra ipsos Tractatum , qui ita incipit* : Utique Dei erga humanum

genus charitas summa est. *In quo evidentissime demonstravit, Animam neque mori, neque extingui cum corpore, sed immortalem esse, uti sunt Angeli, & dæmones, quoniam ipsa quoque spiritus est, ac minime propterea alterationi, aut corruptioni obnoxia est, & egredientem e corpore mittit illam* (Deus) *ad locum meritis ejus congruentem usque ad resurrectionis diem. Sonante autem buccina, & resurgentibus corporibus imperio Creatoris singula Anima sua resument corpora, consequenturque cum ipsis aut felicitatem, aut supplicium decretum, ac in eo statu, quem utrumque consequutum fuerit, permanebit, nec illum in seculum seculorum, & æternitatem æternitatum commutabit.*

Hanc sententiam de Animarum extinctione cum corpore inferebant illi ex receptissima inter illius seculi Philosophos hac definitione: *Anima est corpus simplex rationale apta uniri corpori, per quod suas actiones operationesque perficiat, seu fungatur.* Ex qua sic arguebant: *Anima est corpus, corpus est interitui obnoxium, igitur mortalis.* Cum vero alia ex parte se urgeri admodum viderent divinorum oraculorum auctoritatibus de Animarum immortalitate, earumque reditu in novissimo die ad sua corpora, statuerunt eas una cum corporibus resurrecturas fore in die judicii.

Verum enimvero nec definitionis sensum intelligebant, nec Philosophorum illius auctorum assequuti sunt mentem. Siquidem isti Animam non *absolute* esse corpus definierunt, sed qua comparatur Deo, qui solus purissimus actus est, Anima vero non item, sed ex potentia & actu constat. Ita definitionem hanc interpretatus olim est Bazudbadukus antiquissimus scriptor Chaldæus in libro Definitionum, quas Syriace conscripsit, definit. 91. & 92. ubi, *definitur*, inquit, *Anima esse corpus simplex, ut a Deo distinguatur.* Confirmatur hæc interpretatio ex Angelorum definitione, qui etsi ex eorumdem Philosophorum mente immortales sint, definiuntur tamen ab illis ita: *Angeli sunt corpus simplex rationale operantes sine organis.* Quam autem definitionem mox laudatus Bazudbadukus sic explicat: *Dicuntur Angeli esse corpus Deo comparati: operantes sine organis, ut ab Anima unita corpori distinguantur.* Hinc liquido, ac palam relinquitur, eos Arabes gravissime esse deceptos arguentes a corporis compositi & elementatis affectionibus ad corpus simplex & spirituale, quod nequaquam corpus dici meretur, nisi comparate, ac si diceres, facem non lucere soli collatam, & illud Jobi 25. *Ecce Luna etiam non splendet in conspectu ejus.*

Non desunt præterea rationes aliæ, & argumenta satis evidentia ad suadendum planissime, illorum Philosophorum mentem haud fuisse in ea tradenda definitione, ut docerent, Animam esse mortalitati obnoxiam, & corruptioni, quia totius corruptionis mortalitatisque rationem & fundamentum non in esse corporis absolute collocant, sed in solam compositionem ac divisibilitatem partium referunt. Nomine omnium in suis variis quæstionibus audiatur in præsens Fachtus: *Si Anima*, inquit, *corruptibilis esset, ex suscipiente corruptionem & divisionem compositam esse oporteret: atqui Anima simplex corpus est indivisibile & incompositum: ergo incorruptibilis & immortalis.* Iisdem plane conceptum verbis argumentum legitur apud Gregorium Barhebræum Syrum in Tractatu Syro de fundamentis Ecclesiæ lib. 6. de Anima, cap. 5. de statu Animæ post discessum e corpore, sect. 1. de Animæ immortalitate.

Ad hæc ita reponunt adversarii contrariæ sententiæ patroni: Anima non est simplex dumtaxat corpus, sed corpori materiali, elementari & composito unita per modum partis ad unum totum conflandum; atqui hoc totum corruptibile est; corruptio autem totius est corruptio etiam partium: ergo corrumpitur Anima corrupto illo toto, cum extra compositum subsistere nequeat.

Profecto nullo modo hoc sequitur ex illorum Philosophorum definitionis

mente, quia Animam corpori extrinsecus advenire, & unionem cum illo antecedere expresse docent passim, & ipsius definitionis hæc verba dilucide declarant: *Apta uniri corpori*. Namque si Anima subsistere potest ante unionem, quod certissimum adhuc ex illorum sententia est, quia omnes Animas simul creatas fuisse affirmabant initio Mundi, etiam post unionis dissolutionem hoc præstare poterit, cum unio non sit de essentia Animæ. Præter quam quod etiam falsissimum sit, corruptionem totius, sive compositi esse simpliciter & absolute corruptionem partium. Corruptis enim iis, quæ ex elementis constant, certum est ac planum, partes non corrumpi, nisi qua ad suum totum referuntur, non autem in suo esse. Patet hoc evidentius ex compositis artificialibus, etenim destructa domo ex lignis & lapidibus composita & constante, neque ligna qua ligna sunt, neque lapides qua tales corrumpuntur, etsi dicatur totam domum destructam esse, & quodammodo in nihilum redactam.

Tota adhuc hæc difficultas ex mente illorum Philosophorum evanescit ex divisione Animæ in cælestem & humanam, ubi illam non perinde cælestibus jungunt corporibus, ac istam humanis. Hanc doctrinam ita Auctor Propositorum Arabum Philosophorum propos. 7. refert. *Scias, animam rationalem bifariam dividi; altera est Anima cælestis. Quidam autem Philosophorum dicunt, quod omnis Planeta ex Planetis errantibus sit cordis instar, ejusque particulares orbes reliquorum membrorum instar; & quod Anima cælestis colligatur primo Planeta, & mediante Planeta particularibus orbibus; ex quo planum fit, Animas cælestes esse novem juxta cælorum numerum. Abuhali autem Abusina* (vulgo Avicenna) *asseruit, quod omne cælum habeat Animam, omnisque Planeta etiam Anima sit præditus illum ciente motu positivo. Erunt igitur Animæ cælestes penes numerum cælorum & Planetarum. Altera autem est Anima humana, quæ demonstratur per pronomina* EGO *&* ILLE; *& est apud Platonem æterna sempiterna:* (id est ex utroque extremo perpetua) *apud Aristotelem vero de novo producta, & superstes post destructionem corporis.*

Duo ex dictis notanda hic sunt. Primum, divisionem sive distinctionem hanc Animæ in cælestem & humanam univocam esse in eorum Philosophorum sententia, non autem analogicam; ex quo consequitur, quod quemadmodum unio cælestium Animarum cum corporibus cælestibus non reddit eas mortales, ita nec unio Animarum humanarum cum humanis corporibus constituit eas corruptibiles. Alterum, animas nostras tam ex mente Platonis, quam Aristotelis immortales esse aperte fatentur. Quamobrem nullus de eorum dubitandi mente relinquitur scrupulus. Quis ergo non videt clarissime, quam de tam sana definitione, tam insanam intulerint Arabes illi consequentiam.

Adversus horum Philosophorum delitia sua versione collimasse videtur antiquus sacrarum Litterarum Arabs Interpres, quisquis ille fuit, dum vers. 11. Psal. 88. qui ex Hebræo ita sonat: *An mortuis facis miracula? an defuncti resurgent, te laudabunt?* legit, ac interpretatus est: *Num facturus es erga mortuos miracula tua, aut Philosophi surgent, atque confitebuntur tibi?* Quasi his verbis dixisset: Num Philosophi sectæ hujus surgent, & confitebuntur resurrectionis veritatem? Vulgatus Interpres Medicos, ut ille Philosophos distringere hic videtur: *Numquid mortuis facis mirabilia, aut Medici suscitabunt, & confitebuntur tibi?* Geminum tamen is locus habere potest sensum. Primum, an Medici illi, qui totum hominem intra vegetativi & sensitivi includant terminos & fines, qui interitui & corruptioni obnoxii sunt, credunt resurrectionem esse futuram, aut Animam esse immortalem? Ex his quippe, scilicet vegetativo & sensitivo, omnium argumentorum adstruitur congeries pro Animarum mortalitate, uti videre est apud Petrum Pomponatium, & alios. Ex his Aristotelis extorquent mentem, qui ex ejus placitis mortalitatem elicere nituntur. Ex ejusmodi Matheosophiæ principiis pro certo sibi constare semper affirmabat Joannes de Canis Medicus Florentinus multi nominis, Animam morta-

lem esse, ut 2. *Dialogo Chimerico* prodidit Joannes Baptista Gellus. Verum morti proximus dubitare cœpit, & jamjam animam agens ait, *Sit necne mox sciam*. Sed qui scire poterat infelix, si mortalis est Anima? Vel indigitatur etiam eo versu Galenus cum sequacibus Medicis, qui nullam absolute admittit in compositis naturalibus substantialem formam, sed qualitatum temperiem, & harmoniam Animæ loco in homine tantum agnoscit. Aliter sensus ejus versus esse potest: *Non medici quidem mortuos suis suscitabunt medicamentis, sed tu Domine*. Qui sensus egregie facit pro mortuorum resurrectione.

Quemadmodum vero versus iste juxta Hebraicum textum maximopere favere videtur Saducæorum de Animarum interitu & exstinctione hæresi; ita nullus fere est in sacrarum Scripturarum tota supellectili, qui earum immortalitatem clarius afferat justa Syriacam editionem. Hebræi textus lectio, *An mortuis facies miracula? an defuncti resurgent, te laudabunt? numquid narrabitur in sepulchro misericordia tua: veritas tua in perditione?* Syriaca autem editio ita se habet: *En mortuis facturus es miracula, & gigantes surgent, atque confitebuntur tibi: & narrabunt qui sunt in sepulchris misericordiam tuam, fidemque tuam in interitu*. Quos duos versus passim proferunt Syri Patres, & Scriptores ad asserendam mortuorum resurrectionem, ac præsertim SS. Jacobus Episcopus Nisibensis, & ejus discipulus Ephrem Syrus, & passim recitantur apud Maronitas, ac Syros alios in commemorationibus defunctorum. Paris quoque momenti ac ponderis est versus 7. cap. 7. Jobi, quem acriter sibi adsciscunt Saducæi, & Saducæorum sequaces, qui ex Hebræo ita sonat. *Memento quod ventus vitæ mea, non revertetur oculus meus ad videndum bonum*. Syriacus & Arabicus: *Memento quod spiritus vivens est, quare oculus meus revertetur videre bonum*. Tam oppositum sensum quod attinet, non est nostri modo discutere unde sit ortus, quemadmodum an vetustus Hebræus textus diversus fuisset ab eo, quem nunc manibus terimus; & an Interpretes illi id præstiterint ad Saducæorum oppugnandam hæresim, ne inter Gentes alias dissemináretur tam perniciosum dogma. Ambigi quoque potest, an Interpres Arabs ita vertendo, eos Philosophos, de quibus Concilium Arabicum, & Alexandrinum supra relata, distringere voluerit.

Quemadmodum autem Prophetarum nos oraculis, ac testimoniis Scripturarum asserimus immortalitatem Animarum, pari ratione Auctor Epistolæ *de Spiritu & Anima quæst*. 7. eamdem octo argumentis ex Prophetarum consensu, Alcorano, & Mahometi dictis comprobat. Primum argumentum, inquit, Animorum adstruens immortalitatem, est consensus Prophetarum, Sanctorum, & sapientium, ac eorum labores. Secundum, sunt miracula, & prodigia, & evidentes demonstrationes, ac historiæ, quæ dilucide, atque clare demonstrant Animos esse immortales, corpora vero caduca, & mortalia. Tertium elicitur ex Mahomero dicente Hadisæ deploranti filios suos ante Mahometismum, sive ut illi loquuntur, infideles defunctos: *Si vis, te audire faciam eorum gemitum in igne*. Quartum es ejusdem Pseudoprophetæ auctoritate, qui affirmavit, se Prophetas vidisse secundum varios beatitudinis gradus ea nocte, qua in cælum raptus est, ut in historia ejusmodi raptus, seu comitialis morbi fabula verius refertur. Quintum ex hoc ejusdem apophtegmate. *Somnus est frater mortis*. Sextum ex hoc dicto ejusdem: *Utique sancti Dei non morientur, sed transferuntur ex uno in aliud domicilium*. Et ex hoc alio nomine Dei ab ipso prolato: *Sane & ipse & illi morientur, & quod superstes erit judicabitur*. Quid enim superest morti nisi Anima, cum certum sit corpus extingui? Septimum ex historia, quam de illis, qui fato concesserunt, refert. Asserit quippe, defunctorum Animas singulis feriæ sextæ diebus in hunc venire Mundum, & ante suorum domorum stare fores, mœstaque proclamare voce: *O consanguinei, o filii, o parentes, o domestici nostri, o proximi, miseratione moveamini super nos, nec nostri obliviscamini, precibus adeste nobis, eleemosynis opem ferte, suffragiis auxiliamini, ut forte misereatur nobis Deus antequam sitis ut nos*. Octavum ex histo-

ria belli Badrensis, in quo Mahometus graviter vulneratus fuit, & plures eccidere sociorum contra vaticinium, quo pro certo pollicitus erat, neminem suorum eo in certamine periturum. Superstitibus autem de vana pollicitatione illa conquerentibus ait: *Per eum in cujus manibus anima mea est, adhuc vivi sunt, adhuc vos audiunt, etsi divino decreto respondere prohibeantur.*

His allatis argumentis aliam idem Auctor movet quæstionem: num scilicet Anima in æternum immortalis erit, an vero post resurrectionem sit aliquando peritura. Tres hac de re affert opiniones. Prima est eorum, qui Animam purum spiritum esse affirmant, atque consequenter æternum permansuram: altera illorum qui eam corpus esse arbitrantur, quamobrem aliquando morituram: nonnullorum demum sub Mahometismo sententia fuit tam Angelos, quam Animas quandoque interituras fore. Hujus demonstrationem ex his Alcorani exerunt verbis. *Omnia pereunt præter unum Deum.* Sed hæc comparate accipienda esse alii respondent, quia Deus naturaliter immortalis est, reliqua vero sola Dei gratia. Hinc Sciahrzurus libro citato *de Dei cognitione* loquens de simili comparatione ait: *Dei quidem altissimi cognitionem nequaquam consequi possumus, nisi lumine ipsius Dei, quoniam ipse est sui ipsius demonstratio, omnium demonstrationum evidentissima; ipseque est cælorum, ac terræ lumen, & nisi anima ejus lumine illustrata fuerit, minime veritatem assequi poterit, quia omnis vel evidentissima demonstratio tenebræ sunt densissimæ illius lumini comparata.* De æternitate autem Animæ ita ibidem paulo inferius. *Scias, qui consequutus est scientiam Animæ: jam consequutus est felicitatem æternam, & sempiternum regnum.* Et paucis interjectis ex Peripateticorum placitis subdit: *Ipsi* (Peripatetici) *demonstrationibus confirmant existentiam rei abstractæ a materiebus unitæ corpori, illudque gubernantis, quæ mortuo illo superstes erit.* Mox etiam addit, immortalitatem Animæ esse unum ex articulis religionis Mahometanæ, adeoque fide credendam esse, non argumentis probandam. Ahmetus Algazel in libro *de consolatione* hanc affert pro immortalitate Animæ asserenda pseudoprophetæ salutandi formulam, dum inter sepulchra transibat, *Pax, & requies vobis, qui vere vivi estis, nos vero mortales. Ex quo*, ait relatus auctor, *cognoscimus Animam non mori demortuo corpore.* Hermes Arabicus cap. 4. libri *de correptione Animæ*: *Numquid ignoras Anima, quod per mortem naturalem transmigreris ab angustiis ad latitudinem, a paupertate ad divitias, a mærore ad letitiam, a periculis ad securitatem, a labore ad requiem, ab afflictionibus ad voluptates & delicias; a morbo ad sanitatem, a tenebris ad lucem? Ne te igitur pigeat, quia malorum deposita stola, & iniquitatum, stolam recipies honorum, & immortalitatem.*

Testimonia ejusmodi innumera occurrent Arabes scriptores legenti, quæ missa facimus cum brevitatis gratia, tum quia ex sequentibus capitibus adhuc constabit hæc Animæ immortalitas. Hoc unum tamen haud omittendum est: eos videlicet qui Animam, aut sanguinem, aut aerem, aut ignem, aut qualitatum harmoniam & temperamentum, & id genus esse docuerunt, nequaquam eam mortalitati ac interitui obnoxiam propterea facere: sed Animam tunc pro vita, seu effectum pro causa per metonymiam accipere, quicquid sit de Galeni & sequacium opinione. Id sect. 3. quæst. 10. auctor Epist. *de Spiritu & Anima* luculentissimis declarat his verbis: *Scias præterea*, inquit, *aliud esse vitam, aliud Animam; sed ita altera alteri conjuncta est, ut disjungi nequeat, ideoque plures eas distinguere nescirerunt ob maximam, quæ inter ipsas intercedit, affinitatem.* Qua forte distinctionis ignoratione distringit Legales, & Mohtazlitas, qui Animam accidens esse docebant. Idem de illorum assertione dicendum est, qui Animam bubonem, ululam, aut id genus avem aliam dixere, cum non essentiam Animæ, sed solam extrinsecam formam seu figuram denotare voluerint, nam corpori superstitem illam faciunt, & incorruptibilem, quod non asseruissent, si eo nomine veram avem, aut aliquid corporeum, & compositum intellexissent.

Tandem duo hominum esse genera notandum est, qui Animam mortalitati

obnoxiam faciunt, ut observavit olim Gabriel Barklai Maronita popularis meus, vir pietate, sanctimonia, doctrina, & librorum, quos composuit, numero clarissimus, atque summus. Primum eorum est, qui nullum alium finem sibi hoc asserendo proponunt, quam ut ex tam absurda, absona, & vesana opinione de suæ Animæ immortalitate immortale sibi comparent nomen, & famam. Nec mirandum sane est, non desunt enim qui hoc laborant morbo, qui ejusmodi conflictantur deliriis, qui sponte insaniunt solum, ut saniores videantur; cæcutiunt, ut clarius aliis videre credantur. Audio doctorem illum impudentissimum, audentissimumque adhuc plura, & multo atrociora in sacrosanctum Ecclesiæ Catholicæ Textum meditati, nec sat habuisse tam horrendas in eum evomuisse hactenus blasphemias, & cum flava atram bilem totam evacuasse. Audio illum furiosorum gregi adscribendum Doctorem, ac ergastulo, & catenis coercendum, LXXII. versionem nunc tamquam fictitiam, commentum, & fabulam, & quæ numquam extitit in rerum natura, petulanter suis scriptis divulgare, & audacter in urbe litterarum regia audere. Audio miserum illum fanaticum, unum aut alterum nuperum Scriptorem pari vesania correptum totius venerandæ antiquitatis canitiei antepofuisse, ac sanctissimæ matris Ecclesiæ Catholicæ auctoritati, summorum Pontificum decretis, sacrorum Conciliorum Constitutionibus, sapientissimorum Doctorum testimoniis, Judæorum, Samaritarum, Mahometanorum, atque Ethnicorum consensui prætulisse. Hoc autem solum, ut ex tam improbo ac stultissimo facinore, quemadmodum Vanninus, & ejusmodi farinæ alii Animam facientes mortalem, nomen sibi apud posteros compararet. Hujus miseratione dignissimi Doctoris stultitiæ hoc unum evidentissimum argumentum est. Patres quos paulo ante laudat, eorumque utitur auctoritate ad suam Hebraicam asserendam perperam suo more veritatem, mox improbet, necesse est, ad suam hanc aliam insaniam adstruendam in LXXII. debacchans versionem. Verum bene speramus non defore, ut amicissime exoptamus, peritissimum aliquem medicum, qui veritatis & doctrinæ pharmaco tanto morbo occurret, & delirum doctorem ad saniorem restituet mentem; aut Anticyram illum navigare Archiatet jubebit, si tanta erit vis morbi, ut illo pharmaci genere expelli nequeat.

Alterum hominum genus, qui Animam mortalem faciunt, libertinorum est ac flagitiosorum, quorum non minus aliæ regiones, quam Arabiæ feraces sunt, quosque non minus nostra ætas, quam prisca protulerunt secula. Hoc hominum genus eo nomine tantummodo sibi persuadere conatur, Animam mortalem esse, & interitui obnoxiam, ut profusius nefandissimis quibusque criminibus & sceleribus sese immergat, & dedat obscœnissimis, & homine indignissimis voluptatibus.

Verum enimvero, ut concludamus, utrique Animam mortalem statuentes, eam immortalem esse fatentur. Nam quid prætendunt illi nominis & famæ immortalitate, quam Animos nostros ex innato appetitu esse immortales & æviternos? Aut quid etiam isti aliud, quam hoc idem, cum eorum nonnulli mortem subire maluerint, quam suam deserere opinionem, cum nullum flagitium non esset patrandum prius, quam moriendum, ut egregie notat S. Thomas in expositione Symboli Apostolorum, si Anima mortalis est? Miratur idem 3. Ethic. quomodo ponentes Animam esse mortalem possunt eligere mortem, ut Aristoteles docet & suadet. Plato quoque in Phœdone affirmat, mortem nequaquam esse æquo animo ferendam, nisi spe melioris vitæ.

DE METEMΨΥΧΩΣΙ, SIVE ANIMARUM TRANSMIGRATIONE.

CAPUT DECIMUM-SEXTUM.

ARABES, ut plures aliæ gentes, in hunc errorem de Animarum transmigratione prolapsi quoque sunt: at non una omnium fuit sententia concors. Hascemitæ, qui a nomine auctoris Hascem ita dicti sunt, perpetua, æternaque circulatione, seu revolutione Animas de uno in aliud corpus demigrare docebant, nec alias dare pœnas pro flagitiis asserebant, quam quas in diversis luebant sive humanis, sive brutorum corporibus. Pari ratione affirmabant, eas nullo alio donari præmio pro operibus virtutis, quam quo in iisdem fruebantur corporibus. Resurrectionem corporum inficiebantur isti deinceps, quia repugnat cum æterna illa circulatione Animarum; ex quo hæreticorum Mahometanorum catalogo adscriptus est, ac diris devotus Abdalla Candacita cum sequacibus, quod opinionem hanc in mortalium lucem revocaverit, ac totis viribus disseminare conatus sit.

Sub ipso tamen Mahometismo quatuor fuerunt de μετεμψυχώσει hac sententiæ, ut quæst. 9. refert Auctor Epistolæ *de Spiritu & Anima*, Sciahinsciah *de 73. Sectis Mahometanorum*, & alii. Prima opinio fuit illorum, qui Animam de humano in humanum corpus demigrare posse tantum affirmabant, quia hoc solum illi est proprium ac proportionatum: quamobrem hoc transmigrandi genus vocatur illis النسخ *Annascho*, quod proprie significat *translationem ad simile*. Alii admittebant quoque demigrationem ad corpora animalium, & modum hunc demigrandi appellant المسخ *Almascho*, id est, *metamorphosim*, *mutationem formæ in fœdiorem*. Quidam vero præter hos duos transmigrandi modos tertium concedebant, nempe transfusionem Animarum in plantas, nuncupaturque is modus الفسخ *Alphasco*, id est, *divortium*, quia Animæ divortium quodammodo facere videntur a natura animata ad aliam alterius generis. Nonnulli demum, Animas ad res omni vivendi genere carentes transmigrare etiam rebantur, quod genus nuncupant الرسخ *Arrascho*, id est, *subsidere*, *immotum esse*, *consistere*, quia Animæ in illis delegatæ consistunt, nec moventur.

Mashudius *in Pratis aureis cap. de persuasionibus Arabum seculi ignorantiæ* se integrum conscripsisse tractatum memorat tam adversus Arabes illius seculi, quam recentiores sub Mahometismo, qui ejusmodi transanimationem sibi persuasam habebant, pluresque recenset sectas, quæ non tam re, quam fundamentis & rationibus dissentiebant. Addit insuper se argumenta Judæorum, Christianorum, Græcorum, Indorum, Magorum, & Nubiensium, qui in hanc abierant sententiam, funditus evertisse. Utinam extaret nobis ad manus ejusmodi tractatus, ut ex illo videre possemus illarum gentium fundamenta, & Mashudii refutationis pondus & momentum, necnon quænam Christianorum natio hanc sit amplexa opinionem tam vesanam, quoniam ad me quod attinet, ut verum ingenue fatear, apud neminem Christianorum scriptorum utriusque orbis eam hactenus legi, vel ullius esse, aut fuisse audivi.

Auctor Epistolæ *de Spiritu & Anima quæst.* 9. hanc transmigrationem tribus ita oppugnat breviter argumentis. *Si Anima uno deposito corpore ad aliud transit, illique unitur, sine dubio gesta in priori corpore recordaretur, quoniam subjectum recordationis & scientiæ integrum remanet: atqui nihil illorum recordatur; ergo ejusmodi transmigratio falsa est. Secundo, corpus statim atque aptum redditur, suscipit Animam quæ illud informat, uniturque illi ut substantialis forma, & unum ex utrisque fit compositum: si au-*

tem alia Anima ad ejusmodi demigrat corpus, erunt duæ Animæ & formæ in eodem subjecto, quod est falsum & absurdum, quia unusquisque homo percipit se esse unum, non duos. Tertio, si transmigratio daretur, negaretur corporum cum Animabus resurrectio, quia plura corpora non possunt surgere cum una Anima; & si surgent, sequeretur unum corpus eodem tempore extare duobus in locis: atqui resurrectio corporum cum suis Animabus certissima est, nec in dubium revocanda; ergo transmigratio est falsa. Hæc ille.

Hujus autem transanimationis adstructorem extitisse Pythagoram utriusque orbis consentiunt scriptores, qui se prius Æthalidem Mercurii filium fuisse affirmavit, deinde Euphorbum factum esse, tum Hermotimum, postea Delium quemdam piscatorem nomine Pyrrhum, demum Pythagoram. Eo respiciunt hæc Nasonis 15. Metamorph.

Ipse ego, nam memini, Trojani tempore belli
Panthoides Euphorbus eram.

Hujus tamen insani commenti recentes quidam Judæi, quibus se addit Menasseh Benisrael lib. 2. de resurrect. mort. cap. 15. Prophetas faciunt auctores, cum restatissimum sit apud omnes id ad hodiernos aut hesternos Rabbinos ex Pythagoricis & Platonicis fontibus emanavisse. Hanc manifestam veritatem ingenue fatetur Leo Modena Rabbinus Venetus part. 4. cap. 10. Historiæ rituum Hebræorum. *Molti sono*, inquit, *degli Hebrei, che credono quell' opinion Pittagorica, che le Anime ritornino altre volte al Mondo, transmigrando da un corpo all' altro, il che chiamano* Ghilgul, *tirando a questo senso molti luoghi della scrittura.* Quæ ad verbum ita Latine sonant: *Multi sunt ex Hebræis, qui credunt opinionem illam Pythagoricam, quod Animæ scilicet sint reversuræ iterum in Mundum demigrando de uno in aliud corpus, quod vocant* Ghilgul (revolutionem) *ad hunc sensum detorquentes plura Scripturarum loca.* Rectissime sane dicit is Rabbinus: *detorquentes ad hunc sensum plura Scripturarum loca;* detorquent profecto, & extorquent hunc Jobi versum 29. cap. 30. *Ecce, omnia ista operabitur Deus vicibus tribus cum homine:* dum inde inferunt suam ternam transmigrationem. Nec certe id inde magis sequitur, quam contrarium ex hisce ejusdem capitis ver. 14. verbis: *Semel loquitur Deus, & secundo id ipsum non repetit.*

Advertat hic sedulo præterea Menasseh cum suis, ne isthæc asserens matrem ducat in uxorem, ut probe lib. 10. cap. 30. de Civitate Dei adversus hujus opinionis propugnatores, & patronos coarguit D. Augustinus. Caveat etiam, ne matrem equam, vel mulam, & patrem equum; vel asinum obequitet. Hæc sola ratio sat olim ponderis habuit, cur Porphyrius Platonis magistri, cui addictissimus alioquin erat, opinionem deseruisset, rei turpitudinis adductus gravitate. *Puduit scilicet*, inquit S. Augustinus loco mox citato, *Porphyrium illud credere, ne mater fortasse filium in mulam revoluta vectaret: & non puduit hoc credere, ne revoluta mater in puellam filio forsitan nuberet.* Sed quæ adhuc teterrima committerentur parricidia? quæ nefaria homicidia? quæ quotidianæ injuriæ in parentes, filios, fratres, consanguineos & proximos, dum animalia, in quorum corpora demigrant, Judæi isti mactant, interficiunt, opera inhumaniter utuntur & abutuntur, carnibus vescuntur? nam cum mox citato Nasone affirmant.

——— inque ferinas
Possumus ire domos, pecudumque in corpora condi,
Corpora, quæ possunt animas habuisse parentum,
Aut fratrum, aut aliquando junctorum fœdere nobis.

Apologus itaque cernenda potius est hæc opinio, & solis brutis digna, nedum homine ratione participe, aut sanctissimis Prophetis, ut Judæi transmigrantes nequiter blasphemant jam & impune. Nec sui Menasseh vanis jactitet verbis Zohar antiquitatem, ac Talmudis, cum constantissimum sit apud omnes, hanc fabularum farraginem multo post Pythagoræ, Platonis, & Christiani ævi Æram a posterioribus Rabbinis fabulatoribus esse confictam. Imo non desunt sapientissi-

mi

mi viri, qui affirmant, Pythagoram id non ex animi protulisse sententia, sed solum finxisse, ut homines a vitiis deterreret. Præterea vel ita sibi vere persuadens, vel simulans ab animalium omnium carnibus abstinebat, ut doctrinæ factis responderet. Quod profecto fecissent etiam & Prophetæ, præsertimque Prophetarum maximus Moyses, si ejusmodi Animarum in bruta transfusionem credidissent.

DE STATU ANIMARUM

POST DISCESSUM EX SUIS CORPORIBUS:

ET PRIMO DE ILLARUM BEATITUDINE.

CAPUT DECIMUM-SEPTIMUM.

ANIMAS rationis participes virtutum exercitatione ad beatitatem, & ultimum finem disponi, dignasque reddi, nemo fere vel insigniter barbarus non fatetur, quamquam gravissime sæpius circa media erret. Perfectionem autem ejusmodi sive dispositionem, conditionemque ad illam felicitatem tam consistere in actione positiva, quam in negatione Auctor Propositorum Arabum Philosophorum proposit. 24. hisce testatur verbis: *Et quidem perfectio hominis est, ut induat se laudabilibus moribus, & vituperabilibus moribus exuat.* Nomine autem laudabilium morum, seu habituum non solum intelligit illos, qui ex quatuor virtutum, quas Cardinales vulgo appellamus, contrahuntur exercitatione, de quibus paulo superius locutus erat, verum de virtutibus quibuscumque, & virtutum genere, qua pro quavis actione bona & recta sumitur. Quemadmodum etiam nec habitus vitiosus capiendus est pro solo excessu, & defectu quatuor illarum virtutum, quas solas ibi memorat, sed pro quolibet actu peccaminoso virtuti in genere opposito. Manifeste hoc patet, quoniam has quatuor virtutes statuit omnium virtutum fontem & scaturiginem. Colligitur præterea, hominis perfectionem, qua tendit ad eum statum, non consistere dumtaxat in acquirendis virtutum habitibus, sed etiam in declinatione ab oppositis, seu vitiosis. Quod sane consentaneum est Philosophiæ regulis, cum principium privationis præcedat in omni generatione, seu actu de novo producto principium positivum. Consonat hoc penitus huic Scripturæ præcepto: *Declinet autem a malo, & faciat bonum.* Quid porro tum consequitur, ita declarat ibidem idem Auctor: *Tunc enim insignitur Anima rationalis speciebus existentium.* Videlicet, Anima mediantibus habitibus virtutum insigniri dicitur imaginibus, & speciebus rerum, quod perinde est, ac laudabilibus habitibus decorari & exornari. Species autem ejusmodi, quibus insignitur Anima, nihil aliud sunt, quam præordinatio, & quædam tendentia præsentis vitæ felicitatis ad supremam beatitudinem, ad quam per visibilium speculationem ad invisibilium contemplationem assurgitur, & per hæc ad ea, quæ supra nos sunt, tamquam per scalam ascenditur. Dicit præterea, animam insigniri existentium speciebus, quia in animi operationibus collocat præsentis vitæ felicitatem, quæ est species quodammodo, & futuræ vitæ pignus, & rude quoddam delineamentum. Quo sane respicit Philosophi illud Ethic. 9. asserentis, *felicem esse, est bene vivere & bene operari.*

Hanc sententiam plures amplexi sunt Arabum Philosophi; hinc dicere solitum Mahometum Benhasanum Philosophum celeberrimi nominis, cum difficiliores quæstiones philosophicas dissolvebat, refert Auctor nostræ *Semita sapientiæ* cap. 8. *Ubinam sunt reges? ubinam principes, ubi regum filii*

ſuis voluptatibus innatantes ? longe procul abſunt ab iis voluptatibus, quibus nos Philoſophiæ beneficio fruimur. Imo noſtris illæ comparatæ ſtercus ſunt, fœtor, vapor, nihil.

Quam porro felicitatem ſit conſequutura ejuſmodi Anima iis ſpeciebus inſignita poſt diſceſſum a corpore, ſtatim idem laudatus propoſitorum Auctor hiſce ibidem indicat verbis: *His autem imbuta* (Anima) *perfectionibus cum diſceſſerit a corpore, experietur in ſemetipſa voluptatem maximam, & immenſam lætitiam.*

Objectum autem beatitudinis, & locum Animarum beatarum ante reſurrectionem corporum quod ſpectat, maximum eſt inter Arabum Auctores diſſidium. Illi, qui ſeculo vixerunt ignorantiæ, quædam amœniſſima aſſignabant Animabus loca, quales apud Latinos, Græcoſque ſunt campi Eliſii, quorum fruuntur deliciis. Ex Mahometanis nonnulli affirmant, beatorum Animas in buccina Iſraphaelis Archangeli includi uſque ad Judicii univerſalis diem. Alii ex Mahometi perhibent traditione, quem Ali ejus patruelis gravibus confirmavit verbis, beatorum animas ſervari in puteo Zamzam uſque ad reſurrectionis diem, quemadmodum damnatorum Animas in puteo Barhut provinciæ Arabiæ Hadhramuti, ex quo paſſim in ore habebat: *Optimus puteorum eſt puteus Zamzam, peſſimus vero omnium puteus Barhut.* Zamzam eſt fons ille Hagar indicatus ab Angelo eum Iſmaelem filium ſiti pene pereuntem deſeterat. De hoc puteo leguntur honorandæ parentis Hagar cauſa tot nugæ ab Hagarenis confictæ, & tam ſuperſtitioſe colitur, ut vix integro volumine quæ de illo dicuntur, comprehendi poſſint. Verum Pſeudopropheta iſte ut ſolis putidis mendaciis innixus, ac minime propterea ſibi conſtans, interrogatus alias de Animarum loco reſpondit: *Animæ fidelium ſunt in ventriculis avium viridium in Paradiſo, infidelium vero in ventriculis avium nigrarum in inferno.* Rurſus, uti referunt Auctor libri ſubtilitatum, & Auctor Epiſt. de Spiritu & Anima dixit: Animas eſſe in lampadibus quibuſdam ex Dei ſolio ſuſpenſis, & libere quocumque lubet ire, redireque ad ſuas lampades. In libro vero de ſui raptu, quem corpore & anima factum eſſe nugatur Abdalla Bocharenſis tom. 30. Commentatorum Alcorani, & alii, aſſeverat, ſibi occurriſſe in ſingulis ſeptem cælis infinitam Prophetarum, aliorumque ſanctorum virorum turbam, ex quo affirmare neceſſe eſt, Animas Beatorum ex ejus ſententia in cælis eſſe. Quidam volunt, Animarum quaſdam in hujus inferioris Mundi commorari ſpatiis, quaſdam ſub Dei quieſcere folio, quaſdam inter Paradiſi circumvolitare hortos, quaſdam randem eſſe ubi divinum jubet decretum, nullum certum habentes locum. Sunt vero qui perhibent, Beatorum Animas poſt ſeparationem e corporibus ſuis divina frui viſione, uti videre eſt apud Auctorem Epiſt. de Spiritu & Anima, quæſt. 9. Quam quidem ſententiam amplectitur etiam Auctor Propoſitorum, propoſito ſupra citato, dum dicit: *Efficieturque Anima illa rationalis* (in ſtatu ſeparationis) *tamquam Angelus ex Angelis propinquis*, nempe Deo. Angelos autem divina frui viſione non eſt inter Arabes qui negat. Quoniam vero non eſt par perfectionum gradus, ita nec beatitudinis, ſubdit: *Et ſane ſecundum multitudinem perfectionum, earumque paucitatem ſeſe ſuperant ordines Animarum rationalium in propinquitate, & longinquitate a veritate*, ſcilicet Deo. His intelligenda venit propinquitas, & longinquitas ratione perfectionis, & gloriæ, non autem diſtantiæ localis, quia quo quis perfectior eſt, eo propinquior intimiorque Deo cenſetur. De ejuſmodi gloriæ gradibus juxta diverſitatem meritorum exponit hanc reſponſionem Maadi filii Giahali ad interrogantes de ſtatu Animarum poſt diſceſſum e corporibus, Auctor libri ſubtilitatum: *Animæ Prophetarum commorantur in Paradiſo Eden, Animæ Martyrum in Paradiſo medio, Animæ puerorum fidelium in ventriculis avium Paradiſi, Animæ puerorum infidelium nulla certa ſede in Paradiſo vagantur.* Nomine autem Paradiſi cum intelligere cæleſtem patriam, non terreſtrem, aut aliquem amœnum locum ex his, quæ ſubdit, liquet: *Anima ejus qui ære obſtrictus eſt alieno, aut aliena rapuit, in aere ſuſpenditur, nec ad cæ-*

lum pervenire valet, donec solutum fuerit debitum, aut redditum ablatum. Hæc de separatarum Animarum beatitudine, innumeris brevitatis gratia nugis omissis. Jam de illa, quæ resurrectionem sequitur, aliquid delibandum est nobis. Hoc autem clarius ex Paradisi, seu alterius patriæ descriptione & enumeratione eorum, quæ in illo sunt...

Paradisos itaque constituunt septem, quorum primum vocant *Domum majestatis*, alterum *Domum salutis*, tertium *Hortum voluptatis*, quartum *Domum æternitatis*, quintum *Hortum beatitudinis*, sextum *Hortum paradisi*, septimum *Hortum Eden*, omnes ex pretiosissimis gemmis, & metallis constantes, ut ex supra dictis cap. 9. videre est. Totum vero hoc beatitatis domicilium in centum distinguunt gradus, ac inter singulos gradus tantum collocant intervalli, quantum citatissimo cursu quingentorum annorum spatio insignis emetiri potest equus. Portæ autem patent ingredientibus illum octo ex Banabbasi, & multorum aliorum sententia. Primus paradisus portas habet duas, reliqui unam. Omnes aureis sunt obductæ laminis, inter quas laminas tantum est intercapedinis, quantum cælum inter & terram. Hæc immensa Paradisorum moles ex aureis, argenteisque consurgit lateribus, quorum unum cælorum, terrarumque hæc universitas capere non potest. Pavimentum ex muscho stratum est, terra ex croco, palatia ex margaritis, cubicula ex carbunculis & pyropis, portæ ex gemmis variis conspiciuntur. Multi scaturiunt fluvii; primus dicitur *misericordiæ*, qui per omnes excurrit Paradisos; secundus *Alcauthar*, quem sibi adscivit Mahometus, & est in quo purgantur Animæ; tertius *Alcaphur*, seu Camphoræ; quartus *Taslim*; quintus *Salsbil*; sextus *Rahix*; aliique innumeri. Pseudopropheta in libro de suo raptu alia quatuor flumina se in Paradiso vidisse testatur; unum limpidissimæ aquæ, alterum dulcissimi lactis, tertium generosissimi vini, quartum defæcati mellis. Ejus nugas de horum fluminum origine & fontibus lubens prætereo, quia singulas hic referre prolixum satis, molestumque esset. Infinitis omnis generis arboribus consitos esse hos Paradisos asserit. Quas inter omnium maxima ac præcipua conspicitur arbor beatitudinis, cujus radices constant ex unico unione, truncus ex gemmis variis, folia ex smaragdo, ramis luxuriatur hæc arbor septuaginta millibus ex topazio, quorum beneficio umbræ tota fruitur beatorum illorum turba, & ab æstu & caloribus se tuetur. Folia agitata motu auræ talem edunt concentum, cujus mortalium nemo vel mente concipere potest suavitatem. Ali Bentalebus se audivisse refert a patruele Mahometo in Paradiso, esse arborem quamdam ex cujus trunco equi nascuntur alati, stragulis ornati pulcherrimis & margaritis, ac carbunculis redimiti, qui nulla egerunt excrementa. His insident soli primi ordinis Sancti, quos videntes Sancti inferiorum ordinum exclamabunt: *O Domine*, quibus servi hi tui tantos consequuti sunt honores? Isti, inquiet Deus, dum vos somno sopiti atque sepultis eratis, vigilantes præstitutas persolvebant preces; dum crapulæ vos eratis dediti, jejunio languebant isti; dum isti incumbebant toti operibus virtutis, vos voluptatibus operam dabatis; dum isti sua bona pauperibus elargiebantur, vos cumulandi nullum faciebatis finem. Singulis autem hujus Paradisi sanctis septuaginta attribuit Mahometus, & ejus sectæ patroni uxores tantæ pulchritudinis, ut si unus istarum capillus in orbem ceciderit nostrum, duplo plus quam sol illum illuminaverit. Si continget etiam, ut una istarum expuerit semel in Oceanum, illum dulcissimum reddiderit, ut sacchoro, ac melle opus amplius nobis non fuerit. Comedendi, bibendi, & coeundi tanta unusquisque in hoc Mahometano Paradiso præditus erit facultate, quanta centum valentissimi hujus nostri orbis viri; Mahometus vero in hoc mille virorum arrogat sibi vires. Hæc omnia, innumeraque alia hujus momenti & ponderis aut in ipso leguntur Alcorano, vel ex Mahometi habentur traditionibus, uti videre est apud Auctorem libri subtilitatum, Bochatensem, Thaalabum, Bidhaum, Sonnan, ac alios perplures, quorum numerus vix iniri potest.

Quæstio hic acerrima exagitatur inter Legales & Philosophos de horum omnium

genuino sensu. Legales quippe, ut qui nimis superstitiose Mahometi sese manciparunt nugis, omnia hæc materialiter, ac ut sonant ad litteram intelligenda esse, mordicus contendunt. Contra, Philosophi, & æquiores aliqui Alcorani commentatores rerum adducti absurditate nihil aliud esse affirmant hortos, arbores, fructus, flumina, aves, uxores, gemmas, & id genus alia, quam titillationes quasdam & illecebras ad rudes illos Arabes alliciendos, permulcendosque iis voluptatibus & deliciis animos, & suo indulgendo genio capiendos. Suam opinionem ex rerum quibusdam firmant nominibus, uti est arbor fidei, arbor beatitudinis, fluvius misericordiæ, quæ sermonem ibi translatum, non proprium esse indicant. Hinc acerrimum inter Legales & Philosophos bellum, hinc invectiones, hinc injuriarum plaustra. Averroes in prologo suæ responsionis ad librum Algazel inscriptum تهافة الفلاسفة *Tahaphato Alphalasaphati*, quem titulum antiquum vertit Interpres; *Destructio Philosophorum*, ego vero potius ex verborum analogia; *De stoliditate Philosophorum*, hanc inimicitiam his aperit verbis: *Dicimus quod hoc dicto homini accidit forte una dictarum causarum, aut ex aliquo morbo perturbatae fuit intellectu, aut forte suspectus erronicæ pravitatis inter Legales sui temporis præextiterat. Legales namque inimici reperiuntur Philosophorum: & ipse aliquo modo noluit ipsorum pati inimicitiam*. Algazel autem quæst. 15. mox citati libri quatuor profert causas præcipuas, cur Legales tantopere abhorrent a Philosophis. *Primo*, inquit, *quia asserunt Philosophi præsentem rerum Universi hujus faciem, seriemque inter causas, & effecta ex omnimoda pendere necessitate, non autem ex libera aut contingente aliquando. Secundo, quia docent, Animas humanas esse substantias per se subsistentes, non autem in corpore impressas; & mors nihil aliud est in eorum sententia, quam suspensio dependentiæ, cum Anima desistit corpus regere, & quod illa tam ante quam post suspensionem illam per se subsistat. Tertio, dicunt has Animas impossibile esse initio Mundi simul fuisse productas: tametsi addant, immortales & æternas esse, nec ullo modo interitui obnoxias, postquam semel extiterint. Quarto, Animarum ad hac suá corpora reditum inficiantur, adeoque corporum resurrectionem*. In perorationem vero totius operis duas alias addit assertiones, quarum ratione Philosophos hæreticorum catalogo adscribendos esse censet. Prima, quia Mundum faciunt æternum, quemadmodum & omnes substantias: altera, quia Deum particulares nescire affirmant.

Illi demum, qui Philosophiam cum Lege conciliare adnituntur, utrumque admittunt, nempe beatos in alia vita tam spiritualibus quam corporalibus fruituos esse deliciis & voluptatibus. Ita Algazel lib. citato quæst. 20. *De resurrectione ac editu Animarum ad sua corpora*.

DE DAMNATIS, EORUMQUE LOCO, ET SUPPLICIIS.

CAPUT DECIMUM-OCTAVUM.

QUATUOR hoc de argumento proponi, & exagitari solent præcipuæ quæstiones. Prima, utrum Animæ statim atque discedunt e suis corporibus, avolent ad Cælum, vel ad Tartara detrudantur, an vero aliquo detineantur in loco usque ad Judicii universalis diem. Altera, an Damnatorum pœnæ æternæ sint, vel ad præstitutum aliquod tempus. Tertia, utrum ignis gehennæ corporeus sit, vel spiritualis, aut metaphoricus. Quarta demum, an præter Damnatorum æternum locum, sit locus aliquis leviores expiandi culpas.

Ad primum quod attinet, ignorantiæ seculi Arabes quemadmodum Beatis locum assignabant amœnissimum, ut mox capite superiori notatum est, ita Da-

mnatis locum attribuebant squalidum, horridum, cæcum, & caligine opertum æterna, in quo improborum Animæ statim atque sua exuunt corpora, includuntur cruciandæ usque ad Judicii universalis diem.

Alteram partem hujus quæstionis quod spectat, sunt qui docent Animas detineri quodam in loco extra inferos omnis pœnæ sensus expertes usque ad Judicii diem. Hujus opinionis Abuhariram fuisse adstructorem sub Mahometismo, testatur Auctor libri subtilitatum in hæc verba: *Interroganti de loco Animarum post separationem ex corporibus, ita respondit Abuharira: Cum quis moritur, circuit ejus Anima circa ejus domum uno mense, videtque heredes qua ratione sua dividunt bona, ac alienum solvunt, exequuntur testamentum. Elapso autem mense ad suam reducitur foveam, suumque circumit sepulchrum per annum integrum, ut videat, quis pro se fundit preces, quisque contristatur. Anno exacto adducitur defuncti illius Anima ad illum locum, in quo servantur Animæ usque ad illum diem, quo buccina resurrectionis sonabit.* Maadus filius Giabalæ item interroganti de Damnatorum loco apud eumdem Auctorem respondit: *Animæ improborum Moslemanorum excruciantur in sepulchris una cum corporibus; Animæ vero infidelium in carcere inferorum igne torquentur.* Nonnulli, tam beatorum quam improborum Animas in sepulchris concludi usque ad resurrectionis diem autumant; sed illorum dilatantur sepulchra, & per fenestellam suum vident in cælesti paradiso locum, quemadmodum istorum coarctantur sepulchra, & per similem fenestellam suum in inferis conspiciunt locum. Hic nihil dico de Terrestri Paradiso, in quo servari Animas justorum usque ad Judicii diem Patrum aliqui asseruerunt.

Communis tamen ac receptissima sententia Arabum est, proborum Animas, quæ nullo scelere contaminatæ discedunt e corpore, ad cælestem evolare patriam felicitatibus fruituros, improborum vero ad Tartara deturbari cruciandos. Hanc manifestissimis docet verbis sententiam Auctor Propositorum propos. 24. ubi postquam asseruit, Animam insignitam perfectionibus experiri in semetipsa summam delectationem, immensamque lætitiam in statu separationis a corpore, & effici ut Angelum ex Angelis propinquis Deo, statim subdit: *At si imbuta fuerit Anima contrariis memoratarum perfectionum, sane torquebitur vehementissima pœna inferorum* Liquet hæc sententia ex variis suppliciis & pœnis, quas singulis peccatorum generibus apud inferos attribuunt Scriptores Arabes, liquebit adhuc ex mox dicendis.

De secundo, etsi plane constet apud Arabes, improbos ob admissa majora, ut loquuntur, crimina & flagitia igne inferorum torquendos esse, non conveniunt tamen, an finem ejusmodi supplicia sint habitura, nec ne. Horum namque quamplures, uti legitur apud Hazzadulam Bencamunam Tract. de tribus religionibus, nempe Moysis, Christi, & Mahomeri cap. 4. affirmant, improbos nequaquam æternam subituros in inferis esse damnationem, sed aliquando inde egressuros, vel postquam dignas pro suis criminibus persolverunt pœnas, vel intercessione Mahometi, ac divina indulgentia. Alii autumant, neminem ex Mahometi asseclis supplicia luiturum fore, quantiscunque sceleribus & flagitiis sit obstrictus, & contaminatus, sed omnes recta paradisum petent Mahomero pro omnibus intercedente. Non desunt tamen, qui flagitiosis damnationem statuunt æternam, nullumque intercessionis aut indulgentiæ locum. Mahometus Algazel lib. cit. quæst. 20. hanc communiorem esse Moslemanorum doctrinam scribit adversus Philosophos, ut inferius ex ejus verbis de triplici Animarum statu post separationem patebit. Quæ opinio videtur esse Alcorani cap. 2. & alibi asserentis: *In æternum permanebunt* (peccatores) *in ea* (gehenna) *nec diminuetur eis pœna*. Qua de re vide plura apud peritissimum linguarum, præsertim Arabicæ, & eruditissimum atque amicissimum R. P. Philippum Guadagnolum Tract. 2. cap. 9. suæ doctissimæ Apologiæ pro Christiana Religione. Verum enimvero ut nulli solido innixus fabularum fabricator fundamento oppositum omnino docet in li-

bro Sonna, ſive Legis, ubi confidenri fronte ſectatoribus liberationem ab inferorum pœnis ſua interceſſione pollicetur. Hoc etiam ejuſdem nugarum machinatoris audentiſſimum jactatur apud Abdallam Bochatenſem tom. 30. Commentatiorum Alcorani, effatum: *Utique*, inquit impoſtor, *convenient omnes homines die Judicii ad primum hominem Adamum dicentes: Intercede pro nobis deprecemur, pater noſter; qui ſua commemorans peccata reſpondebit: Ego ſane non ſum dignus, nec tantus, quare adite juſtum Noachum. Adibuntque Noachum, qui ſua commemorans peccata, eos remittit ad Abrahamum Dei dilectum. Abraham autem ſua commemorans peccata Moyſem colloquutorem Dei adire illos jubebit. Moyſes vero ſua item commemorans peccata, eos Chriſtum Spiritum Dei, & ejus Verbum adire adhortatur. Chriſtus demum Mahometum Dei amiciſſimum adeundum præcipiet. Tunc venient ad me*, inquit Mahometus, *& enixe rogabunt, ut pro illis intercederem, ſtatimque ingrediar ad Dominum meum, & pronus adorabo, qui ad me: Surge, Mahomete, extolle caput; dic, exaudieris; pete, habebis. Et ego ad illum: Gens mea, gens mea. Tunc dicet mihi: Vade, & educ ex illis omnes eos, in quorum corde tantum comperies fidei, quantum granum pendet hordei. Quibus eductis revertar, iterumque Dominum adorans deprecabor pro gente mea; qui ad me: Surge, Mahomete, caput extolle; dic, exaudieris; pete, habebis: & ego ad illum: Gens mea, gens mea. Et ille rurſus ad me: Vade, & educ ex illis omnes eos in quorum corde tantum comperies fidei quantum pendet granum ſynapis. Quibus a me præſtitis, reverſus deprecabor pro reliquis: & ille ad me: Vade, & educ ex illis omnes, in quorum corde comperies minus, minus, minus, quam granum ſynapis, ex igne, ex igne, ex igne. Tunc egrediens immenſa perfuſus lætitia omnes educam, & ad Paradiſum perducam.* Quæ ſcelerum Architcctus tam hiperbolice mentiendo effutivit, infinities, ac citra omnem humanum captum plures amplificavere Legales, ut riſum moverint non ſolum aliis gentibus, ſed ipſis etiam Mahometanis Philoſophis, unde tot orta ſunt bella.

Porro quid ſentiunt de aliarum gentium, quæ Mahometi inſaniam non ſunt ſecutæ, ſalute aut damnatione, inter illos haud convenit. Nonnulli quippe apud citatum Hazzadaulam exiſtimant eos ad quos Pſeudoprophetæ miſſionis notitia & cognitio aut penitus non pervenit, aut levi ſolum, & obſcura penetravit fama, quæ prudentem non moveat, æternum haud damnatum iri, niſi aliquid æterna damnatione dignum egerint, aut crediderint. At ſi notitia illa talis extitit, quæ prudentem moveat, nihilominus pertinaci obſtiterunt animo, eamque aſpernati ſunt, æterno damnantur igni. Verum ſi eam minime aſpernati ſunt, ſed omni adhibita cura, & ſtudio veritatem illius miſſionis perquiſiverunt, nec ipſam potuerunt aſſequi, non damnantur æternum ſecundum aliquos, niſi aliunde id meruerint: ſecundum alios vero ſempiternis deſtinantur ſuppliciis. Gentium Seductor cap. mox citato Alcorani non ſolum ſuis, ſed etiam Judæis, Chriſtianis, ipſiſque paganis ſalutem pollicetur, ut ad damnationem pelliceret: *Certe*, inquit, *his qui crediderunt* (Mahometani) *& Judæis & Chriſtianis, & Paganis retributio erit ſua, & merces apud Dominum ſuum, nec timendum eſt illis, nec contriſtandum.* Alibi etiam aſſerit, Moyſen pro Judæis, Chriſtum pro Chriſtianis interceſſuros eſſe, & ab æterna liberaturos damnatione & pœna, etſi aliis in locis ut impoſtor & mendax ſibi contradicat contrarium affirmans.

Inferorum ignem, quod tertio loco propoſitum eſt, corporeum ac materialem eſſe aſſerit Abdalla Alcaſſai libro de creatione Mundi, cap. de Gehenna, & alii quamplures apud illum. Algazel quæſt. 20. acriter invehit in Philoſophos, quod metaphoricum illum faciant, nec aliud eſſe velint, quam attritionis & compunctionis. Auctor Propoſitorum propoſit. 24. utrumque agnoſcit: *At ſi imbuta fuerit Anima contrariis memoratarum perfectionum, ſane torquebitur vehementiſſima pœna inferorum, ureturque igne compunctionis & attritionis.* Fertur in libro ſubtilitatum cap. de igne, Gabrielem Archangelum Mahometo interroganti, ita inferorum ignem deſcripſiſſe. *Cum altiſſimus Deus gehennæ creavit ignem, accendit illum annos mille,*

donee rubuie ; tum alios mille, donee albuit ; demum alios mille, donec nigruit ut nox tenebrosissima. Intertogatus item filius Mashudi, uti Hamsus, & Zaidus filius Vahabi apud eumdem testantur Auctorem, de hoc eodem inferorum igne respondit: *Hie vester ignis est pars una ex septuaginta partibus inferorum ignis, & nisi bis in mare immersus lotusque fuisset, nullum ex illo cepissetis commodum, quinimmo maximum detrimentum*. Narrant Mahometana sacra, quæ vocant, monumenta, seu multo verius prophana, & nugaeissima eommenta, uti in libro subtilitatum legere est, Gabrielem Archangelum a Deo quondam missum fuisse ad Malechum inferorum præsidem, qualem faciunt Græci & Latini Plutonem, ut ignem primo parenti Adamo inde afferret ad suos eoquendos cibos. *Qui Malechus* (verba sunt libri subtilitatum) *Gabriels ait: Qantum ignis vis tibi dem. Cui Gabriel: Mensuram minæ. Tunc subridens Malechus dixit: Si hanc tibi dedero mensuram, utique illius calore liquefient cæli septem, septemque terræ. Igitur ad Dominum reversus Gabriel ait: Deus meus, quantum accipiam ignis? Cui Deus: Quantum pendet minutissima atomus, sed lavito illum in septuaginta fluminibus septuaginea vicibus, antequam ad Mundum illum afferas. Quo facto, attulit ignem illum ad primum parentem Adamum, posuitque super altissimi montis eacumine, qui statim liquefactus totus est, & ad pristinum reversus ignis locum, remansitque illius fumus tantum in ferro, & lapidibus usque nunc, ex quo fumo est noster hic ignis*. Commode sane ex silice & ferro, quibus excutimus ignem, compacta est fabula, & exaggerata in rebus commentitiis veritas.

Tandem esse locum aliquem, in quo purgantur, expianturque imperfectiores, ut loquuntur, Animæ, sive quæ leviorum scelerum nota maculatæ ex hac vita discedunt, antequam Deo sistantur, ejusque fruantur visione, vel Paradisi voluptatibus & deliciis, constantissima, testatissimaque est omnium Arabum sententia. Ita Jacob Baseia in Thesauros Juris cap. de lotione ante preces, & cap. de cura mortuorum, eui omnes adstipulantur Juris Canonici Mahometani Tractatores. Omnes quippe docent externam corporis legalem lotionem signare internam, quæ est Animæ, indeque inferunt: Si templum adire, & preces persolvere illoto corpore, & sordibus contaminato nefas est, quemadmodum & defunctum humare sine lavacro, quanto magis nefas erit, Animam sisti Deo immundam, quamvis levissime. Quam autem purgationem peragi igne, preces, quas pro defunctis fundunt, clare ac luculenter demonsttant. Unam aut alteram hic exhibere ex libro subtilitatum lubuit, *O Deus requiescere fac Animas eorum, & illumina sepulcra eorum, & ablue eos aqua, & nive, & refrigera calores eorum, & munda illos a peccatis sicuti mundatur vestis alba a sordibus*. Item: *Commuta, Domine, domicilium ejus in melius domicilium, & in familiam meliorem adscribe illum, & introduc illum in Paradisum, & serva illum a tentationibus sepulcri, & cruciatu ignis per misericordiam, & gratiam, & liberalitatem tuam, o misericordiosissime misericordum*.

Mahometus Algazel quæst. 20. triplicem agnoscit Animarum post separationem statum, quam esse omnium Mahometanorum sententiam ibidem testarur. Verba ipsissima sunt: *Utique felicitas æterna est Animabus perfectioribus sempiternis, & supplicium sempiternum est Animabus imperfectioribus contaminatis ; finitum vero Animabus imperfectis contaminatis, quæ nequaquam consequuntur felicitatem absolutam, nisi perfectione, justificatione, seu suffragiis, & purgatione*.

Hanc veritatem omnes agnoscunt Orientales Christiani, quidquid sit de ipso nomine, in quo hærent nostri temporis nugatores. Ad quod probandum unum aut alterum afferendum duximus testimonium ad silentium imponendum illis, qui impudentissime, & perfricta fronte blaterant in suorum angulis & prophanis Synagogis, Orientales inficiari Purgatorium, ne deinceps mussitare audeant. Constitutio Ecclesiæ Syrorum cap. 39. de defunctis, quod refertur in codicibus Melchitarum, Maronitarum, Jacobitarum & Nestorianorum est. *Facito tertia die commemorationem pro iis qui obdormierunt, in Psalmis & precibus, quia Christus mortuus est, & resurrexit tertia die. Fiat quoque pro illis commemoratio nona die in memoriam*

vivorum & mortuorum. Facito item pro illis trigeſimum diem juxta antiquæ legis ritum, quoniam filii Iſrael luxerunt ſuper Moyſe triginta diebus. Item fiat pro illis anniverſarium, erogeturque de bonis illorum eleemoſyna pauperibus. Et ſane pro certo credimus, id fieri pro illis tantum, qui continentia, fide, & juſtitia ſunt præditi; quoniam pro patratoribus magnorum criminum, & infidelibus ſi quicquid in hoc mundo bonorum in eleemoſynam erogatum fuerit, nihil penitus illis proderit. Joannes Epiſcopus Darenſis ſcriptor Syrus antiquiſſimus lib. 4. de reſurrect. mortuorum cap. 24. *Sunt quidam*, inquit, *qui in hoc Mundo purgantur ex peccatorum ſordibus: alii vero nonniſi poſt hanc vitam per ignem ex cicatricibus peccati curantur.* Quid clarius? quid luculentius? quid de nomine digladiamur, cum de re tam certo conſtet?

Judæorum autem quænam ſit de hoc loco expiandi Animarum ſententia, aperit Leo Modena Rabbinus Venetus in Hiſtoria de ritibus Hebræorum part. 4. cap 9. hiſce verbis: *Tengono che vi ſia il Paradiſo per l'Anime de buoni, qual chiamano* Gan Heden, *che beatificati ivi ſtiano fruendo la gloria ſolo con la viſion divina; ſimilmente l'inferno, che chiamano* Gheinam, *per gl'empii: dove l'anime loro ſiano tormentate con fuoco, & altre pene, ma qui alcuni ſiano dannati in perpetuo a penar in quella maniera, ne mai ſiano per uſcirne, altri vi ſtiano ſolamente per certo tempo prefiſſo, o queſto dicono eſſer* Purgatorio, *non diſtinguendoſi per luogo, ma per tempo.* Quæ Latine ita ſonant: *Tenent Paradiſum eſſe pro Animabus proborum, quem vocant* Gan Heden, quæ beatitudinem adeptæ, gloria ibi fruentur ſola viſione divina: ſimiliter Inferos, *quos appellant* Gheinam, *pro impiis, ubi eorum Animæ cruciantur igne aliiſque pœnis: ſed hic quidam ſunt damnati in æternum ad luendas eo modo pœnas, nec umquam egrediendi ſpes affulget: alii ibi manebunt ſolum ad præſtitutum quoddam tempus, quod vocant* Purgatorium, *non diſtinguentes illud loco, ſed tempore.*

Nihilominus Menaſſeh Beniſrael de creatione Mundi, probl. 21. cum Hollandicis ululans lupis perſcripſit: *Denique non eſt neceſſarium, ut ponamus Purgatorium: nam ponimus varios gradus eſſe in Inferno pro ratione multorum, aut paucorum peccatorum, quæ quis commiſit.* At ſi varios Κόλαξ, atque הגופא ponis gradus in Inferno, cur varios ordines, quos ponit Ricardus de Media Villa cum Theologis aliis, meram fabulam in tui capitis limine appellas, cum idem ſit ponere gradus varios, & varios ordines? Certe auribus hæc das Calviniſticis, & dum ad voluntatem loqueris tuorum amicorum, eoſdem illudis, & judaice eludis, ac negans cum illis, nobiſcum ais: Quid enim ad nos de nomine, dum conſtat de re? Non habent aliæ nationes, & linguæ nomen, quod ineffabili Dei nomini יהוה, ejuſque ſignificationibus æquipollere poſſit; ergo non conveniunt de re ſignificata? impium effatum! Purgatorium nobis nihil aliud ſane eſt, quam ordo, ſive gradus eorum, qui non æternum ſunt damnati ad pœnas, ſed ad præſtitutum aliquod tempus cruciantur, luuntque pro criminum gravitate ſupplicia. Hæc ipſe malitioſe taces, Menaſſeh, nec aperis, aut declaras gradus eorum, qui ad tempus luunt pœnas, quod eſt totius quæſtionis hujus momentum & pondus; ſed hoc ſatis evidenter ex ſuorum graduum diſtinctione evincitur. Adhuc prætetea longiſſime a vero aberras affirmans graduum illorum varietatem peccatorum facere numerum, cum conſtantiſſimum & compertiſſimum ſit apud omnes, circumſtantias & qualitates criminum ſuos quoque conſtituere gradus, ac multo plures. Graviſſimum habetur adulterium a quocumque commiſſum; ſed multo gravius ſi a Sacerdote, vel Sacerdotum ſummo admittatur. Maximum ſcelus eſt quempiam alicubi occidere, at multo majus ſi in templo. Nec paris gravitatis cenſendum eſt furtum a paupere patratum ad explendam famem, qua premitur, cum eodem quod patrat dives. Blaſphemia in Deum infinitæ eſt gravitatis, quam in hominem quempiam. Sæpiſſime etiam gravius eſt peccatum cogitationis, & cordis, quam facti, uti eſt hoc inſipientis: *Dixit inſipiens in corde ſuo, non eſt Deus.* Quæ omnia ſatis apud veteres varia declarabant ſacrificia. Igitur non ſolus numerus, ſed circumſtantiæ etiam varios illos conſtituunt gradus, contra quam aſſeris.

Splen-

Splendide profecto mentiris, & perfricta fronte pronuncias Menasseh, cum subjungis: *Quid quod in sacris litteris nullum vestigium eorum locorum reperire est?* & Rabbinis tuis maxime injurius es, qui locum hunc Zachariæ cap. 13. vers. 9. *Et inducam tertiam partem per ignem*, & hunc alium 1. Samuel. cap. 2. vers. 6. *Dominus mortificat, & vivificat, deducit ad inferos, & reducit.* De hujusmodi ordine intermedio interpretantur in Tract. *Ros a Sana*. Sed locum integrum ex tua interpretatione lib. 2. de resurrect. mort. cap. 20. huc transferre juvat, ut armis te confodiamus tuis. Ipsissima sunt verba: *Academia Samay, inquit, quod tres hominum classes, atque ordines judicandi sistentur: unus impiorum, ac pessimorum, alter optimorum, tertius mediorum. Illi, qui perfectissime justi sunt, sine mora fruentur vita futuri seculi; Illi, qui plane mali, atque improbi fuerint, confestim in infernum detrudentur, juxta illud*: Multi ex dormientibus in terræ pulvere expergiscentur, hi ad vitam æternam, illi ad pudorem, & opprobrium æternum. *Intermedii descendent, & precabuntur, & hinc adscendent juxta illud:* Et inducam tertiam partem per ignem. *Et de his loquitur Hana:* Dominus occidit, & vitæ restituit, facit descendere ad sepulchrum, & facit adscendere. *Cæterum Academia Hillelis ait, Deus est gratiosus, & propensus ad misericordiam, uti loquitur David, cum ait:* Dilexi, quoniam exaudiet Dominus vocem deprecationum, &c. *usque ad* attenuatus sum, & me servabit.

Quid adhuc de tua audacia tui dicent, Menasseh, recutiti, qui Gentiles scriptores, & Poetas eorum sapientibus præfers scribens: *Et Gentiles, qui locuti sunt de præmio, & pœna Animarum, non plura posuere loca, quam Infernum, & Paradisum, quorum hunc vocarunt Elysios campos, illum Tartarum.* Et postquam pro hac tua sententia adduxeris Platonem, Virgilium, Ovidium, ac Tibullum, addis: *Denique alii quoque multi ex gentilibus, quos omnes referre nimis longum videatur, tantum meminere istorum duorum locorum, & fieri potest, ut illud acceperint a Prophetis.* Rabbini tamen tria agnoscunt loca ex Prophetis, ut ex mox relato testimonio evidentissime patet, ergo egregie mentiris Menasseh, ac utrisque impudentissime imponis, solum ut cum illis, apud quos degis, & scribis, catholicum rejicias Purgatorium, nulla Scripturarum & Rabbinorum habita ratione. Ipsorum te expiscari gratiam, tibique conciliare conari, manifestissime habemus ex cap. 5. lib. 3. de resurrect. mortuorum, ubi exponens verba illa Zachar. 13. 7. *Et super virum socium meum*, de Imperatore Turcarum, ita tum tuos subjungis latratus: *vel potius de Papa Romano capiendum est, qui se pastorem, & proximum a Deo appellat, & Dei vicarius in terris audire vult.* Respondeat nunc Abisai Semei huic improbo: *Quare maledicit canis hic mortuus domino meo regi?* Latrat quidem canis, & oblatrat.

——— sed frustra agitur vox irrita ventis,
Et peragit cursus surda Diana suos.

DE RESURRECTIONE MORTUORUM.

CAPUT DECIMUM-NONUM.

HOC de resurrectione mortuorum dogma semper ab utriusque seculi gente impense creditum est, si ea, quæ de Dahritarum secta supra notavimus, modo recolas. De prioris ævi tamen Arabibus id unum hoc de argumento scriptum legimus apud Gregorium Barhebræum lib. 9. sui Chronici, Mashudium, & alios, quod scilicet suos equos, aut camelos ad sua mactare sepulchra mandabant morientes, quia arbitrabantur, eos, qui hoc præstitissent, resur-

recturos fore equites, qui vero non, pedites. Fabula non sine fœnore ad posteros devenit, ut infra videbitur. Nec sane mirandum est, seculi ignorantiæ Arabes gentilitatis tenebris obrutos id credidisse, cum & aliis gentibus hujus quoque affulsisse luminis aliquid certo constet, uti legere est apud Platonem in Phœd. Senecam Epist. 36. & Herc. fur. Virgilium Ecl. 4. & lib. 6. Æneid. ac alios.

Qui autem post Mahometi vixerunt tempora de re omnino concordant, non item de modo, & circumstantiis Resurrectionis. Quod ut bene intelligatur, sciendum est, Arabes scriptores resurrectionem vulgatissimo vocabulo المعاد *Almaad*, denotare, id est, *reversio*, *regressus*, *reductio*, *restitutio*. Denominationis rationem ita reddit Algazel quæst. 20. libri destructionis Philosophorum: *Resurrectio dicitur* Almaad, *quia Deus altissimus reducit, atque restituit corpus a privatione ad esse, & a morte ad vitam*. Qui hanc resurrectionis denominationis rationem recipiunt, trifariam dividuntur. Primi volunt, illud idem corpus resurrecturum fore, quod primum Animæ unitum est, & unum cum illa constituit compositum. Suam hanc assertionem, ut alii ejusdem propugnatores, & patroni tam Christiani, quam Judæi, ex divina stabiliunt justitia, quoniam corpus, quod bonorum aut malorum operum particeps fuit Animæ, justum ac par est, ut una cum illa vel bonis fruatur, & communi præmio, vel pœnas luat. Eamdem confirmant, & urgent ex vocabuli analogia, quia non recte diceretur, aliquid reduci, & restitui ad pristinum esse, nisi omnino idem sit, saltem quoad partes essentialiter componentes.

Secundi arbitrantur corpus componi iterum ex eadem materia & materiæ partibus, ex quibus compositum antea erat, verum non eadem animari vita, aut informari, sed alia de novo a Deo producta, atque id satis esse existimant, ut aliquid reduci, & restitui ad pristinum esse dicatur. Isti haud plane declarant, quid nomine vitæ de novo productæ a Deo intelligant, an scilicet ipsam Animam, ut aliquando intelligendum venit per metonymiam, an vero novam ipsius Animæ conjunctionem cum corpore. Ad me quod attinet, puto eos intelligere Animam ipsam, quam cum vita confundunt, & accidens appellant, ut supra observavimus, si tamen isti sint iidem cum illis. Auget conjecturam resurrectionis illius descriptionis expositio, cum dicant ad illam salvandam satis esse, ut eadem materia corporea iterum reducatur, restituaturque ad pristinam humanam formam & figuram. Quamobrem immortalis, quam diximus, hos Animæ attribuere, ut alibi asserere videntur, vel capienda est pro ea, quæ resurrectionem sequitur, vel de immortalitate indeterminate. Nisi tamen dicere velimus, illos nomine materiæ corporeæ intelligere Animam & corpus, cum non defuerint inter Arabes, qui Animam corpoream statuerint, ut ex hactenus dictis constat, ac nomine vitæ de novo productæ ipsam novam utriusque conjunctionem, & Animæ effectum, qui est vitam tribuere.

Posteriores mox relatæ sententiæ auctoribus recta opponi videntur, quia ut homo ad pristinum statum reduci dicatur & restitui, sufficere autumant, ut Anima rursus corpori uniatur alicui, vel idem illud sit, quod prius, vel aliud; quia sola Animæ ratione homo constituitur, ajunt, non autem corporis.

Qui autem vocabuli *Almaad* descriptionem non admittunt, corpus nequaquam resurrecturum esse, sed ad priora redactum iri elementa, similaresque partes decernunt, atque adeo resurrectio nihil aliud illis est, quam perfectarum Animarum Absolutissima, & finalis beatitudo, quemadmodum imperfectarum ad commeritas pœnas plena, & confirmata Judicio universali damnatio. Horum ejusmodi est argumentum, & præcipuæ rationis summa. Qui fieri potest, inquiunt, ut illud idem resurgat corpus, quod in alia & alia corpora conversum est, & per varias mutationes in animalia, plantas, metalla, lapides, & id genus resolutum? Quid præterea dicendum est de iis corporibus, quæ in hominum cedunt alimenta,

& substantias, itaut multiplici rransmigtatione, ut loquitur Algazel, unum idemque corpus pluribus animabus successive informatum fuisse credibile sit, per ejusmodi conversiones? Hæc difficultas tanti ponderis fuit, ut lepidissimæ præbuerit Rabbinis quibusdam comminiscendæ fabulæ occasionem & locum. Confixerunt enim in spina dorsi ossiculum esse quoddam לוז *Luz* vocatum, quod numquam pereat, ex quo hominem tamquam ex massa fermenti instaurarum, restirutumque iri in furura resurtectione. Ipsorum verba sunt in Tract. Berescir : *Adrianus (cujus ossa comminuuntur) quæsivit ex R. Jeosuah filio Hanina, unde Deus benedictus germinare faciet hominem in futuro seculo? respondit ille ex* לוז Luz, *seu ossieulo spinæ. Rursus alter, unde nosti hoc? Da mihi illud, inquit ille, ossiculum, & te docebo: eontudit illud in mola, sed non tuum est; eonjecit in ignem, & non flagravit; conjecit in aquam, & non attritum est; imposuit incudi, malleoque eacidit, sed ne hilum comminutum est.* Ejusdem ossiculi mentio fit in libro Zoar, in Toldot Noah, & in Toldot Ishac sic : *Omnibus defunctis, qui invenientur procul in peregrina terra, creabit Deus benedictus corpus suum quale convenit: nam unicum ossiculum hominis manet sub terra, quo eorpus istud formabitur, tamquam ex massa fermenti.* Er R. Hya : *Seiendum est*, inquit, *resurrecturum idem eorpus, quod fuit, quia sic scriptum legitur*, Vivent mortui tui ; *non autem legitur, quod Deus ea creabit: quippe illæ solum creaturæ, quæ sunt, vivent. Est enim ossieulum, quod sub terra manet ineorruptibile; neque senescit umquam, aut in pulverem abit. Isto tempore Deus benedictus emolliet illud, & turgidum reddet sicuti massam fermenti, & allevabit, atque extendet in quatuor partes, atque hinc corpus, ejusque membra fient; tum Deus benedictus infundet illi animam. Ita est, inquit R. Elhazar. Ae ossiculum istud quo pacto emollietur? rore; sie scriptum est; quia ros olerum ros tuus.* Adstipulatur hic R. Eliezet in Pirque cap. 34. Quoniam autem hoc commentum experientia, & de facto facillime deprehendi potest, Menasseh, qui horum subscribit opinioni, lib. 2. de resurrect. cap. 15. hoc aliud addit : *Istud enim ossiculum tale est, ut nequeat interire, quamvis hodie nullus sie, qui illud noverit.* Putidum effatum! Imo nunc magis noscendum esser, cum numquam cotporis humani, ejusque minutissimarum partium tam nota, ac cognita fuerir, ac hisce nostris temporibus Anatomes. Fieri ne eriam poruit, ut antiquorum Romanorum, qui morruorum cadavera igne absumebant, cineresque ranto curabant studio, nullus istud animadvertit? Hanc nugacitatem duplici sactarum Scripturatum formant Rabbini patroni auctorirare. Prima est Psalmographi regis 34. 21. *Custodiens ossa ejus unum ex iis non consumptum est.* Altera Ezechielis 37. 6. *Et fuit tempestas, & accesserunt ossa, os ad os suum.* Ar profecto hinc manifestum evadir, hos ad summam impudentiam inepros esse, cum nulla sint fete in tota sactatum Litterarum supellectili testimonia adeo luculenra, quæ hoc commentum æque a fundamentis evertant. Psalmogtaphus namque aperte loquirur de omnibus ossibus, & non de uno illo, quod isti confingunt: & quasi verbis iis dixisser, ossa defunctorum, quæ nos consumpta esse credimus, Deo inregra manenr, ac minime consumpta. Ezechielis verba adhuc luculentiora sunt, itaut commentariis illa declatare velle, majoris esset ineptitudinis imptobus labor. Quid est enim os ad os suum accedere, quam ossa dispersa, & disjuncta Dei nuru aggregari, uniri, & conjungi? Er hoc est ne idem illis, ac ossiculum emolliri, turgidum teddi sicuti massam fermenti, allevari, atque extendi in quaruor partes, arque hinc corpus, ejusque membta fieri? Mentitur etiam splendide Menasseh, dum dicit, ossiculum illud jam ignotum esse, cum notissimum sit non solum apud Syrorum Arabumque medicos, sed etiam ignobile vulgus. Est quippe ossiculum quoddam in spina dotsi amygdali referens formam & figuram, unde nomen לוז *Luz* a similitudine accepit, & ab aliis ossibus nec duritie differt, nec incorruptibilitate. Atque adeo alienæ linguæ vocabulnm Rabbinicum novum arguit commentum. Nec parum hoc divinæ derogat omnipotentiæ, quasi vero

sine illo incorruptibili ossiculo mortuorum corpora ad pristinum statum restituere non posset. Sed ad Arabes, dum interea in suo dorso suum quærant Judæi ossiculum.

Aliud Arabes, qui corporum inficiantur resurrectionem, & solam Animarum admittunt, adstruunt contra ejusmodi argumentum. Materia corporum est finita, Animæ vero infinitæ sunt: sed infiniti ad infinitum nulla est proportio; ergo corporum resurrectio, & nova illorum cum Animabus conjunctio penitus fieri nequit. Hujus syllogismi major propositio Mundum ab æterno creatum fuisse supponit, quod cum falsum sit, ut falsissima ab aliarum opinionum propugnatoribus negatur, ac iisdem exploditur rationibus, & argumentis, ut quæst. 20. notat Algazel, ac Mundi æternitas.

Communis itaque sententia est, ac omnium receptissima Arabibus, eadem corpora esse resurrectura, non autem alia de novo producta, aut ex parte aliqua, vel ossiculo concreta. Argumenta ab hujus assertionis impugnatoribus allata facile refellunt; cum quia non naturali aliqua potentia id fieri asseratur, sed divina, quæ omnia ex nihilo produxit, quod multo majorem arguit potentiam; cum quia divina Propherarum oracula passim hoc nobis testantur. Unde propositorum Auctor. propos. 24. adversus illos: *At veraciores Philosophi aque statuerunt regressum spiritualium, & corporalium juxta ea, quæ memoraverunt Prophetæ, & tradiderunt asserentes, hoc necessario credendum esse.* Joannes Darensis Syrus toto primo libro de resurrectione corporum illa impugnat, solvitque argumenta, & multis, ac quidem doctissimis, eruditissimisque rationibus evertit; sed cum ad Arabum non pertineant supellectilem, eas Christianis reservamus Archivis.

Modum tandem resurrectionis quod spectat, duæ sunt Arabum opiniones. Prima, quæ refertur ab Algazelo quæst. 20. Auctore libri subtiliratum cap. de resurrectione & aliis, asserit ex auctoritate sacræ, si Deo placet, Mahometanæ historiæ, Deum quadraginta dierum spatio super terram immissurum pluviæ guttas humano spermati persimiles, ex quibus humana germinabunt corpora, non secus ac herba & olera terræ. Fabula accepta forte partim est a Rabbinis, qui verba hæc Psalmi, *Et florebunt de civitate sicuti herba terræ*; & hæc Isaiæ cap. 26. *Quia ros olerum ros tuus*, de resurrectione interpretantur. Altera, quæ communis ac receptissima est, asseverat, quod sonante primo buccina Israphaele Archangelo omnium surget primus Mahometus, qui excusso ex capite & barba pulvere, Gabrieli, qui ipsi aderit, dicet: Quæ dies ista est Gabriel? Cui ille: Dies resurrectionis, dies judicii, dies rationis reddendæ, dies attritionis & compunctionis, dies pavoris & tremoris. Sonante vero denuo Israphaele cæteri excitabuntur mortales, & ad locum agentur Judicii, sed equites fideles, infideles pedites. Traditio quippe Ali Bentalebi Mahometi patruelis est, Deum ita Angelis præcepturum esse: *Angeli mei, fideles ne ad judicium agatis pedites, cavete, ad hoc enim non sunt consueti; nam primum in paternis ferebantur lumbis, tum novem mensium spatio in utero materno, deinde vero prodeuntes obstetricis excepti sunt ulnis, tum nutricis circumlati brachiis, ablactati parentum foti sinu, adulti equis, camelis & asinis terra vecti, mari vero navibus.* Quod mutuatus est ex priscis Arabibus ignorantiæ seculi, ut supra notavimus, commentum Mahometi ad suos hoc confirmavit effato: *Multiplicate sacrificia animalium, quia nobis in illo itinere ad judicium levamen erunt.* Hoc Mahometum ad antiquorum superstitionem illam, & animalium ad sepulchra mactationem allusisse certum est, quoniam, ut alibi observavimus, antiquorum fabulas auxit potius quam abstulit nugator.

Restat modo, ut de via, seu ponte, qui resuscitatis trajiciendus est, necnon de universali Judicio aliquid dicamus. Quoniam vero hæc omnia exacte referuntur ab Auctore libri subtiliratum cap. *de Ponte*, ab ipso ea petenda esse duximus. Ipsa verba sunt: *Creavit Deus, ait Propheta, super ignem, seu Inferorum barathrum pontem septem constantem arcubus, quorum singuli trium millium annorum itineris sunt*,

mille ascensus, mille planitudinis, mille declivitatis. Qui pons tenuior capillo est, gladio acutior, obscurior nocte tenebrosissima, & mille acuminatissimis instructus hastis. Trajiciens itaque homo in primo arcu interrogatur de fide, rationemque ejus reddere cogetur; in secundo de statutis precibus; in tertio de decimis; in quarto de jejunio; in quinto de peregrinatione ad sacra loca; in sexto de legalibus purificationibus; in septimo de honore exhibito parentibus, eleemosyna, ac tyrannide. Qui hæc omnia præstitisse inventus fuerit, ad felicitatis trajicit locum; qui vero minus, in barathrum præcepe deturbabitur Inferorum. Quidam autem ut fulgur prætervehuntur, alii ut ventus, alii ut volucres, alii viginti-quatuor horarum spatio, alii unius, aut duorum mensium, alii unius, duorum, trium, aut plurium annorum, itaut postremi totum illum pontem viginti-quinque millium annorum confecerint curriculo. Quidam vero ad pontis consistent aditum, quibus dicet Gabriel, cui pax, cur non transitis? Qui inquient: Quia extimescimus ignem. Quibus Gabriel: Cum in Mundo sese vobis pelagus offerebat, quibusnam illud transferebatis? Navibus, respondebunt. Tunc templa, in quibus orationes persolvebant, ad navium redacta formam offeret illis, ac ita pontem transgredientur. Injunget præterea Deus altissimus Gabrieli, quemadmodum sacræ ferunt historiæ, ut illum, cujus bona opera exceduntur a criminibus interroget, an doctorum virorum in hoc Mundo usus sit consuetudine, ut ipsi eorum intercessione parceret; vel si aliquem dilexerit doctorem, aut cum illo comederit in eadem mensa, vel in eodem habitaverit vico, vel amicum ejus dilexerit, vel saltem cognominis extiterit alicujus doctoris. Si quem autem talem invenerit, apprehensa manu in Paradisum introducat illum. Unum hic notandum est, scilicet Mahometanos pontem hunc intelligere materialiter, & ad litteram, ut in Synodo Samarkandensi decretum est, quam omnes sequuntur juniores scriptores. Hujus viæ, seu Pontis passim mentionem facit Alcoranus, sed præsertim in ipso procemio, de quo plura ejus commentatores, quæ huc non attinent.

DE PROPHETIA.

CAPUT VIGESIMUM.

CENTUM viginti-quatuor Prophetarum millia ab Mundi conditu usque ad Mahometum numerant Arabes. Horum singulos ad singulas gentes missos fuisse autumant, Mahometo excepto, quem ad omnes destinatum fuisse delirant. Hinc Muscacanus Judæus neci traditus est Babylone, etsi Mahometum summum Prophetam, & Dei Apostolum fassus sit, quia asseruit illum ablegatum fuisse ad omnes Nationes, Judæis exceptis, ut Sciahinsciah in Historia gentium auctor est. Itaque ajunt, Hudum, qui idem illis est, ac Heber filius Sale, missum tantum fuisse ad Haditas; Salehum ad Thamuditas; Hantalam ad Rassitas, provinciæ Hadhramutæ montium incolas; Abraham ad Chaldæos; Loth ad Pentapolitanos; Jobum, & post illum Basarum ejus filium ad Syros; Sciohaibum, qui Jethro ipsis est Moysis socer, ad Madianitas; Moysen ad Hebræos, & sic de cæteris. Prophetiam, & Prophetas non omnes agnoscebant seculi ignorantiæ Arabes, qui Dahriræ, de quibus crebra mentio hactenus facta est, ipsum universi conditorem e medio tollebant, omnia naturæ vivificanti, ut loquuntur, attribuentes, & consequenter Prophetiam, & Prophetas.

Qui autem Prophetiam amplectebantur utriusque seculi Arabes, in varias scindebantur sectas, & opiniones, nec una omnium sententia erat. Quidam enim docebant, ut libro primo Bencamuna testis est, Prophetiam nihil aliud esse, quam naturæ absolutissimam perfectionem, itaut neminem assequi eam posse arbitrarentur, nisi omnes adhibuerit conatus ad ea, quæ sunt in potentia ad actum educenda, omnesque corporis animique numeros habeat.

Alii, nequaquam opus esse, ut quis doctus sit, an indoctus juvenis, an senex, rebantur, solumque exigenda est vitæ & morum probitas, ut talis in Prophetam a Deo seligatur. Verum hæc sententia partim Alcorano manifeste repugnat, cum aperte testetur, neminem prophetiæ donum assequutum esse ante quadragesimum exactum annum præter unum Christum Dominum.

Nonnulli demum, etsi omnium virtutum requirant in homine illo ornamenta, ut id mereatur donum, censent tamen, eum non libere, sed impulsione quadam, nulla etiam habita divinæ voluntatis ratione prophetare, nec aliter ad id impelli, quam animalia ex indita naturæ vi, commotione, & affectu ad coitum. Imo in hoc necessitatis & impulsionis gradu collocant doctores, qui alios instituere conantur, librosque improbis laboribus componunt ad hominum vitam, moresque componendos. Sed profecto hanc necessatiam impulsionem, nescio qua ratione cum decem illis modis, quos cum aliis prophetiæ statuunt, ut rite fiat, conciliare poterunt. Quos modos hic referre non pigebit, ut collatione facta, ferant eruditissimi lectores judicium. Primo modo, ajunt, fit prophetica visio in somnio per figuras & similitudines, quarum interpretatio eodem quandoque referatur Prophetæ tempore, quandoque nonnisi post aliquod temporis intervallum, ut res, & necessitas postulat. Secundo modo, voces per somnium audit Propheta, ac illorum percipit sensum: at auctorem non videt. Tertio fit revelatio, per hominem aliquem Prophetam in somnio alloquentem, & figuras ac similitudines ipsi exhibentem. Quarto fit comparente illi in somnio Angelo. Quinto apparente illi Deo in somnio, ipsumque alloquente. Sexto cum vigilanti fit revelatio per fingtas. Septimo cum vigilans voces audit, & neminem videt. Octavo cum vigilans hominem aliquem se alloquentem videt. Nono, cum vigilanti Angelus apparet, illumque alloquitur. Decimo tandem cum vigilans ipsum conspicit Deum sese alloquentem. Qui quidem modi penitus repugnare videntur posttemæ huic sententiæ, quia isti extrinsecus adveniunt Prophetæ, nec ab ipsa pendent natura, aut impellunt ut naturales affectus, & Prophetam commovent ad ea quæ sunt sui muneris præstanda, nulla habita divinæ voluntatis ratione. Quinimo cum modi isti a Deo mediate vel immediate proficiscantur, omnino ab ejus voluntate originem habere eas revelationes, sive res quæ revelantur, necesse est; alioquin nec Deus libere ageret, quod blasphemum & absurdum est, nec Propheta ille verba, & mandata Dei referre dicendus esset, quod non minus absonum est. Joannes Franciscus Pic. Mirand. de prænotione, lib. 2. cap. 8. triplicem propheticæ revelationis ponit tantum modum. *Aut enim*, ait, *per auditum & visum exteriorem offeruntur objecta, quæ rerum futurarum signa notæve sint, aut menti collucent, aut mediæ inter mentem & sensum exteriorem imaginariæ potestati se insinuant.*

Porro fundamenta sive notæ veri Prophetæ sunt, (uti docent Mahometus Sanusius, Hazzadaula Bencamuna, Abuzacharias Jahia, Mahometus Talemsanus, Abuzaidus Thaalabus, Avicenna, ac Arabes alii) ut homines instruat unum esse Deum factorem rerum omnium, vivum, omnipotentem, nullum habentem regni socium, nullum similem, æmulum nullum, absentia juxta ac præsentia cognoscentem, itemque distantia, ut propinqua tam in cælis quam in terra, adeoque omnis obedientiæ & obsequii actus illi præstandus est uti supremo absolutoque Domino. Præmia præterea omni catentia fine alterius vitæ nomine Dei probis promittat Propheta, contra supplicia in æternum duratura improbis comminetur. Inculcet adhuc hominibus jejunia, preces, peregrinationes, sacrificia, decimas, pro religione certamina, ac quicquid faciendum aut omittendum est, uno verbo ad virtutes impellat, deterreat a vitiis.

Hic acriter quidem, & gravibus verbis Bencamunam has veri Prophetæ recensentem notas Abuhasanus Benmahtuma Mardinensis in suis pro Christiana religione postillis ad Tractatus ejusdem Bencamunæ, qui plus æquo in Mosaicam

legem adversus Christianam propensior fertur, ita merito perstringit : *Si res ita se habet, ubinam Mosaica lex mentionem fecit beatitudinis, aut alterius vitæ felicitatis? ubi preces, & jejunia inculcavit? Illa nusquam profecto, Christiana ubique . Hoc igitur unum satis esse debet ad tuum perpetuo silentio occludendum os, atque temeritatem retundendam.*

Prophetiæ autem propugnatores eam ex quindecim utilitatibus, & commodis, quæ ex illa capiunt homines, adstruunt. Primo enim, inquiunt , homines Propheta instruit, quot genera sunt cultus divini, ut omnis e medio amoveatur confusio, quam mortalium fœcunda producere solent capita . Secundo , Propheta homines ex stupiditatis naturæ sopore excitat , stimulosque admovet , promissionum & comminationum incutit terrorem , cum homo ex sua conditione sit oblivioni & incutiæ obnoxius, adeoque admonitore eget. Tertio , quamvis fidei & virtutum dignitatem lumine intellectus assequi possimus, quemadmodum infidelitatis & vitiorum turpitudinem, præmia nihilominus æterna , quæ pro illis tribuuntur, & supplicia in æternum duratura, quæ pro istis infliguntur , ignoramus; quare Propheta opus nobis est , qui nos hæc omnia doceat , & suprema stabiliat auctoritate. Præsertim vero quia maxima ducimur voluptate , & illecebris itterimur ad turpia quæque admittenda, quæ sensuum adulatione, & falsis fallacibusque humanus intellectus excudetat argumentis tamquam nullum inferentia Deo detrimentum aut injuriam . Quæ quidem fallaciæ , & vana corruptæ naturæ ratiocinia, & adulationes Prophetæ dissipantur comminationibus , & paulatim evanescunt. Quarto, divinorum attributorum nostri virtute intellectus nullum cognoscimus, nisi quæ ex ejus colligimus operibus, ut igitur reliqua assequamur, prophetia nobis opus est. Quinto, omnis amovetur de divino cultu dubitatio: nam etsi homo noverit, quinam sit ille cultus , potest tamen dubius hærere, an injussus illum præstare debeat, necne. Sexto, plura nos ducimus turpia, ac habemus, quæ talia vere in se non sunt, quam difficultatem dirimit nobis prophetia. Septimo, rerum, quæ in hoc generationis & corruptionis extant Theatro, quædam inserviunt ad mortalium alimenta, quædam ad medicamenta, quædam vero mortem nobis inferunt & interitum. Horum autem pericula , & delectum nequaquam assequi valemus nisi post satis diuturnum temporis curriculum, præter quam quod etiam experientia lubrica est, ac anceps. Hæc vero omnia sine detrimento, aut discrimine nobis reseravit prophetia, ut sane ex illorum cognitione ipsius prophetiæ demonstrari possit existentia, & esse . Quandoquidem plures scientias intellectus humanus minime assequi potuisset sine prophetiæ ope, uti est, exempli gratia, Medicina, quæ pro certo suam habuit originem a Prophetis, qui eam primo mortales docuerunt . Hæc sententia desumpta esse videtur ex hisce Ecclesi. cap. 38. vers. 38. verbis : *Honora medicum propter necessitatem, Dominus enim ejus auctor est. Nam omnis medicina manat ab Altissimo* . Incertus veteris instrumenti Interpres Arabs multo pluris tribuit Medicis, dum locum illum ita vertit: *Honora Medicos tempore necessitatis, ut Deum pro te deprecentur, & sanitas tibi ab Altissimo demittetur.* Considerent igitur qui veri Medici haberi volunt, quantum eorum professio & institutum ab omni vitiorum nota & genere abesse debeat, caveantque ne tam divina abutantur scientia. Octavo, quis Astronomiæ & veræ Astrologiæ cognitionem nancisci potis est observationibus , quæ mille deposcunt secula, & repetitas animadversiones tum ob rerum observandarum magnitudinem & quantitatem, tum ob imbecillitatem nostri intellectus, vitæque brevitatem? Quis etiam nescit Mathematicorum instrumenta ad Mercurium non pertingere , tum ob ejus parvitatem , & exiguitatem luminis , tum quod oriens & occidens semper Soli propinquus sit? Nono, artes , quas ab invicem edifcimus, vel numquam consequuti primo essemus , vel imperfecte , & maxima cum difficultate. Decimo, ad vitam bene ducendam œconomia , politica, & morum compositio omnino sunt necessariæ, ergo & prophetia , quæ illas

ftatuat. Undecimo, homo natura eft animal civile, hinc alter alterius indiget ope; unde, ut res ipfæ docent, ifte tibi ferit, ipfe illi metis; hic tibi penfit, tu viciffim illi fuis, alter tibi acum elaborat, & fic de cæteris. Igitur ut recte hæc omnia fiant, & omnis tollatur e medio tyrannis, legibus opus fuit: fed has nemo cum univerfali poteftate decernere poterat nifi miffus a Deo Propheta. Duodecimo, fi legislatio hominibus privatis delata fuiffet, forte nec vel unius loci cives inter fe convenirent in ferendis legibus & obfervandis, fed omnia complerentur contentionibus & certationibus, quamobrem fingulæ faltem gentes Propheta indigent & Legislatore. Decimo-tertio, quas quis fecundum fuæ mentis rationem fert leges, non longe diftare poffunt ab humanis ftatutis & confuetudinibus, nec fpectant ad cultum divinum, nec homines ejufdem conditionis illas facile recipiunt: at fi leges illæ nomine Dei a Propheta latæ fuerint, nemo eas impugnare, aut refpuere audebit, atque ita omnis amovebitur difcordia. Quarto-decimo, intellectus non ejufdem funt ordinis & gradus, ut fupra pluribus oftenfum eft; qui autem ad excellentem perfectionem accedunt, rari, vel nulli funt: divina vero myfteria, & arcana fummæ funt majeftatis & altitudinis; igitur ad illorum comprehenfionem & dilucidationem Propheta opus fuit. Quinto-decimo, unumquodque genus fpecies fub fe continet, & inter fpecies illas una eft cæteris perfectior & abfolutior; pari etiam ratione fe habent fpecies refpectu inferiorum, & iftæ refpectu individuorum, ac individua refpectu membrorum. Et quemadmodum principem cor obtinet locum, & vicarias partes cerebrum, a quo potentiæ redundant in omnia corporis membra, ita humanum genus principe eget. Hujus autem principis poteftas aut pertinet ad forum extrinfecum tantum, qualis eft regis; aut ad intrinfecum tantum, qualis eft doctoris, feu facerdotis, aut ad utrumque, & hæc eft folius miffi Prophetæ, & ejus vicarii & fucceffotis. Ex quo manifeftum evadit, Prophetam in hoc Mundo inftar cordis effe, ejus vero vicarium five fucceflorem cerebri inftar. Et quemadmodum potentiæ comprehenfivæ ad cætera membra manant ex cerebro, ita potentia demonftrandi & docendi per Prophetæ fucceflorem emanat in univerfos doctores, ac reliquum humanum genus. Hæc Arabes illi, qui prophetiam propugnant, ejufque caufam fufcipiuur.

Qui porro illam inficiantur præter Dahritas, ejufmodi impugnant argumentis. Caufa, cujus gratia Prophetarum fit miffio, eft mortalium ad legis alicujus obfervantiam inductio, quæ lex tota confiftit aut in opere præftando, aut in omiffione illius operis: fed inductio hujufmodi abfurda eft, ergo & Prophetarum miffio. Hanc abfurditatem fex comprobare conantur rationibus. Prima ratio eft, cum homo inducitur ad opus patrandum, in illud propendeat, neceffe eft: ergo tunc in omiffionem illius operis non poterit propendere, ex neceffitate igitur operatur, & coactus, non autem libere. At fi illud omittere poterit, omiffio præponderabit operi, ergo determinatione opus eft, quæ potius ad omiffionem, quam ad opus hominem illum determinet: fed fi hæc determinatio procedit ab ipfo homine, vana prophetia erit, & abfurda; fi vero determinationis illius auctor Deus eft, redit ratio, quod homo non libere, fed ex neceffitate operatur. Secunda, fapientiffimus Deus omnium rerum cognofcit eventus: ea igitur, ad quæ homo per illas leges inducendus eft, & obligandus, vel fuum habebunt in fcientia Dei eventum & exitum, vel non; fi exitum fortientur, ex neceffitate fient, adeoque prophetia haud opus eft; fi vero non, impoffibilia erunt, inductio autem, & obligatio ad impoffibilia non folum abfurda eft, fed tyrannide non caret: igitur prophetia vana, & abfurda eft, quia Deus altiffimus longiffime a tyrannidis fufpicione abeft. Præterea legis obfervantia ultimum refpicit finem, qui eft beatitudo: fed fi hanc decrevit Deus largiri mortalibus, nulla legis obfervatione opus eft: fi vero non, obfervatio illa nihil proderit. Tertia, inductio, & obligatio abfurdiffima ducitur, cum ex æquo fe habeant opus

& omiffio

& omissio operis, quia semper determinatione opus est, quæ aut necessaria est, aut impossibilis: sed utrumque absurdum est; ergo & Prophetarum missio, quæ eo inducit. Quarta, inductio illa nullius est commodi vel utilitatis, quia id commodi vel redundat in Deum vel in hominem; non autem in Deum, quoniam longissime distat ab ejusmodi utilitatibus, quemadmodum ab omni detrimento; non in hominem, quia ejus commoda & utilitates consistunt in voluptatibus & gaudiis, necnon dolorum & mœroris amotione: sed hæc omnia sine ullo medio consequi potest; Prophetis igitur haud opus est. Quinta, inductio illius ad legem qui fidem abnegaturus, & adulteria, homicidia, & id genus est perpetraturus, penitus absurda, & a divina sapientia longe aliena est, ad quid ergo conducet? Sexta, tot opera, cæremoniæ, ritus, observationes, & ejusmodi infinita alia, quibus Prophetarum sunt referta monumenta, impedimento sunt homini, ne totus cælestibus vacet contemplationibus, & divino sese dedat ac vero cultu & amori; igitur convenientissimum est, hominem suo relinqui libero arbitrio, & nullis constringi legibus.

Ad hæc omnia prophetiæ respondent propugnatores satis esse, ut homo libere agere dicatur, si quantum in se est cooperatur, ut Prophetam suscipiat vel respuat, qui sunt actus liberrimi. Cætera sunt sophisticæ fallaciæ, quæ responsione non egent longiori, & ex sequentibus eorum plane liquet solutio. Adde, quod quemadmodum divinum esse a nulla dependet causa, sed omnes causæ ab illo, ita divina opera & actiones.

Alterum impugnatorum argumentum est: Doctrina prophetica aut intellectui consona est aut absona: si consona, facile assequi illam potest intellectus sine prophetiæ præsidio aut ope; si absona, nequaquam capiet illam intellectus, etsi a Propheta inculcetur: ergo prophetia nulla ratione opus est.

Ad hoc argumentum ita respondet propugnator: Prophetæ missi sunt ideo, ut de iis instruerent homines, quæ ipsorum intellectus per se comprehendere, & capere non potest, etsi minime illi sint dissona. Quod manifestissime patet ex rebus naturalibus & civilibus, quæ tametsi intellectui sunt maxime consona, non ita facile illa comprehendit sine impendio & institutione.

Tertium argumentum. Plures cæremonias, cultus & ritus a legibus & Prophetis inculcari videmus, non solum ad nullam rem & usum utiles, sed non parva mortalibus inferentes incommoda, uti sunt peregrinationes ad longinqua loca religionis ergo, jejunia, & id genus alia. Imo quædam tam perridicula sunt, ut risum & irrisionem conspicientibus moveant, uti sunt ea quæ hoc potius facienda sunt tempore, quam alio, aut hoc modo, quam illo, & sic de aliis pluribus. Quis hic Calvinum Arabem loquentem non plane advertit?

Ad hoc argumentum ita propugnator: Sapientiæ divinæ non est præscribendus modus; nec dubitandum est, quin multa reconditissima mysteria & arcana in ejusmodi vulgaribus & abjectis rebus recondita sint, quæ nostrum fugere possunt captum & intellectus imbecillitatem. Hominem tam nobile animal, quis ex tam sordida materia concretum esse, & sanguine nutritum menstruo credet, nisi experientia id nos docuisset? Imo Dei majestas & omnipotentia multo magis elucet, cum vilibus utitur instrumentis ad magnas mirasque res efficiendas. An non majorem moveret admirationem, qui digito prosterneret leonem, quam qui gladio? & qui ex ovo produceret elephantem, quam gallinarum pullum? An etiam qui minimas has sanxit cæremonias & ritus, non est idem ac ille qui maxima tulit, & utraque miraculorum stabilivit auctoritate, quæ totius naturæ excedunt ordines & facultates, ut nemini posthac dubitandi relictus sit locus? An idem non est, qui Moysi inter tonitrua & fulgura legem dedit tabularum, & qui præcepit, ut aspersione cineris & sanguinis animalium expiarentur peccata? Non res igitur consideranda sunt & cæremoniæ, aut ritus & cultus, sed illorum Auctor summa veneratione suspiciendus.

A prophetiæ oppugnatione ad miraculorum eversionem sese transferunt, se-

ptemque adstruunt adversus illa argumenta. Primum argumentum : Si miracula concederemus, multa sequerentur absurda, multaque concluderemus sophismatibus & fallaciis, facileque persuaderi nobis posset, montes in aurum esse conversos, & in sanguinem mare, & hunc senem temporis hoc momento sine parentibus extitisse, & istum non esse Zaidum, quem novimus olim, sed alium ipsi omnino persimilem a Deo modo creatum.

Ad hæc ita respondet propugnator: Propositio universalis, affirmativa sit vel negativa, non excludit effectus vel casus particulares, & contra. Non sequitur enim, quia homo generat hominem, non posse aliquando Deum creare aliquem ad similitudinem Zaidi aut senem momento temporis emergere, quemadmodum non sequitur omnes viros ex limo terræ esse procreatos, & fœminas ex costis virorum productas, quia ita semel factum est. Ad hæc miracula plures comitantur circumstantiæ & signa, quæ ita illa distinguunt a communibus rebus, ut propterea dicantur معجز *Maagiaz*, nempe id quod nullo modo effici potest aut potentia nisi divina. Nec ullus tam stolidus est & bardus, quin bene discernat, an senex ille ita subito extiterit, an vero per varias ætates eo pervenerit, & an iste sit Zaidus quem cognovimus olim, an alius simili modo creatus. Hæc enim est scientia necessaria, quam mortalibus indidit rerum conditor Deus, ne ordo dimoveretur Universi hujus, & ejusmodi confunderetur dubitationibus & scrupulis. Miracula etiam non clam fiunt a Prophetis, sed palam, necesse est ut homines pertrahant ad ea ad quæ vocant, adeoque illa sola miracula censenda sunt, quæ aut ipsi cernimus, aut proborum comprobat nobis auctoritas, aut pari auctoritate a majoribus accepimus.

Secundum argumentum: Non est satis dicere miracula illa effici Dei voluntate, jussu aut permissione, quia fieri potest, ut ille qui efficit illa nomine Dei, animam a cæterorum hominum animabus diversam habeat, & alterius sit speciei aut dissimilis temperamenti & compositionis; itaut hæc particularis proprietas principium sit potentiæ miracula edendi, sive medicamentum invenerit aliquod, iis præditum virtutibus & natura, quo prodigia illa facit. Vel id præstat adminiculo geniorum sive dæmonum, aut aliorum cælestium spirituum ad mortales seducendos.

Ad hoc respondet propugnator: Nequaquam dubitandum est vera miracula solo divino jussu, voluntate & permissione edi posse, quamobrem minime credendum est sapientissimum Deum illa permittere, aut facere ad prævaricationem & seductionem mortalium. Ad animæ autem diversitatem, temperamentum, medicamentum, & genios quod attinet, dicimus nugis hæc esse adscribenda, quia nulla creata potentia ad vera miracula patranda per se pertingit, & quæ aliquando miracula creduntur a plebecula, majorum reprimit auctoritas. Insuper quæ fiunt aliqua astutia, arte vel medicamento, possunt adhuc si non ab omnibus, ab uno, aut altero saltem effici, miracula vero non item.

Tertium argumentum: Nequaquam concedendum est Deum miracula & prodigia edere ad veritatem aliquam comprobandam, quia ejus opera longissime absunt a novitatibus & mutationibus.

Ad hoc propugnator: Cum miraculum sit Dei opus ad extra, & indicium ejus existentiæ, nullum consequitur absurdum, si de novo producatur, uti sunt reliquæ res creatæ, quæ novi nihil, aut mutationis in ipso arguunt Dei esse.

Quartum argumentum: Ea quæ miracula creduntur, quis prohibet, quin sint principium rei alicujus, quæ tunc incipit, aut naturales eventus, qui nonnisi raro contingunt?

Propugnator: Scientia illa necessaria quam nobis indidit Creator, bene distinguit inter illa quæ a natura effici possunt quocumque tempore vel quibuscumque instrumentis, & quæ non. Dubitare autem de rerum principiis & eventibus, qui raro accidunt, nihil est concludere, hac enim ratione dubitaremus, an ignis sit callidus, an sol eluceat, an homo sit rationalis, & sic de aliis.

Quintum argumentum: Si omnia a Deo creata sunt, nec negatis, igitur ipse creavit adulterium in adultero, & infidelitatem in infideli, & proinde non magis inconveniens erit, Deum illa edere miracula ad homines inducendos ad infidelitatem & adulteria, qnam ipsam creare infidelitatem in infideli, & adulterium in adultero. Hinc itaque colligitur miracula non esse certa & indubitata indicia probandæ veritatis.

Respondet ad hoc propugnator: Deus altissimus ea conditione creavit hominem, ut sua utatur libertate; cum ergo adulterium committit, aut evadit infidelis, suo damno & culpa id facit, non Dei decreto, vel jussu. Absit enim a Deo omnis iniquitatis suspicio. Itaque non est par utriusque ratio.

Sextum argumentum: Constanter negandum est, signa æquipollere affirmationi, vel confirmationi, aut negationi, quemadmodum si quis dixerit principi; Si tuus ego sum Legatus, admove manum capiti, vel pectori, & ille præstiterit, quia contingere potuit, quod princeps id tunc fecerit aliqua alia de causa, aut cogente necessitate, aut casus hoc tulit. Pari ratione de signis, quæ ab illis, qui Prophetæ audire volunt, eduntur, arguendum est.

Propugnator: Negare signa æquipollere affirmationi, vel negationi, proinde est, ac omnia susque deque habere, & nihil in hac rerum universitate certum esse; omnisque destruitur ordo, & cuncta confusione complentur, & contentionibus.

Septimum argumentum: Fac signum manus admotione ad pectus, aut caput datum, vel nutum aliquem esse indicium assensus principis ad confirmandam approbandamque rogantis legationem; at inde non sequitur propterea, miraculum, quod propheta edere dicitur, esse argumentum divini assensus ad comprobandam Prophetæ missionem. Quandoquidem vel assensus ille est miraculum, vel non; si est, alio indiget miraculo, & istud alio in infinitum; si non est miraculum, nullam inducit approbationem. Ex quibus manifestum evadit, neque miracula dari, neque prophetiam.

Ad hæc propugnator: Ineptum argumentum! nam etsi assensus sit miraculum, nequaquam alio indiget miraculo, quemadmodum signum non indiget alio signo. Et si non est miraculum, adhuc tamen inducit approbationem, quia præter assensum non apparentem, constat de prodigio apparente quod est argumentum illius divini assensus, & approbationis Prophetæ manifestissimum indicium.

DE VATICINATIONIBUS, ARIOLATIONE, DIVINATIONE, AUSPICIIS, AC EJUSMODI ALIIS.

CAPUT VIGESIMUM-PRIMUM.

HIS omnibus sedulam navabant olim operam Arabes, nec minorem dant hactenus posteri, imo hoc uno maximopere gloriantur, quod scilicet apud illos ea habuissent suam originem, & inde ad alias derivata sint gentes. De ipsorum effectis non parum discordant, de causis vero plurimum.

Quidam existimant, divinationem futurorum, & absentium cognitionem proficisci ex ipsius animæ substantia a vitiorum sordibus & fæcibus expurgata. Siquidem autumant rerum omnium imagines & species in animæ substantia impressas inesse, earumque expressionem & revelationem impediri solum a vitiorum sordibus, quæ tamquam velum aut involucrum quoddam objiciuntur.

Sunt autem, qui iſthæc attribuunt ſpiritibus ſeperatis ſive dæmonibus, qui futura & abſentia illis inſinuant, & cum animabus ſympathiam habent quamdam & homogeneitatem. Non omnes tamen idem ſentiunt, quia eorum quidam non ad ſympathiam & compaſſionem animarum & ſpirituum hoc referunt, ſed ad pactiones & conventiones. Hinc videmus, inquiunt, divinos & ariolos ſuffumigia quædam ſemper intermiſcere, certa demurmurare verba, horrenda invocare nomina, & ſacrificia quædam offerre, antequam ullum reddant reſponſum. Sed nec iſti inter ſe omnino conveniunt, quia illorum quidam volunt, Dæmones & Genios ex inſitis ſuæ naturæ principiis futura & abſentia dignoſcere poſſe; alii nonniſi hæc ab Angelis ediſcere, quorum linguæ & idiomata ipſis ſunt explorata, & perſpecta.

Alii hæc omnia in animæ naturali potentia, & corporis ac ſenſuum temperamentorum naturalium ſubtilitate ac puritate reponunt. Nam quemadmodum unus ingenio & intellectus virtute & acumine alium multis excellit gradibus; pari ratione quidam eo progrediuntur, ut ad illum divinandi, & futura ac abſentia cognoſcendi pertingant gradum & ordinem. Ex hoc hominum genere Edriſum, qui Arabibus Enoch, & Mercurius Triſmegiſtus eſt, & Pythagoram extitiſſe perhibent, quibus ex ſua gente addunt Sakum, Satihum, Zabubaam, Sadilum filium Hermaſi, Amranum filium Mazikiæ, & ex fœminis Datifam, Haginam, & Dahelam.

Nonnulli hæc omnia aſtris, & eorum præſidibus intelligentiis tribuunt, quod tripliciter contingere affirmant, ſcilicet quando quis in ipſo Mercurii exaltationis naſcitur momento, vel cum reliqui Planetæ ſunt in articulis æqualibus, & aſpectibus præponderatis, vel demum ſub conjunctionibus maximis. Hanc ſententiam juniores Aſtrologi duobus miris confirmarunt exemplis, uti legere eſt apud Gregorium Barhebræum lib. 9. ſuorum Chronicorum. Primum accidit ſub Almamuno, qui Caliphatum geſſit ann. Hegiræ 198. quo tempore prodiit homo quidam, ac ſe Prophetam ubique jactabat. Fama ad Calipham perlata eſt, qui nulla interpoſita mora hominem accerſit, & prætentæ propheriæ demonſtrationem ab illo depoſcit. Cui ait ille: Eſt apud me annulus, quem ſi quis præter me ſuo indiderit digito, nequaquam a riſu ſe continere poterit, donec illum depoſuerit. Habeo præterea calamum, quo nemo præter me ſcribere valet; & ſi quis id tentaverit, minime manum, aut digitum movere quibit. Qui cum utrumque executioni mandaſſet, Calipha jubente, ſummam admirationem omnibus movit præſentibus. Eveſtigio viros binos illius ſeculi Aſtrologorum celeberrimos ſcilicet Abumaſciar, vulgo Abumaſar, & Mahometum filium Moyſis Gialiſi accerſit Calipha, & pluribus aliis adjunctis, juſſit hominis deſignare horoſcopum, nihil eis de ipſo, ejuſque theſi indicans. Qui mandato obtemperantes, ejus aſcendentem in Ariete comperêrunt, quem Jupiter in Spica conſtitutus adſpiciebat, itemque illum adſpiciebant Venus & Mercurius in Scorpione, ſol autem & luna in eodem gradu erant cum aſcendente, quemadmodum & portio felicitatis & abſentiæ. Quibus omnibus diligenter collatis, atque expenſis hominis propoſitam theſim veram eſſe quotquot aderant Aſtrologi pronunciarunt, Abumaſciar excepto, qui, ut ſuam diceret ſententiam, juſſus ait: Hujus quidem hominis argumentum innixum eſt Veneri & Mercurio, qui vim præbent ipſi aliquam, & conatum in propoſitam ab illo theſim, verum non favet his Jupiter, a quo theſis perfectionis ſumma pendet, quemadmodum & ex triangulis & ſexangulis ſolis dum nulla adeſt ſoli malignitas, hujus autem aſcendens Jovi opponitur, quia eſt illius caſus, & ab illo abhorret in hoc ſigno, quamobrem falſa eſt propoſita theſis. Tunc indicavit nobis, inquit Abumaſar, Almamunus hominem, & ejus aperuit theſim, obtinuitque tandem ab illo multis blandimentis & pollicitationibus arcani explicationem, invenimuſque illum Aſtrologiæ mortalium peritiſſimum.

Alterum exemplum contigit rerum potiente Arabum Altajeo, qui eis regnavit Hegitæ ann. 363. Vivebat eo feculo Tabetus Hatanensis multi nominis medicus, qui ex pulsus contactu divinabat non solum ciborum qualitatem & substantiam, sed quantitatem & numerum. Fertur inter cætera, quæ de illo narrantur, aliquando in Caliphæ consessu pulsum explorandum illi præbuisse Abdallam filium Alhagiagi poetam, cui ait: Comedisti, imo devorasti pulmentum ex lacte acri, & vitulina carne. Quod cum ille ingenue fassus esset, admiratio omnes cepit. Deinde manum tradidit ipsi Abuhabbasus Astrologus, cui statim ait Thabetus: Tu quoque modum excessisti, nam undecim edisti malogranata. Tunc exclamavit Abuhabbasus: Prophetia hæc est, non medicina. Rogatus autem instanter a Calipha, & ipsi assidentibus, ut arcanum illis aperiret, respondit addito jusjurando, se hæc omnia lingua solum proferre nullo prævio examine, aut cogitatione mentis, vel aliqua certa scientia. Erecto igitur ab Astrologis ejus horoscopio, inventa est portio absentiæ in gradu ascendentis cum gradu Jovis, & portionis felicitatis conjuncta. Quibus perspectis ait illi Abuhabbasus: Hæc sunt, amice, quæ loquuntur, non ipse.

Quidam divinationes ejusmodi nihil aliud esse existimant, quam acquisitum habitum, uti sunt habitus reliquarum scientiarum, qui facile comparatur secessu ab hominum societate & commercio. Siquidem tunc cogitationibus obtuitur quodammodo anima, quæ illam abunde alunt, unde ex illius alimenti nubibus decidit super eam quædam scientia spiritualis, ipsamque illuminat, & velum amovet obscuritatis, quod futurorum & absentium visionem impediebat, & ne fungeretur anima suo munere obstaculum erat & obex. Alimentum hoc, & augmentum, quod animabus accedit ex rerum contemplatione, ut ad hunc perveniant ordinem, ex aliarum scientiarum huic affinium firmant comparatione, quas nonnisi jugi studio, meditationibus, & quotidiana adipiscimur ruminatione.

Nonnulli divinationem hanc sequelam esse rati sunt, & ex præmissis quibusdam illationem, & conjecturam, ac perinde illis peculiarem, qui acri & acutissimo pollent ingenio. Suæ opinioni probationem adstruunt ex historia trium filiorum Nazari, quæ non minus arguta, quam lepida fuit. His, ut refert Masshudius in pratis aureis, & alii, dum ad Aphahi Giathamitarum regem proficiscebantur, Camelarius quidam occurrit, & de amisso interrogat eos camelo. Cui primus ait: Vidimus non longe abhinc quemdam camelum uno captum oculo; subdit alter, uno minutum dente; addidit tertius, uno claudicat pede. His auditis signis minime dubitavit ille, hunc esse camelum quem amiserat. Quamobrem eo, quo indicaverant ipsi, profectus est suum quærens camelum, sed frustra omnia vicina perlustravit loca. Revertitur igitur ad juvenes fratres, & tamquam ab illis delusus graviter conquestus est. Rursus major ait: camelus quem amisisti, nonne ex una parte gestat utrem mellis, & ex alia butyri? Affirmavit Camelarius. Addit minor: Nonne medio oneri mulier insidet? annuit. Concludit minimus: Nonne gravida est hæc mulier? Maxime respondit. Atque ex his signis pro certo sibi persuasit Camelarius, juvenes illos camelum fuisse furatos, quia eum in loco sibi indicato reperire non potuit. Ergo apud regem furti eos insimulat, qui ex datis indiciis integram præstitit Camelario fidem, eoque nomine in carcerem conjiciuntur. Sed invento altero die camelo absolutos dimisit rex, non sine veniæ postulatione, cui supplices addit preces, ut sibi aperirent, unde signa noverint illa, cum numquam viderint camelum. Cui primus respondit: Hæc omnia ex vestigiis quibusdam conjecimus, quia ex una parte viæ, per quam transierat camelus, totam carpserat herbam, ex alia vero intacta herba virebat, ex quo conjeci camelum illum luscum esse. Et ego, subdit alter, eum uno dente minutum esse judicavi, quia herbarum ab illo decerptarum frusta in via passim visebantur dentis exæquantia magnitudini. Claudum illum esse addit tertius, ex eo cognovi, quia trium pedum vestigia integre in pulvere impressa

conspiciebantur, non item quarti, quem inversum trahebat, ut expressus indicabat sulcus. Conjecturas ejusmodi non sine magna admiratione excepit rex: quare ut reliqua prosequerentur, non minoribus exegit precibus. Ut ergo tanto regi facerent satis, ita primus cæterorum narrationem exorsus est. Quod camelus ille ex una parte gestaret mellis utrem, & ex altera butyri, ex eo conjecturam feci; per multum itineris spatium hinc formicarum, inde muscarum infinita propemodum turma conspiciebatur, quarum istæ dulcibus, pinguibus illæ trahuntur. Quod autem, subdit alter, medio oneri mulier insideret, argumentum mihi fuit pedis vestigium in pulvere impressum, ubi camelus cubaverat. Et quoniam vestigium illud pueri quoque esse poterat, id tamen mulieris esse pro certo novi ex urina, quæ ibi erat, quia tincto in illa digito, & naribus admoto, statim carnalem concupiscentiam per membram serpere sensi. Mulierem autem illam gravidam esse, inquit tertius, vestigia indicabant manuum, quorum ope ob gravitatem corporis, ut se erigeret, usa est, postquam ejus exoneraverat onus. In ejusmodi itaque conjecturis totam fundant isti divinandi scientiam, ut jure de illis cum Tullio dici possit lib. 8. ad Atticum; *Igitur noster Attice, non hariolaris ut illa, cui nemo credidit, sed conjectura perspiciens, &c.*

Alii divinandi autem esse donum quoddam ab Auctore naturæ nationibus quibusdam vel familiis, & personis particularibus insitum existimant, nec ullo modo pendere ab ingenii acumine. Giafara provincia inter Ægyptum & Syriam sita homines alit stupidissimi & ineptissimi ingenii, qui tamen si quem conspexerint, qui ipsorum fuerit furatus dactylos vel ante viginti annos, statim agnoscunt, etsi numquam antehac illis visus fuerit. Adhuc majora de illis narrantur apud Mashudium. Ex vestigiorum in arena vel pulvere impressione divinant quis ea impressit, & non aliter ac si essent characteres legunt illa, & nomen auctoris indicant. Hinc factum est, ut provinciarum gubernatores & præfecti urbium ex hoc hominum genere constituere consueverunt exploratores aliquos, qui hostes, fures, latrones, ac alios scelestos homines ex vestigiis proderent. Ferunt etiam aliquos ex Coraiscitarum genere, ex quibus Mahometus originem duxit, non solum ex vestigiis in arena, pulvere, aut luto expressis auctores cognoscere, verum etiam divinare nomina eorum, qui super lapides, ligna, ac alia id genus, quæ vestigiorum impressionem accipere apta non sunt, incesserint.

Pseudopropheta Mahometus ad suam sententiam hac de re direndam rogatus aliquando respondit, vaticinationes & divinationes Arabum seculi ignorantiæ, aliarumque gentium esse unam ex quadraginta-sex partibus prophetiæ; ita referunt Mashudius *in Pratis aureis*, Auctor *epist. de Spiritu & Anima*, & alii.

Infinita propemodum ariolandi & divinandi sunt genera apud Arabes, quorum præcipua sunt, scilicet augurium ab avibus, quod vocant السانح *Alsanho*, a quadrupedibus البارح *Albareho*, ex volatu الطير *Altatioro*, auspicium الزجر *Alzagiato*, ariolato العيافة *Alhajafato*, divinatio ex vestigiis القيافة *Alkajafato*, ex corpore vultuque الفراسة *Alpharasato*, quam Græci φυσιογνωμίαν vocant, ex arena seu pulvere الرمل *Arrambo* γεωμαντεία.

DE VISIONIBUS PER SOMNIUM.

CAPUT VIGESIMUM-SECUNDUM.

De visionibus per somnium, eorumque interpretatione multi scripsere seculi ignorantiæ auctores; principem tamen obtinet inter eos locum Abuisbac illius seculi celeberrimus vates, qui suum de hoc argumento tractatum ex Abrahæ Patriarchæ libris se compilasse testatur. Hunc sequuti exinde sunt Bensirin, Sahidus Almosabbobi filius, Abugiafar Alcassai, Abumahometus filius Alcaribæ,

& alii innumeri. Nugacissimus pseudopropheta ita huic professioni addictus erat, ut singulis diebus matutinis absolutis precibus alta voce ex suggestu exclamaret: *Si quis vestrum viderit somnium, proferat illud, & interpretationem habebit*, ut Bensiriu auctor est. Ex quo non parvam existimationem nominis apud barbaros illos adeptus est somniator & somniorum interpres ac conjector, ideoque divinationibus ejusmodi quadragesimam-sextam prophetiae partem tribuit, ut capite superiori notatum est, ut in prophetiam sese insinuaret.

De somniorum causis non est una omnium sententia, quia quidem totam causam in cibum & potum, eorumque qualitates rejiciunt. Quandoquidem qui cibis vescitur crassioribus, horrendis, laboriosis ac molestis vexatur somniis, secus qui delicarioribus.

Sunt qui horum causas ad solos referunt humores, quia illi, in quibus fel ardet, ac flava bilis, ignes, flammas, incensas domos & urbes, vulcanos, & ejusmodi ut plurimum vident. Illi vero, quibus flegma praevalet, vident maria, flumina, lacus, fontes, imbres, & id genus. Iis porro qui atrae bili sunt obnoxii, apparent sepulcra, cavernae, coemeteria, cadavera, obscura & subterranea loca, demum quicquid terrores infert ac timores. Contra accidit illis, quibus praedominatur sanguis, qui nonnisi quicquid laetum, quicquid jucundum vident, ut vinum, flores, fructus, hortos, tripudia, lusus.

Alii credunt rationalem animam in statu somni sensitiva ad corporis custodiam substituta, solutam ac liberam suis fungi naturalibus muneribus, & per animarum vagantem mundum, omniaque perlustrantem futura, & absentia in speculo illius mundi inspicere, & ex impressis in eo rerum omnium speciebus cuncta ediscere; exinde vero in corpus reversam sensitivae impartire. Quoniam autem sensitivis, corporeisque speciebus spirituales species confunduntur atque perturbantur, major illorum pars animae redeunti excidit.

Alii minime substituunt sensitivam, sed animam instar glomeris fili esse affirmant, cujus praecipuum extremum in corpore residet, alterum extra prorendicur, excurritque ad animarum Mundum, indeque futurorum, & absentium referens notitiam ad corpus iterum se retrahit. Hujus opinionis Mahometus fuisse creditur apud Auctorem Epist. *de Spiritu & Anima quaest.* 10. *sect.* 2. quia interrogatus aliquando, quo dormientis facesseret anima, respondit ejus partem per aera vagari.

Nonnulli arbitrantur somnia quaedam nobis ab Angelis insinuari, quaedam vero a daemonibus & malis Geniis: isti id faciunt, ut nos illudant & decipiant; illi vel ut nobis bona annuncient & praenuncient, vel a patrandis criminibus revocent & servent. Ad bona vero somnia a malis discernenda hanc constituunt regulam. Somnia, inquiunt, quae Vere & Aestate accidunt, ut plurimum vera sunt; contra, quae Autumno & Hyeme falsa. Ratio eorum est, quia Angeli arborum, florum, foliorum, fructuum, herbarum, & reliquorum stirpium custodes in terra his duabus tempestatibus commorantes abigunt inde Genios ac daemones, atque adeo hoc tempore mala somnia nobis injicere non valent. At fructibus deficientibus, & decidentibus foliis, ac Angelis in caelum sese recipientibus erumpunt ex tartareis regionibus daemones, & falsis vexant mortales somniis. Quoniam vero nec Angeli desunt nobis penitus Autumno & Hyeme, nec a suis desistunt odiis & fraudibus daemones Vere aut Aestate, hanc aliam statuerunt distinctionis normam. Omnia somnia, inquiunt, quae cernimus ad latus dextrum cubantes, vera sunt; falsa vero quae conspicimus ad sinistrum dormientes vel supini, & a daemonibus nobis injecta. Quae vero cernimus proni cubantes, mera sunt somnia a natura, cibis, poribus, humoribus, & ejusmodi aliis genita & procreata. Adhaec somnia, quae nobis noctu eveniunt, veraciora sunt, quam quae interdiu. Obiter hic notandum est, Arabes singulis hominibus duos assignant Angelos, quorum unus dextrum claudit latus, & bona scribit

ftatim fine tefte opera; alter finiftrum, & mala exarat opera, verum non fine focii teftimonio, & feptem quidem poft admiffum flagitium elapfis horis, quoniam fi eum interea pœnituerit, & veniam poftulaverit, dimittitur ipfi crimen illud, nec amplius ei imputatur. Alii unicuique homini quinque tribuunt Angelos, duos ad cuftodiam noctis, duos ad cuftodiam diei, & unum perpetuum comitem.

Auctoris Epiftolæ *de Spiritu & Anima quæft.* 10. *fect.* 2. fententia eft, humanas animas pendere, & conjunctas effe Angelo cuidam, qui dicitur Angelus vifionum; itaut quamdiu homo immerfus reperitur in caducis rebus cumulandis, & victu comparando occupatus, nequeat uti conjunctione illa, nec quicquam abfentium rerum affequi, aut fanctorum arcanorum: at dormiens, & ab his perinde vacans ad fuæ conditionis tendit principia, aperienturque illi quædam abfentium fecreta. Non inficiatur tamen Auctor ifte multa fomnia falfa effe ac mendacia, ut quæ a Dæmonibus injecta, vel ab humoribus & cibis exorta, vel ab imaginibus rerum refidentibus animo excitata.

Dahritæ omnia abfolute ut vana & falfa explodunt fomnia, quibus Mohtazlitæ accedunt, unum excipientes tamen Jofephi Patriarchæ fomnium. Utrorumque fententiam damnat & rejicit Arabum fcriptorum vulgus, uti legere eft apud Auctorem, Epift. *de Spiritu & Anima quæft.* 10. *fect.* 2. & contrariam duabus ftabilit rationibus. Prima ratio petitur ex confenfu omnium hominum ab Adamo ufque ad hæc tempora. Altera ex fomnio Abrahæ Patriarchæ, quod confingunt, Jofephi, & aliorum, aggeruntúrque ad ejus confirmationem plures Alcorani auctoritates.

Somniorum propugnatores fingulis fomniis certum ftatuunt tempus, quo fuum fortientur eventum. Itaque fomnium, quod accidit prima nocte, poft viginti annos fuum habebit effectum & exitum; quod vero media nocte, poft annos decem; quod aurora erumpente, poft menfem; quod meridie demum poft dies decem. Temporum intervallis ea proportione terminos decernunt, qua magis & minus a principio diftant & fine, vel accedunt.

Interpretationi affequendæ varia ftruunt principia, ut ipfi loquuntur, atque ita triticum, hordeum, paleæ, farina, lens, faba, cicercs, ferrum, fal, terra, & id genus alia fignificant illis bona & facultates. Equi, arbores, flumina, feræ, aves, & ejufmodi denotant viros. Veftimenta, ornamenta equorum, ftragulæ, ephippiæ, jumenta, & avium fœminæ defignant mulieres. Vafa, inftrumenta, ftrata, utenfilia, ac quicquid noftro ufui & fervitio cedit, fignificant fervos & mancipia. Ut autem vana & mendacia funt fomnia, ita incertæ & fallaces funt eorum interpretationes, cum unum idemque fomnium varie a variis exponatur, una tamen eft veritas non multiplex. Benfirin *Tract. de fomniorum interpretatione cap.* 4. tonitrua, fulgura ardentia, & comburentia fulmina, interpretatur de vaftatione illius regionis, in qua hæc accidiffe vifa funt, per externum regem facienda. Hæc vero ipfa de Harami fluminis Arabiæ illuvione interpretata eft olim Darifa Arabum vates celeberrima, ut ex hifce ejus verfibus ad Amrum Gentis principem conftat.

Quid vidi, o rex? quid vidi in fomniis?
Vidi nubem, quę ex oculis excuffit fomnum,
Vidi nubem horride fulgurantem,
Tonantem diu, atque fulminantem,
Et obvia quæque e veftigio comburentem.
Hæc quid fequetur aliud quam illuvio?

Nec etiam conveniunt in ftaturis terminis, quia fupra citatus Benfirin, Abuishac, & alii majorem terminum conftituunt viginti annorum, ubi mox laudata Darifa fuo fomnio de illuvione quadraginta præfcripfit annos, ut apud Mashudium legere eft in *pratis aureis*. Vana igitur fomnia, vana fomniorum principia, vani termini.

DE

DE SPECTRIS, SEU NOCTURNIS LARVIS.

CAPUT VIGESIMUM-TERTIUM.

ARABES, ut qui spectrorum frequentioribus visionibus præ cæteris mortalibus illusi sunt, ita in varia opinionum sunt abducti commenta.

Quidam enim hæc separatas improborum esse animas crediderunt, quæ omni spe salutis derelictæ atque destitutæ, quas possunt aliis inferre noxas conentur, & in eamdem illos agere præcipites damnationem.

Alii hæc Dæmones esse arbitrati sunt, qui Dei indignati, quod Adamum adorare recusarunt, retulerunt damnationis sententiam, ut supra cap. 9. a nobis notatum est.

Sunt vero qui spectra ejusmodi non putos dæmones esse putarunt, sed mixtæ ex dæmoniaca & humana naturæ, scilicet ex concubitu Ablisi, seu Dæmoniorum principis cum Lilit prima Adami conjuge susceptos liberos. Fabulam hanc ex Judæorum pandectis ad Arabes invexit, si ex reliquis conjicere licet, Cahbalahbaro ex Rabbino Mahomeri sectator, & discipulus, qui omnes fere Judaicas nænias ad Arabes non sine fœnore transtulit. Comminiscuntur quippe Deum ex limo terræ una cum Adamo formasse fœminam nomine Lilit, illique in uxorem ipsam dedisse. Commentum ex hisce cap. 1. Genes. vers. 27. eliciunt verbis. *Masculum & fœminam creavit eos*. Quam autem mulierem, cum creationis paritate tam insolens ac molesta viro facta esset, sæpius admonitam, & non resipiscentem, extra Paradisum expulit Deus, hinc subjunxit: *Non est bonum esse hominem solum: faciamus ei adjutorium simile sibi*. Id totum confirmant ex Adami verbis, cum vidisset mulierem ex ejus costa eductam: *Hoc nunc os de ossibus meis, & caro de carne mea: hæc vocabitur virago, quoniam de viro sumpta est*. Quod idem est, ac si dixisset, inquiunt, nunc, sive hac vice dedit mihi Deus conjugem & sociam ex ossibus meis & carne mea, quæ vocabitur virago a viro a quo desumpta est: at illa quam tunc & alia vice mihi dederat, nec de ossibus meis erat, nec de carne mea, nec virago a viro dicenda est. Expulsa igitur e Paradiso Lilit sese copulavit dæmoni, cui peperit liberos quamplures, qui Genii dicuntur. Isti sex sunt præditi qualitatibus, ex quibus tres communes habent cum hominibus, ac totidem cum dæmonibus. Ut homines generant sibi similes, cibis vescuntur, morti sunt obnoxii; ut dæmones sunt alati, & quo lubet velocissime volant, sunt invisibiles, demum corpora absque detrimento permeant atque penetrant. Hoc Geniorum genus minus hominibus noxium esse creditur, imo satis familiare, & amicum ob naturæ affinitatem & portionem. Auctor historiæ & rerum gestarum ab Alexandro Macedone refert in quadam Indiarum regione certis diei horis Geniorum pueros speciem assumere humanam, & palam apparere consuetos esse, ac cum illorum hominum pueris lusiones inire satis familiariter.

Salamas Benadi lib. 6. *Horti mirabilium orbis*, Geniorum parentes fuisse Margium & Margiam, ut hominum Adamum & Evam ex igne purissimo procreatos, & omnis caloris & fumi expertes perscribit. Accedunt Vahbus filius Monbahi, Benishac, & alii apud Mashudium: in hoc tamen differunt, quod asserunt, non ex puro igne, sed ex ignis æstu, & virulentioribus particulis concretos esse. Hanc opinionem tribuit mox nominatus Salamas priscis Joniorum & Persarum philosophis, qua vero fide, ipse viderit. Margia hæc triginta & unum peperit ova. Ex primo exclusa est Cattaba, a qua Cattabitæ, hactenus dici posteros, perhibent, illud nimirum Genitorem genus, quod sub felium apparens forma pueris noxam & damna afferre cona-

tur. Ex ovo altero orti sunt illi Genii Abalis Arabibus dicti, qui ob nimiam malitiam & nocendi procliviratem ad insulas desertas proscripti a Deo sunt Ex tertio nati sunt Algul, sive Alhilan, qui vastas solitudines, horrendas valles, densas, & asperas sylvas, ac ejusmodi loca colere gaudent. Isti a recto itinere deflectere viatores student accensis extra viam rogis, ut facilius ignis claritates illos decipiant. Aliquando etiam sese viatoribus jungunt, ac tamquam devios ad viam reducere fingunt, ducesque præbent se itineris, sed erumpente aurora ejusmodi evanescunt duces, ac se deceptos animadvertunt sero viatores. Qui hoc suspicantur, statim atque ignotus occurrit ipsis noctu itineris socius aliquis, hoc recitant distichon,

O tu, qui noctu aberras,
Cujus custodiæ amasiam reliquisti?

Quo pronunciato, statim spectra hæc evanescunt, ut sibi persuadent Arabes, & ad inculta sese, ut prius, recipiunt loca. Ex quarto ovo Sohalæ procreatæ sunt, scilicet Lamiæ, veneficæ, striges, & id genus, quæ in balneis, sterquiliniis, ac latrinis latitare in deliciis habent. Ex quinto genus deducunt omnia venenata, & lethifera animalia, quæ passim in aere apparere solent sub alatorum serpentum forma ad illum inficiendum. Ex sexto illi Genii exclusi sunt, qui tempestates, turbines, & procellas excitare consuescunt, quemadmodum ex septimo, qui pestiferos & urentes ventos commovent, & inflammant. Ex octavo suscepti sunt illi, qui Alhavatefo dicuntur, nempe voce compellantes, quia viatores compellant nulla conspecta compellantis personæ forma. Ex nono exclusus est Aladharo, qui Incuborum & Succuborum parens habitus est. Hos Ægypti superioris, sive Thebaidis, Arabiæ felicis, & provinciæ Gassan, quæ est pars Arabiæ Syriæ contermina, incolis maximam inferre molestiam, & incommoda consuetos esse perhibent. Qui ex Incubis & fœminarum congressu procreantur liberi, matris sequuntur formam, patris vero malitiam: hinc insita quadam vi, & naturæ impulsione nomina sibi adsciscunt, seu agnomina ipsis imponuntur patris indigitantia genium & genus, uti est hoc *Cacciadiavoli* id est expulsor diabolorum, quod alios scilicet expellere conetur, nec sibi similes, & æmulos dæmones ferat. Succubos quoque procreare liberos scribit libro *6. horti mirab. orbis* Salamas, refertque Bengiahami casum, qui inscius Succubum in uxorem duxit, pluresque suscepit filios. Hæc tandem comendatis patri natis e conspectu per aera evolans evanuit, nec amplius mariti repetiit Penates. Sunt qui scribunt, eum brevi confici, qui rem cum Incubo habuerit, non item qui cum Succubo. Ex reliquis ovis varia Geniorum exorta sunt genera, quæ singula referre longum satis, ac molestum esset.

Aliam loco citato refert Salamas de Geniorum generatione sententiam, nempe horum parentem nullam habuisse uxorem, sed ejus coxarum unam esse masculam, alteram feminam, ex quarum congressu quinque peperit ova. Ex primo exclusit filium nomine Hava, qui Sectarum & Hæresum auctor extitit, ac est. Ex secundo alium Cahcah nominatum, Idolorum & Idololatriæ patronum. Ex tertio natus est Cahtan doli & fraudum architectus. Ex quarto Zalium adulteriorum, fornicationum, stuprorum, & id genus suasor. Ex quinto Zanin ad ignaviam, desidia, & susurrationes impulsor.

Hujusmodi porro Geniorum, spectrorumque visionibus & Larvis non modo illusi sunt Arabes, sed eorum quamplures cum illis congressi sunt atque occisi. Halcama filius Safuani maternus proavus Marovani filii Alhoemi, qui undecimum inter Caliphas obtinuit locum, singulari certamine cum genio quodam sive Larva congressus est, in quo uterque corruisse dicitur. Res ut Arabibus notissima refertur a Masbudio. Harbum quoque filium Asiæ a Geniis occisum fuisse in vastissima solitudine, hoc Epitaphium ejus sepulcro ab iisdem inscriptum testatur:

Sepulcrum Harbi in hoc deserto positum est loco,
Nec prope sepulcrum Harbi aliud conspicitur sepulcrum.

Ferunt neminem posse hoc epitaphium ter successive recitare sine trepidatione & linguæ hæsitatione, & hoc quidem, quia a geniis sit compositum. Verum certissimum est istud provenire ex Arabicorum verborum cacophonia & syllabis, dictionibusque succussantibus, quæ celeri pronunciationi præsertim ac concitatæ impedimento esse solent, ut in hoc Latino:

O Tite tute tati tibi tanta tyranne tulisti.

Alharidus etiam, qui poeticæ peritiæ summam adjecerat musices artem, sæpius monitus a Geniis ne versus quosdam caneret, & non desistens ab ipsis occisus est. Idem Madraso filio Abihameri poetæ celeberrimo accidisse perhibent. De Larvis illis quæ totis noctibus lamentatricum officio funguntur ad sepulcrum Hatemi Taitæ, liberalitate notissimi viri, singula quæ narrantur hic referre mihi & lectoribus molestissimum esset. Isthæc omnia fuse prosequitur Salem filius Zataræ Garanita in poemate Hodiæ filio Hatemi inscripto, quemadmodum & Abubacrus Doraidus, Abuharemus Sagestanus, Abuhobaidus Mohmarus, & alii. Pseudoprophera Dæmoniacus non modo Genios ac Dæmones sibi apparuisse non semel in Alcorano affirmat, sed etiam eosdem magistros & discipulos se adhibuisse jactat. Algazel quoque non ab aliis Alcorani difficiliorum locorum explicationem se habere potuisse testatur apud Salamas, quam a comparentibus sibi Geniis & Dæmonibus. O Lex Alcoranica talibus discipulis digna & magistris!

Frequentius Arabibus Larvæ & spectra Geniorum apparebant, at frequentissime sub Mahometi natalibus, ut Mashudius, & quotquot de hac re scripserunt testes sunt locupletissimi, itaut improbi pseudoprophetæ hujus in Mundum adventus recta Christi Domini adventui oppositus fuisse videatur. In adventu quippe Domini Angelus apparuit pastoribus, & evangelizavit eis gaudium magnum, *Quia natus est vobis*, inquit, *hodie Salvator, qui est Christus Dominus. Et subito facta est cum Angelo multitudo militiæ cælestis laudantium Deum, & dicentium: Gloria in altissimis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis*. Edito vero in lucem terrarum orbis pernicie Mahometo, lætissimi palam visi sunt Dæmones, & Genii tamquam de discipuli & collegæ ejusdem legis promulgandæ natalibus gratulabundi. Quam autem seduli & diligentes in eo mature instituendo sese præbuerunt, qui ejus descripserunt vitam diserte docent. Nam quadrennis factus, cum aliquando extra vicum in agro Mechensi positum, ubi Halimæ Saaditæ nutriendus traditus erat, cum aliis pueris lusum isset, a duobus Geniis improviso apparentibus capitur, ac supinus prosternitur humi, ac si eum essent Genii illi mactaturi. Hoc viso refugiunt alii pueri, elatis ad sydera clamoribus, & quod accidit, nutrici trementes narrant. Quæ confestim eo accurrens cum marito, puerum totum lacrymis perfusum reperit. Interrogantibus autem illis de infortunio, respondit: Illi duo viri qui apparuerunt improviso, mihi humi supine prostrato ventrem dissecuerunt, & nescio quod inseruerunt in illo, tum refecto subito ex oculis evanuerunt. His auditis nutrici maritus ait: Sine dubio in pueri hujus pectore suam collocavit diabolus sedem; quare matri quamprimum restituito illum, antequam Diaboli in ipso apparere incipiant opera. Hæc ad verbum fere ex Ismaele Seiahinsciah Mahometano auctore, cui omnes adstipulantur, excerpsimus.

Sunt aliqui tamen, qui Larvarum causas in astrorum ortus, impressiones, & figuras varias, & aspectus referunt, quæ per homœomeriam inferioribus his rebus ista imprimunt. Hinc, ajunt, cum oritur astrum illud, quod canis gigantis vocatur, canina grassatur rabies; & cum ursa, ursorum sæviunt morbi; pari ratione cum alia & alia oriuntur astra, alii & alii conspiciuntur effectus, quibus ejusmodi Larvæ accensendæ sunt. Hæc opinio suam apud Indos habuit originem, indeque ad Arabes effluxit, quam postea Abumasar non modo comprobavit, illi subscripsit, sed etiam ejus propugnator acerrimus factus est, ac fuse de illa egit in sua magna Isagoge,

ut Mashudius teſtis eſt, ubi quadraginta recenſet aſtra, quorum ortus, caſus, qualitates, impreſſiones, figuras & effectus ſingillatim deſcribit.

Alii volunt Larvas & ſpectra nihil aliud eſſe quam animalia quædam ex belluina & humana natura compacta, quæ interdiu humanum horrent commercium ob ſui corporis fœditatem & ferinam portionem; noctu vero apparent, viatores compellunt & alloquuntur, quia noctis obſcuritate ac tenebris deformitas illa humanis ſubducitur oculis. Si quid autem mali hominibus inferunt, id faciunt aut ferina compulſa portione, aut neceſſitate inducta, vel oblectatione aliqua allecta. Porro quis quotidiana, inquiunt, experientia vel leviter tinctus non videt, nos multo majoribus quotidie damnis affici a conſortibus quam ab his Larvis aut quibuſcumque aliis ferocioribus feris ac ipſis diabolis?

Nonnulli demum hæc omnia mera eſſe phantaſmata, & umbras imaginativæ potentiæ vi in animo noſtro formatas, & ad ſenſus emiſſas exteriores exiſtimant. In illiuſmodi enim horridis locis, in quibus hæc accidere ſolent, nos terroris aggreditur imaginatio, imaginationem ac terrorem atræ bilis agitatio ſequitur, ex qua falſo confeſtim exoriuntur phantaſmata, hinc voces, hinc clamores, hinc compellationes, hinc larvæ, hinc ſpectra, & id genus ſexcenta alia, quibus non aliter illudimur, quam capti mente, & phrenitide laborantes.

Equidem, ſi hic meam interponere liceret ſententiam, dicerem plura iſtorum ex imaginationis proficiſci agitatione, umbraſque eſſe & phantaſmata, ſed plura adhuc veriſſima eſſe, & ex ſacris Litteris probationem habere poſſe & robur. Unum Iſaiæ impræſens ſuffragatur nobis teſtimonium, qui cap. 34. ver. 14. inter ſpectra, quæ loca deſerta & horrida colere gaudent, Dæmonia recenſet: *Et occurrent dæmonia onocentauris, & piloſus clamabit alter ad alterum*. Hic vocabulum præterea, quod *piloſus* interpretatus eſt vulgatus, hebraice eſt שעיר *Sahir*, quod *hircum* quoque ſignificat, nec alia hujus ratio eſt, niſi quia Dæmon ſub ea forma frequenter apparere ſolet. Favent interpretationi noſtræ R. David Kimhi, & R. Salomon in Targum, ubi uterque vertit שדין Dæmones, Suffragantur Syriacus & Arabicus Textus. Primus: *Et Dæmon ſocium vocabit*; Alter: *Et ſpectra alterum in alterum occurrent.*

Atque hæc de Arabum utriuſque ſæculi perſuaſionibus impræſens ſatis dicta ſint, nunc ad Regum Gentis hiſtoriam ab origine uſque ad Mahometi tempora contexendam concedamus.

HISTORIÆ ARABUM
PARS ALTERA, QUÆ EST
DE IPSORUM REGIBUS.

REGIO illa, quæ Arabiæ nomine nunc dignoscitur, non unum antiquitus constituebat regnum, sed in plura dividebatur. Horum omnium regnum Jaman, sive Arabiæ felicis, amplissimum erat, & suorum regum potentia, & generis nobilitate, & fertilitate agri, & salubri cœlo aliis longe præcellebat. Ab hujus itaque regibus exordium sumendum nobis est, indeque ad cetera gradum faciemus.

DE ARABIÆ FELICIS REGIBUS ab ipsorum origine usque ad Mahometum.

CAPUT PRIMUM.

SUPERIUS jam dictum a nobis est, dum egimus de Arabum origine, Cahtanum filium Heberi Arabum gentis parentem & auctorem fuisse ac propagatorem, omniumque primum regium capiti imposuisse diadema. Huic defuncto successit Jaarab filius, qui regioni toti ex suo nomine nomen dedit & linguæ, quam non solum excolere primus cœpit, sed characteres & scripturam excogitavit, ut Mashudius, & alii testantur. Quamquam non desint qui arbitrantur Salomonem hos invenisse characteres, & Belkais reginæ Sabæ, quæ illis eadem ac Arabiæ est, ut suo loco fusius dicetur, tradidisse, cum illum in ænigmatibus & problematibus tentatum venit. Qua sine dubio traditione opinioneve imbutus ac persuasus Ctesiphon S. Jacobi Apostoli discipulus, vel quisquis ille fuit, antiquos Arabum characteres, quibus plumbeæ illæ laminæ, quæ apud Granatensium urbem in turre quadam repertæ fuerunt, sunt exaratæ, Salomonis appellavit in Latina historiola, quam una cum illis ibidem recondiderat. Huic opinioni præter Arabes suffragantur Syri & Chaldæi apud Jesudad Episcopum Hadrensem in præfatione Elucidationis Geneseos, ubi postquam pluribus contendit, ante Moysen nullas extitisse scripturas, nullosque characteres, subdit: *Quidam autem ajunt, quod quemadmodum ille* (Moyses) *primus excogitavit litteras Hebraicas, quibus Legem posuit, ita Salomon excogitavit characteres aliorum librorum sive scripturarum quos tradidit populis a quibus affectus est honoribus, & primum quidem Syriacę linguę* (characteres) *quos dedit Hiram Tyri*. Jaarabo ejus sufficitur filius nomine Jasahab, qui regni hæredem reliquit Habdsciames, videlicet *cultorem solis*, qui postea ob acerrima bella finitimis illata gentibus, spolia ab illis reportata, easque in captivitatem ductas, Saba nuncupatus est, id est *direptorem*, *deprędatorem*; urbemque de suo nomine condidit Sabam, quæ universæ regioni indidit nomen & genti, unde Sabæi sunt dicti Arabes. Eruditis-

simus vir Samuel Bochartus in præfatione prioris partis Geographiæ sacræ, seu Phaleg, Arabes Sabæos a captivitate dictos vult, quia ipsorum regi ex palatio suo prodire vetitum fuit sub pœna lapidationis. Sed profecto hæc non videtur Arabum esse sententia, cum nullus illorum ejus legis mentionem fecerit, & contrarium ex singulorum regum rebus gestis constet liquido, cum summo imperio & libertate regio functi sint munere. Nec *Saba* vocabulum Arabibus significat inclusum, aut in carceribus detentum esse, sed in captivitatem ducere, rapere, diripere, spoliare, & ejusmodi. Itaque Sabæi dicti sunt Arabes, id est latrones & deprædatores. Decedente autem Saba regni sceptrum suscepit Homairus filius, princeps liberalitate ac magnanimitate celebratissimus inter Arabes. Eo vocabulo nuncupatus est, quod rubrum denotat, quia rubris vestimentis maxime delectabatur, illorumque invenit usum. Rerum potitus Thamuditarum gentem ex Arabia felice ad Hagiazum expulit armis. Eo defuncto sufficitur frater illius Cahlan, post quem ad Vathelum Homairi filium rediit imperium, cui successit ejus filius Alsacsac, quem sequutus est Jagphar. Hunc regno expulit Durias filius Naran, filii Haufi, filii Homairi, quem deinde convocatis undique Arabum auxiliis vita & regno privavit Alnaamanus filius Jagphar, filii Alsacsac, filii Vatheli, filii Homairi, paternumque recuperavit regnum. Hic *pungentis* agnomen adeptus est, quia in suo quodam distiche dixerat:

Si negotia punxeris *fortiter urserisque,*
Ad priscorum principum facile pervenies virtutes.

Paulo aliter hoc distichon legitur apud Ismaelem Sciahinsciah.

Si violentius negotia punxeris & quam par est,
Altos principum supplantabis facile pedes.

Post Alnaamanum Asmachus ejus filius thronum occupavit, quem subsequutus est Sadadus filius Hadi, filii Almatati, filii Sabæ. Is multa commisit cum finitimis prælia, & quidem acerrima, itaut præter totam Arabiam, Africam quoque usque ad occidentis solis terminos subjugaverit. Plures condidit ubique urbes, miraque excitavit ædificia, quorum descripta ab auctoribus vestigia & cadavera omnem propemodum excedunt humanam fidem. Inter plura admiratione digna, hoc unum refert Ahmetus filius Mahometi, filii Abrahami Thoalabensis in libro quem inscripsit: *Confirmatio demonstrationum de Alcorani narrationibus*, ubi citat etiam Mansurum filium Sciahbani, atque Abivajelum. Refert, inquam, Abdallahum filium Balali, dum amissam quæreret camelam in solitudine Anuani, improviso incidisse in urbem quamdam altis amplisque mœnibus vallatam, quam cum esset ingressus, vacuam civibus comperit, ingentes vero tituli ubique sese admiranti offerebant. Stuporem augebant ædificia & palatia super smaragdinis ac jacynthinis excitata columnis. Cubicula ex auro purissimo argentoque constructa conspiciebantur; pavimentum variis constratum erat gemmis & unionibus; portæ stellis ex pyropis, seu rubinis & jacynthis emicantes constabant. Flumina hanc urbem irrigabant varia; horti, arbores, ac fructus diversi generis deliciarum, & pulchritudinis compendium ac summam complebant atque absolvebant. Urbem semel bisque perlustravit Arabs, acceptisque iis quæ ex tot divitiarum cumulis potuit, & lubuit ipsi, in Arabiam felicem reversus est. Quod percipiens Moavia tunc gentis princeps, accersitum hominem de re curiose percontatus est, cui non solum omnia fideliter ille narravit, sed sua dicta, unionum, pretiosissimarum gemmarum, aliarumque exoticarum rerum præsenti testimonio & exhibitione firmavit. Qua de re ut certior esset Moavia, Caabalahbarum, virum rerum antiquarum peritia & cognitione celeberrimum, tunc habitum interrogat, qui respondit eam esse urbem Sadadi filii Hadi, quam ibi ad similitudinem terrestris Paradisi construxerat, sed antequam eo pervenisset ut ejus frueretur deliciis, animam efflavit. Hujus cadaver inde translatum in specu montis Hadhramuti condidit ejus filius ingenti erecto monumento, quod sic describit

mox nominatus Thoalabensis ex relatione cujusdam Bastami, ac illius socii. In ipso specu, inquit, vestibulo sese gradus offerunt intranti fere centum, singuli altitudinis staturæ humanæ, per quos ad fornicem in montis rupe excavatum, centum cubitos longitudinis, totidem altitudinis, ac quadraginta latitudinis, descenditur. Lectus ibi conspicitur fornicis longitudinem exæquans, in quo ejusdem magnitudinis jacet humanum cadaver. Ad hujus caput tabula pendebat aurea, in qua Sadadi res gestæ ordine narrabantur. Tabulam autem hanc cum multis aliis magni pretii rebus auferentes Bastamus ille cum socio in Arabiam asportaverunt. Nos autem, subdit Caabalahbarus, in nostris legimus historiis hanc urbem repertum aliquando iri a quodam homine Moslemano, qui sine dubio hic est, indigitato Abdallah filio Balali, de quo mox mentio facta est. Quinam autem fuit Caabalahbarus iste jam indicare præsenti data occasione forte a nostra narratione haud alienum est. Is fuit genere Judæus, professione Rabbinus, qui Mahometi implacabiles excitavit suis versibus iras, præsertim illo poematis ad Begiairum fratrem, qui pseudoprophetæ nomen dederat, versu:

Propinavit tibi Mahometus calicem sua ebrietatis.

Ex quo suis edixit pseudopropheta, ut Caabalahbarum, ubicumque terrarum repertus fuerit, interficerent. Ille ergo cum nullum evadendi videret locum, aut consulendæ saluti, Mahometum adiit, illoque prius salutato, formulam impiæ religionis publice pronunciavit, scilicet: *Testificor unum esse Deum, & Mahometum Apostolum Dei.* Qui antequam securitatem illi daret versum illum proferre ac recitare palam jussit, quem ita pronunciavit.

Propinavit tibi Abubacrus calicem sua ebrietatis.

Negavitque se dixisse: *Propinavit tibi Mahometus*. Hoc tamen non placuit, nec ardentes extinxit iras. Quamobrem Amasiæ cujusdam pseudoprophetæ nomine Saad, quæ longe tunc aberat, laudes & encomia, ut Poeta disertissimus, celebrare decrevit. Bene enim animadvertebat, nullo alio magico carmine pseudoprophetæ animum demulceri magis, ac tam maxime posse, aut alio irarum averri flammas, quam amoris. Quod sane ex animi sententia ipsi cessit, quippe non solum poemate recitato obtulit ei securitatem, sed etiam omnibus iis qui illud legerint, recitaverint, vel audiverint, audacissime suum pollicitus est paradisum. Insuper suo pallio poetam donavit, quod postea Moavia Imperii, rerumque Moslemanorum potitus triginta aureorum redemit millibus, quo & ipse & successores in celebrioribus solemnitatibus uti solebant. Poema ita incipit:

Longe Saad abiit, ideo cor meum est mæstitia affectum,
Trahiturque post ejus vestigia catenis amoris vinctum.

Sunt Judæorum nonnulli, qui asserunt Caalabahbarum istum Mahometo post Sergii Monachi adhæsisse, non animo amplectendi ejus religionem, sed ut eloquentia Judæorum religioni ac rebus apud illum consuleret. Et sane liquido constat Alcoranum legentibus, eum librum Hebræorum cæremoniis, ritibus, næniis ac fabulis confertum atque consarcinatum esse; eorum Textum haudquaquam litteralis corruptionis insimulatum, ut quidam perperam arbitrantur, sed pravæ ac falsæ interpretationis. Quæ omnia, ac alia similia, Alcorano hujus Caabalahbari opera in Judæorum gratiam insinuata sunt.

Defuncto autem Sadado, in fratris nomine Lacman, potestatem regni devenit sceptrum, cui Dusadad successit frater, qui hæredem Haretham reliquit filium. Huic *profusoris* cognomen inditum est, quia rediens ex bello cum ingenti præda ab hostibus reportata, in cives bona illa omnia liberalissime profudit. Decedenti Harethæ suffectus est ejus filius Dulcarnain, id est *Bicornis*, de quo Mahometanorum nonnulli Alcoranum locutum fuisse volunt, non quidem de Alexandro Macedone, qui eodem denotatur apud Arabes nomine, cujus rei rationes retulimus in notis ad nostram Semitam sapientiæ; non desunt vero qui

locum Alcorani de Alexandro intelligendum esse contendunt. Sequitur Abraha Bicornis filius cognomento Dulmanar, scilicet *Pharorum auctor*, quia omnium primus ad Sinum Arabicum & Occidentalem Oceanum Pharos extrui curavit, ut ad portus tutius noctu naves appellerent. Africus paternum occupavit regnum, qui urbem quam condidit, ex suo nuncupavit nomine, ex quo tum tota regio Africa dicta est. Eo fatis concedente regni gubernacula suscepit Hamarus ipsius frater, qui Duladhar cognomen adeptus est, nimirum *scelerum patrator*; quamobrem regno expulsus est, substituto Sathabilio ejusdem stirpis homine, unde acerrima bella inter utriusque factionis homines commissa sunt, in quibus victoria tandem cum regno Sarhabilo cessit. Hic regnum reliquit Alhadhado filio, cui defuncto sine masculina prole successit Balkais ejus filia, fœminarum sui temporis pulcherrima & sapientissima. Ista non solum ex omnium Arabum fixa sententia, sed multorum aliorum etiam habetur pro illa regina Sabæ in sacris celebrata Scripturis, quæ Salomonem adivit, ut illum ænigmatibus & problematibus tentaret probaretque. Hanc autem sententiam argumenta duo & rationes confirmare omnino videntur. Primo, Sabæ nomen, cujus dicitur esse regina, toti Arabiæ provinciæ impositum fuit, ut supra notatum est, quod nomen Æthiopiæ aliquando inditum esse nemo hactenus affirmavit. Quod autem quidam ajunt de illa Æthiopiæ urbe hujus nominis, perridiculum est, quia a regnis dicuntur reges, non ab urbibus præsertim ignobilibus ac pene ignotis, qualis est hæc, cum vix certum sit reperiri in tota ea regione ejusmodi urbem. De differentia punctuationis Hebraicæ hic non dissero: consule sacrarum Litterarum commentatores. Alterum argumentum, quod huic opinioni dat robur maximum & firmamentum est fœminæ acerrimum illud ingenium, ac sciendi discendique studium, quo Arabes quamdiu genus humanum fuit, flagrarunt; ubi contra Æthiopes & ingenio sunt stupidi ac semper fuerunt, nec discendi ullo tempore tracti sunt desiderio aut cupiditate. Fabulas, apologos & lenocinia, quæ inter Upupam avem, reginam Balkais, & Salomonem regem intercesserunt, ut serio illa narrat Alcoranus & Alcorani auctor Mahometus, hic lubens prætereo, recensebuntur enim a nobis alibi inter scelestissimi ac nugacissimi impostoris tricas atque ineptias. E vivis decedente Balkais, regnum obtinuit Basernaem ipsius avunculus filius Sathabili, quem quidam nominant Malechum filium Amri, filii Jagfu, filii Amri, ex progenie Mantabi filii Zaidi Homairitæ. Is occiduas invasit plagas, tantumque progressus est, donec pervenit ad torrentem quemdam arenarum, qui instar fluminis rapidissimi excurrere fertur, ita ut illum trajicere nemo valeat. Illo autem consistente ac rei admirante novitatem & inusitarum præter naturæ ordinem cursum, arenarum fluxio stetit. Suorum tunc mandavit nonnullis, ut illum transfretantes, certa inde nuncia sibi referrent. Illi principis jussa exequentes trajiciunt torrentem, sed numquam amplius sunt reversi, ex quo eos periisse conjecit. Et ne aliis hoc idem accideret, titulum æreum inibi erigi curavit cum hac inscriptione:

ULTRA HAS ARENAS NULLA SECURA VIA EST.

Parenti sufficitur Samarbargas, quem nonnulli faciunt filium Africi, filii Abrahæ Dulmanari. Vivebat hujus tempore Bastasus Persarum rex, qui Samarbargæ imperio submittere fasces coactus est, tributumque pendere. Eodem tempore florebat Zoroaster, ut quidam perhibent, magorum princeps ac parens, ut suo loco in secunda classe regum Persarum dicetur. Samarkendam celeberrimam urbem armorum vi expugnavit, destruxitque, hominum infinita propemodum multitudine cæsa. Inde Sinarum petens regionem iter aberravit, ac siti una cum suis interiit. Quo mortuo suffectus est filius ejus Abumalechus, qui accipiens esse in Occidente torrentem quemdam præstantium smaragdorum

quam-

quamobrem aviditate ductus eo proficiscitur, sed antequam eo perveniret, mortuus est.

Post hunc translatum est regni sceptrum a filiis Homairi filii Sabæ ad filios fratris ejus Cahlani. Inter hos primus regnavit Hamram filius Hamu Azdensis, filii Hamer, filii Charne, filii Amri, filii Thaalaba, filii Mazan, filii Azadi, filii Alganti, filii filiæ Malechi, filii Adad, filii Zaidi, filii Cahlan secundi geniti Sabæ. Hamrano successit ejus frater Hamtus, qui Mazichia, id est *lacerans*, cognominabatur, quod singulis diebus novis vestimentis utebatur, & quæ semel gesserat, lacerabat, ne alii iis uterentur. Sahidus autem Africanus & Hamza Aspahanensis in suis Chronicis tradunt ante Hamranum & post Abumalechum regnasse Alacranum filium ejus, tum filium Alacrani Duhisanum, qui Samarkendam urbem quam destruxerat Samarbargas instauravit, & feliciori successu ad Sinarum penetravit regionem, eamque expugnavit, & matricem destruxit urbem, occisa ubique infinita propemodum hominum multitudine, novamque condidit civitatem, in qua triginta colonorum millia ex suis reliquit, quos hactenus inibi Arabum vivere more, & Arabicam loqui linguam, tradit Hamdanus in Historia inscripta *Memoria Gentium*. Tempore hujus Aram fluvius totam ferme Arabiam felicem inundavit atque vastavit, ut quæ olim ob cælum saluberrimum, fructuum omnis generis copiam & præstantiam, ac ea omnia quæ ad vitam humanam feliciter transigendam faciunt, Felicis nacta nomen, provinciarum omnium miserrima haberetur. Res notatu digna est: citati referunt Auctores ex antiquissimis Arabum monumentis, quod ante illuvionem illam Serpentum nulla reperiebatur species, nulla Scorpionum, nulla Formicarum, nulla Pediculorum, nulla Pulicum, ac hujusmodi animantium generi humano infestorum; imo si aliunde eo asportabantur, statim atque ad ejus provinciæ terminos perveniebant, moriebantur: post illuvionem vero illam ingens hujusmodi animantium provenit copia. De hac illuvione mira narrant Arabum Scriptores, ejusque Pseudopropheta Mahometus mentionem facit in suo Alcorano. Mortuo Duhisano successit Tabahus frater ejus major, huic vero Clicarbus ejus filius, cui tum suffectus est ejus patruelis Tabahus minor cognomine Abucarbus, qui omnes Arabiæ Felicis Principes viros neci tradidit. Suscepto autem totius regni absoluto regimine, suum patruelem præfecit Hagiazi provinciæ, in qua plures Judæi degebant, quos pessime accepit, eoque subditorum provocavit animos & iras excitavit, ut nulla habita suo Principi reverentia illum ignominiose trucidarint. Quod audiens Abucarbus eo cum centum suorum millibus profectus est, vindictam de interfecti patruelis morte sumpturus, totam enim provinciam ferro flammisque devastare decreverat. At patruelis tyrannidem & pessimos mores cum didicisset, re infecta reversus est. Hassanus Tabahi majoris filius mortuo avunculo Abucarbo in regno successit. Is Strabo erat luscus atque mancus, sed profecto omnium sui temporis strenuissimus, tantæque majestatis apud suos, ut nemo ipsi contradicere in re quapiam auderet. Confirmatus in regno omnes qui in sui patris conspiraverant mortem, neci ad ultimum tradidit. Quibus peractis expeditionem in omnes gentes ac nationes paravit, & peragrata ferme Perside tota atque Chorasane, & aliis provinciis subjugatis, ad Euphratem divertit, Chaldæam & Syriam invasurus. Quod exercitus duces ac principes animadvertentes summopere contristati sunt, amplius enim non poterant uxorum ac liberorum ferre absentiam & desiderium. At ea erat Regis majestas ac severitas, ut nemo ipsi de hujusmodi re loqui auderet, nec ipse Hamrus ejus frater, qui non minori desiderio redeundi ad suos tenebatur. Cum igitur diu res esset agitata inter Hamrum & Duces exercitus de impetrando a Rege reditu, & nemo ausus esset id ad se recipere, Hamro persuadere cœperunt, ut fratre interfecto sibi regni imponeret diadema, quo semper dignior ab omnibus habitus erat. Qui regnandi cupidine allectus in mortem consensit fratris, & accepto Du-

cum juramento , dormientem adoritur , & minime a fratre facinus hujusmodi suspicantem trucidat. Quod percipiens Darainus, qui solus inter Duces parricidium Hamro dissuaserat, infelix regnum, infeliciorem vitam, infelicissimam mortem ipsi prænunciat. Nec sane deceptus est, quia statim atque regni suscepit gubernacula , ita ab oculis somnus excussus est , ut nec vel momento temporis , quamvis dormiendi langueret desiderio, requiem capere posset. Consultis autem medicis & Sacerdotibus, hoc suscepit responsum : *Nemo injuste interfecit fratrem , cui Deus justus non immiserit vigiliam* . Tunc alta exclamavit voce : Hoc est consilium Ducum Homairitarum! Sed præter vigiliam tot tantisque laboravit morbis & calamitatibus, ut nec corpus exonerare posset , nisi a suis feretro ligneo efferretur, ex quo *Lignei* cognomen adeptus est. Quamobrem omnibus exosus factus, ut nec familiares, nec consanguinitate ei conjuncti illum amplius ferre possent, eamdemque talionis luens pœnam a suis interficitur, ejusque regnum suscepit Dusnater facinoris perpetrator , ut Aspahanensis , ac alii Historiographi perscribunt . Quidam post illum regnasse volunt Habdelal ejus filium , & post hunc illius fratrem nomine Alhareth, cui successit Marthad filius Habdelal. Marthad autem iste quatuor habuit filios, inter quos divisit regnum , & imposito singulis diademate, Reges eos nuncupari voluit. Isti accepto regno a patre Mecham proficiscuntur , ut nigrum lapidem ex ejus asportarent templo, aliudque in Arabia Felice conderent templum, ad quod peregrinarentur Arabes. At cum hoc percepissent Cananes ac reliqui ejus regionis Arabes, magna undique collecta hominum turba adversus quatuor Reges pro suo Templo ac lapide nigro pugnaturi procedunt. Commisso autem bello, tres cecidere Reges , quartus vero captus est. Quid autem fuerit Templum illud ac lapis niger, infra suo loco ostendemus. Superatis Regibus substituitur Tabahus filius Hassani, qui ab Hamro fratre fuerat interfectus, ut paulo supra diximus. Tabaho nihil magis cordi fuit, aut antiquius, quam vindictam de Cananibus aliisque Arabibus sumere pro debellatis quatuor Regibus, innumerum propterea cogere cœpit exercitum . Quod cum esset annunciatum Cananibus, qui fœdera pacis tractarent, mittunt, & pro singulorum Regum sanguine mille consuetos offerunt Camelos. Hoc quippe tempore Gentilitatis seu seculi ignorantiæ Regum sanguinis pretium erat , Ducum vero centum. Tabaho defuncto successit ejus filius Hamrus , qui omnes ferme principes viros nobiles ac strenuos quosque suæ gentis peremit. Tantam impietatem ægre ferens Rabiba ex prosapia Cablani secundi geniti Sabæ , eum e vivis sustulit, regnumque occupavit . Sed collectis undique Homairitis , aliisque gentibus ejusdem factionis adversus Rabiham , regno depulsus est , substituto Abraha ex Homairitarum genere. Huic successit Sabbanus , qui cecidit in bello, quod susceperat adversus Madraitas. Interfecto Sabbano sufficitur Alsabah Abrahæ filius, qui cum ducentis militum millibus Madraitas adorsus est , & vindictam de sanguine Sabbani sumpsit. Eo fatis concedente regni devenit sceptrum ad Dusnaterum hominem alienigenam legitimis depulsis regni hæredibus. Potitus regno totus adulteriis, ac turpioribus obscœnitatibus sese dedit , & elegantiores quosque juvenes, & puellas præsertim regalis stirpis rapiebat , & vi opprimebat . Aliquando nunciatum est ei Zarham cognomento Dunuas ex regia prosapia suæ ætatis esse elegantissimum juvenem ; quamobrem solita æstuans libidine ad se illum adduci jubet . Ille parere simulans regiis mandatis statim Dusnatero sese sistit. Cum vero in penetrale secessissent , educto Zarha gladio , quem sub vestibus absconditum tenebat , impium , atque exosum omnibus tyrannum e medio sustulit . Pro tam egregio facinore Zarham Regem salutant Homairitæ . Is in regno confirmatus Judaicam Religionem amplexus est , Evangelio , ac multis Christianorum millibus combustis , & eorum destructis Ecclesiis . Mashudus Scriptor Mahometanus refert in *Pratis aureis* , quod cum accepisset Zarha , (qui Judæus factus Joseph nominari voluit) in ut-

be Nahran provinciæ Jaman, sive Arabiæ Felicis plures esse Christianos, eo contendit, & accensis fornacibus hinc Judaicam Legem, hinc ignes Christianis proposuit. Cum vero multos Christianos in ignem conjecisset, adducta est mulier puerum septem natum mensibus gestans, quæ cum ignem formidaret, loquutus est ad eam infans, inquiens: *Mater, morere pro fide tua, nam post hunc ignem nullus erit ignis*. Insigne ac celebre testimonium a Mahometano Scriptore adductum ad Christianæ Religionis confirmationem. Zarha defuncto sufficitur Dugiadan ultimus Rex ex Homairitarum genere, in qua familia Arabiæ Felicis regnum perdurasse scribunt Arabum Historiographi annis 2020. Hic notat Ismael Sciahinsciah in *Historia Gentium*, ex auctore *Chronologiæ populorum*; antiquiores Scriptores non recensuisse omnia nomina Regum Homairitarum, neque quoto tempore singulos regnasse, hinc notatum tempus 2020. annorum cum hactenus enumeratis Regibus forte convenire non potest.

Eo tempore Felicis Arabiæ translatum est regnum ad Æthiopes. Hujus rei occasio ita fuit, ut referunt supra citati Scriptores. Zarha Dunuas cum Christianam renunciasset Religionem, Evangelium combussisset, & destruxisset Ecclesias, ac Christianos ad Judaismum impulisset, a Rege Æthiopiæ bello petitus est. Is enim Christianæ Religionis zelo permotus, eo Arbatam patruelem cum septuaginta militum millibus misit, qui brevi totam obtinuit Provinciam, magna fidei hostium cæsa multitudine. Fusis Arabibus, & de sua salute desperans Dugiadan sese in mare cum equo præcipitem egit. Atque ita regnum Arabiæ ad Arbatam Æthiopem devenit, qui regno potitus spolia inter duces divisit, militibus, ac pauperibus neglectis. Quare indigne ferens Abraha item Æthiops Arbatam occidit, & regnum occupavit. Audiens Nagasius Rex Æthiopiæ necem Arbatæ indignatus est maximopere, juravitque se montes, & planities sanguine Abrahæ sparsurum. Ille igitur cum tale Nagasii percepisset juramentum, vas quoddam implevit ex terra montium, & planitierum, quam suo madefecit secta vena sanguine; ad Nagasium misit facti multis rationibus contexens excusationem. Quibus placatus Nagasius Abrahæ ignovit. Sunt autem qui scribunt, Zarham Christo Domino numquam nomen dedisse, sed ex Gentilium castris ad Judaismum transiisse. Eo defuncto regnum suscepit Jacsum, cui successit Masruc filius Abrahæ, & is fuit Æthiopum postremus, qui regnum Arabiæ Felicis tenuit; rursus enim ad Homairitas devenit regni sceptrum. Nam cum valde premerentur Arabes ab Æthiopibus, Saiphum ex Homairitarum genere elegerunt, & aliqua pecuniæ summa collecta ad Cæsarem mittunt legatum, ut adversus Æthiopes suppetias impertaret. At Cæsar cum Christianus esset, suas copias adversus homines religionis ejusdem mittere negavit. Quamobrem Persarum adiit Saiphus Regem Cosdroam auxilia rogans. Sed nec ipse efflagitanti ac supplicanti acquievit. Cum vero decem aureorum millia ipsi erogari jussisset, ait Saiphus lacrymis subortis: *Aurum, o Rex, abs te non postulo; auro enim mihi opus non est, cum totius regionis meæ terra aurum sit & argentum, sed auxilia tantum postulo a Regum maximo*. Tunc miseratione motus Cosdroas postulata auxilia promisit, & lenibus solatus hominem verbis. Dum autem de expeditione agebatur apud Cosdroam, id consilii procerum quidam dedit: Consulo, Rex, ait, in re tam incerta, ut cum homine eos tantum mittas, qui ob patrata crimina morti sunt adjudicati; qui si victoriam reportabunt, accedet in tui Imperii augmentum, sin vero peribunt, tuo honori aut Imperio nihil decedet. Consilium Cosdroæ & Principibus viris non parum placuit. Quamobrem carceribus lustratis tria millia sexcenti viri sunt comperti qui ad prælium apti habebantur. His strenuum præfecit Rex Ducem nomine Vahraz, qui centesimum tunc & unum agebat annum, sed viribus adeo in ætate pollebat, ut ejus arcum nemo præter ipsum tendere valeret. Conscensis igitur navibus brevi secundo vento sinum Persicum trajiciunt. Saiphus qui suum adventum suis renunciaret, præmisit, ...

nulla interposita mora obviam occurrerunt ad tempus & locum conductum supra viginti armatorum millia. His Masruc cum suis copiis obviam ivit, & cum prius magnum conscendisset Elephantem, postea Equum, tum Mulum, optimum omen sibi augurati sunt Arabes, eo quod a majori ad minus animal descenderit exercitus Princeps. Nec vanum fuit omen, quia bello commisso Æthiops miles terga dedit, & Masruc ipsorum Dux telo percussus cecidit. Debellatis Æthiopibus, & in deditionem accepta urbe Saga, portam dirui Vahraz Persa jussit, ne eam inclinato capite ingrederetur. Quod cum executioni esset mandatum, & ingressus præeuntibus regis Persarum vexillis explicatis, ait Saiphus: *Jam actum est de regno Homairitarum in æternum*. His ita gestis, misit Vahraz qui Regem certiorem facerent de victoria reportata ab hostibus, misitque simul eidem auri, argenti, gemmarum, ligni Aloe, Ambræ, aliarumque rerum pretiosarum ingentem copiam. His acceptis, Vahrazo scribit Cosdroas, ut præfecto Saipho provinciæ, quamprimum in Persidem remearet. Saiphum infinitis encomiis exornarunt Arabes & carminibus celebrarunt, cum ob recuperatum regnum paternum, & patriam libertati restitutam, tum ob dona ac munera quibus multos liberalissime donavit. Verum non diu fruitus est regno, quod tantis laboribus & periculis occupaverat, quia quos inter intimos ac familiares admiserat Æthiopes, dolo eum intetemerunt. Cosdroas autem hoc percipiens nequaquam Reges in Arabia constituere voluit amplius, sed Provinciam per Gubernatores suos regere statuit, quorum postremus nomine Badhan sub Pseudopropheta Mahometanam Religionem professus est. Atque hæc de Arabiæ Felicis Regibus ex Arabum Scriptorum monumentis excerpta pro ratione præsentis nostri instituti sufficiant.

DE HIRÆ, SIVE ARABIÆ MARITIMÆ

REGIBUS.

CAPUT SECUNDUM.

PRIMUS qui in Hira provincia regnavit, quemadmodum tradunt Ismael Sciahinsciah, Sciahrestamus, Sahidus Africanus, & alii in suis Historiis & Chronicis, fuit Malechus filius Faemi, filii Ganemi, filii Dus, filii Adnani, filii Abd-allahi, filii Vahrani, filii Caabi, filii Hareti, filii Caabi, filii Malechi, filii Nasri, filii Lazadi, ex nepotibus Cahlani secundi geniti Sabæ, regnavitque ante tempora Cosdroarum Persidis. Ei succedit ipsius frater Hamrus, cui ejus ex fratre nepos suffectus Giadima, id est *Leprosus*, & eo nomine dignoscebatur, quia dudum lepra laboraverat. Hic Persarum debellavit Reges, multasque circumvicinas subjugavit gentes. Sub iis temporibus Mesopotamiam regebat, superioresque Chaldææ Euphrati adjacentes regiones, ac Orientalem Syriam vir quidam Amalcita nomine Hamrus, quocum acerrima commisit prælia Giadima, cui tandem victoria cessit Hamro occiso. Huic cum nullos liberos mares reliquisset, suffecta est filia Najela cognomine Reba, mulierum suæ ætatis speciosissima, sed non minori prudentia prædita erat. Quæ cum sibi regnoque non parum timeret, ac præsertim a Giadima, duas ad utramque Euphratis ripam construxit urbes munitissimas. Ex ea vero, quæ solitudinem respiciebat, quam sororis commiserat curæ, fecerunt suffoderat cuniculum ad desertum usque, ut quoties necessitas exigeret, eo saluti consuleret. Rebus ita dispositis, sese ad paternum sanguinem armis vindicandum convertit: sed sorori consilium non fuit probatum, quia belli, inquit, finis & exitus incertus est, sæpe in debiliores in-

clinat partes, sæpiusque faver injustis. Quamobrem sanius certiusque consilium est mea sententia, ut dolo hostem perimas, quod facile obtinebis, si ipsi significabis per legatos, te maximopere ejus exoptare connubia, ut ex duobus regnis unum fiat inexpugnabile. Consilium minime Reginæ displicuit, legati mittuntur, annuit libentissime Giadima, qui ipsi erant a consiliis id approbant præter unum Cosairum, qui muliebrem legationem nequaquam dolo carere reclamabat. Sed unius spreto, cæteris consilio stetit Rex, eoque quamprimum proficiscitur. Cumque regni Rebæ esset ingressus limites, obviam habuit Reginæ nuncios cum ingentibus donis ejus erga Regem animum & amorem attestantibus. Tunc Rex Cosairo, qui tale connubium dissuaserat, ait: Quid nunc tibi videtur? Cui ille: Animalia prius alliciuntur esca, tum capiuntur. Contra fatorum decreta subdit Rex, nihil valent mortalium consilia. Ultro itaque procedenti, & ad regiam Rebæ appropinquanti urbem infinitus propemodum occurrit equitatus, tunc quasi suorum malorum præsagus animus intrepidus olim jam in medio pectore tremere cœpit. Consilii inops ad Cosairum conversus ait: Quid nunc tibi consilii restat? Respondit Cosairus: Consilium post dorsum reliquisti, nunc illud ante quæris? Sed quid tibi in tanta necessitate videtur? ait Giadima. Quid obrendit is equitatus, honorem, an Reginæ dolum? Cui Cosairus: Si equitatus, postquam salutatus fueris, præibit ad honorem tibi deferendum, eum missum credas, nullusque subest dolus: at si utrumque tuum claudet latus, certissimum insidiarum hoc erit signum. Salutato igitur Rege, utrumque latus longo ordine clausit equitatus. Cosaire, tunc rex ait, Consilii & remedii quid tibi superest? Conscende, respondit, equam tuam Hasam, in qua sola nunc tua reponenda est salus, incitatoque cursu tua repete regna, nam ad similes hæc est reservata casus. Equa ista tantæ velocitatis fuisse fertur, ut nullus equus, vel equa in tota esset Arabia, quæ illam aut antevertere, aut pertingere posset. Ea igitur conscensa concitato cursu sua regna repetit Giadima, & quamvis ubique equitum paratæ essent insidiæ ad capiendum fugientem, id frustra tentatum est ob equæ velocissimum cursum. Sed fata aliter disposuerant, ut prædixerat ipse. Nam postquam per triginta millia passuum cucurrit equa, tandem stetit mingendi compulsa necessitate, atque ira Rex capitur ab insidiis ibi paratis, & ad Rebam ducitur Reginam. Quæ statim ejus secari venam jubet, & evacuato sanguine moritur.

Giadima defuncto successit Hamtus ejus ex sorore nepos. Giadima enim sororem habuit suæ ætatis pulcherrimam, ut scribit Sciahinsciach, & Sciahrestanus, nomine Racas. Hæc Hadium Regis pincernam deperibat, ac ille vicissim ipsam. Amoris igitur illa impatiens Hadio dixit: Cum Regem aliquando ebrium ac lætum videris, pete me in uxorem. Ille itaque occasione nacta sibi non defuit, sed cum Rex esset quandoque lætissimus, ipsique dixisset: Quæcumque dona & munera a me petieris pro lautissimis vinis quæ mihicomparas, habebis, respondit illi: Unum instar omnium rogo, ut mihi Racas sororem tuam concedas in uxorem. Rex itaque vino lætus, nullis interpositis moris, Notario adscito, matrimonii contractum scribi jubet, & eadem nocte consummari voluit. At sequente die excussa ebrietate, & dolum subesse conjectans, Hadium capite plecti mandat. Et cum sororem reprehendisset, regi his versibus respondit illa:

Me nescientem matrimonio tradidisti,
Et mulieres, ut me ornarent, induxisti:
Hoc non mihi, sed mero est tribuendum,
Ebrietati, tuæque stultitiæ.

Ex eo matrimonio elegantissimum habuit Racas filium non minus sibi quam regi gratum, quem Hamtum vocarunt, & regio cultu educari curarunt, tamquam regni hæredem, si regia deesset proles. Multa de Hamto isto fabulantur Arabes, deque illius raptu a Geniis, quæ prolixitatem vitantes omittimus. Hamtus Co-

fairi, de quo fupra dictum eft, infidiis Rebam Reginam vita & regno, fpoliavit Giadimæ Avi vindictam fumens. Hamro extincto ejus fuccedit filius nomine Amrilcais cognomine Albadi, id eft principium. Eo defuncto fubftituitur Hamrus illius filius, & huic Aus filius Calam Amalacira, cui fucceffit Amalacita alius anonymus. Poft hunc regno reftitutus eft Amrilcais fecundus ex Hamri profapia, cognomine Comburens, quod primus Arabum fupplicium ignis induxit. Quo extincto regnum fufcepit Alnaamanus ejus filius, & eft ille, qui duo illa palatia in tota Arabia celeberrima & admiranda conftrui curavit, quorum unum appellavit *Havizanec*, alterum vero *Sadirum*. Hujus ædificii caufa fuit. Jazdargedo Saporis Regis Perfarum filio nulli diu vivebant liberi, fed quotquot nafcebantur, moriebantur ftatim. Confilio igitur Medicorum ad Alnaamanum mittit Bahram Giur fuum filium, ut illum educaret, ubi cælum totius Arabiæ falubertimum. Alnaamanus igitur ut morem Regi Perfarum gereret, in loco omnium faluberrimo, & cunctarum affluentiffimo deliciarum ea condidit Palatia. In illorum ædificiorum ftructura ufus eft Alnaamanus opera Sanmari Architecti peritiffimi, qui cum omnes videret ejus admirari & laudare opus, dixit: Si dignam opere mercedem mihi promififfet Alnaamanus, profecto tale excitaffem ædificium, quod movetetur ad motum Solis. Quo indignatus Alnaamanus eum præcipitem agi juffit, quod caufa non poftulatæ mercedis, tam admirabile ædificium non condidiffet. Alii ferunt, eum dixiffe: Palatia illa ea arte effe conftructa, ut uno lapide, quem ipfe folus fciebat, amoto, totum corrueret ædificium. Cui Alnaamanus, ne igitur aliis indices tantum arcanum, meritas plectito pœnas; quo dicto, illum præcipitem egit. Quodam autem die ingreffus Alnaamanus hortos, qui circa ea palatia late extendebantur, & florum contemplatus colorum, fpecierum, ac pulchritudinis varietatem ad fuos dixit: Hæc mira pulchritudo tenditne irreparabiliter ad corruptionem & finem? Marcefcetne hæc elegantiffima fpecies? Cui, maxime, ajunt, & præterita funt nobis futurorum certiffima exempla. Quodnam igitur, fubdit ille, bonum ab eo regno expectandum erit, cujus finis eft corruptio? Statimque, hoc dicto, ad loca deferta fe contulit, regno abdicato, & vitam eremiticam ufque ad mortem ibi egit. Al naamano fufficitur filius ejus Almender, qui vitam produxit ufque ad tempora Pheruzi filii Jazdargedi regis Perfarum. Eo extincto regnum fufcepit ejus filius Alafuad, qui reges Gaffan debellavit, eorum expugnato regno, & fuæ ditioni addito. Hic fibi fucceffotem reliquit fratrem Almenderum, cui fucceffit Halcama ex eadem ftirpe, fed non linea. Poft hunc regnum fufcepit Amrilcais filius Alnaamani, qui ad eremiticam vitam fe contulerat. Illo extincto fucceffit ejus filius Almender, & huic ejus filius Hameus, tum ejus frater Kabus, & illi alter frater Almender. Eo defuncto fufficitur Alnaamanus ejus filius cognomento Abukarbus, qui Chrifto nomen dedit cum matre Salma, regnavitque viginti-duobus annis, ceciditque in bello, quod caufa Religionis cum Cofdroa Bazuizo rege Perfarum fufceperat. Alnaamani mors nequaquam bellis finem impofuit inter Arabes Chriftianæ Religionis ac Gentiles, quorum partibus favebat Cofdroas, fed incrementum potius dedit, donec tandem Cofdroas prævaluit, & hominem fuæ factionis & perfuafionis præfecit Provinciæ nomine Ajas. Sexto menfe regni Ajas fuum Alcoranum Pfeudopropheta Mahometus, ut divinam legem fibi a Deo traditam evulgandam hominibus prædicare cœpit.

DE REGIBUS GASSAN.

CAPUT TERTIUM.

SUAM Gaſſanitæ originem ducunt ex Arabia Felice, ex progenie Cahlani ſecundi geniti Sabæ, ut ſcriptis ſuis prodiderunt ſupra citati Arabes Scriptores. Iſti Arami fluminis, de quo ſupra dictum eſt, fugientes illuvionem ad Syriam Arabiæ conterminam appulerunt, & divertentes ad fontem quemdam nomine Gaſſan, ex eo Gaſſanitæ poſtea cognominati ſunt. Eam provinciam neceſſitate impulſi brevi debellarunt, & expulſis incolis, eorum occuparunt ſedes. Primus, qui hos inter regis inſignia uſurpavit, fuit Giafena quadringentis, ſive ut quidam malunt ſexcentis ſexdecim annis ante Mahometiſmum. Eo extincto ejus conſtituitur filius Hamrus, qui ut ſcribit Iſmael Sciahinſciah, multa condidit in Syria Monaſteria, inter quæ celeberrima habentur Monaſterium Giabi, Monaſterium Job, & Monaſterium Hend. Huic ſucceſſit filius Thaalabæ, tum hujus filius Hareth, tum Giabela Harethi filius, qui pontes quamplures conſtrui curavit. Ipſi ſuccedit filius Hareth, habitavitque urbem Balka, in qua mirabiles conſtruxit aquæductus. Sequitur poſt hunc Almender major filius Harethi, filii Giabelæ, filii Harethi, filii Thaalabæ, filii Hamri, filii Giafenæ. Almenderi regnum ſuſcepit ejus frater Alnaamanus, cui ſucceſſit hujus etiam frater Giabela, & huic alter frater Alaiham, qui conſtruxit Monaſterium Sacham, & Monaſterium Prophetiæ. Poſt hunc rex conſtituitur Hamrus filius Harethi ejus frater, quem ſubſequutus eſt Giafena minor Almenderi majoris filius. Hic Hiram provinciam igne incendit, ac ideo poſteri ejus Incendiarii ſunt dicti. Ipſi ſucceſſit ejus frater Alnaamanus minor, filius Almenderi majoris, qui ſucceſſorem habuit Alnaamanum filium Hamri, & is filium Giabelam. Poſt hunc regnum ſuſcepit Alnaamanus filius Alhaimi, tum ejus frater Hareth, tum hujus filius Alnaamanus, tum ejus filius Almender, tum ejus frater Hamrus, tum horum frater Hayerus, tum hujus filius Hareth, quem ſequutus eſt Giabela ejus filius, & hunc ejus filius nomine quoque Hareth, cui ſubſtitutus eſt ejus filius Alnaamanus. Poſt iſtum autem regni gubernacula ſuſcepit Alaiham filius Giabelæ, & poſt hunc ejus frater Almender, tum alter frater nomine Sarahilus, cui ſucceſſit frater alius Hamerus. Eo autem extincto ejus ſubſtitutus eſt nepos Giabela, tum Giabelæ filius Alhaim. Is fuit ultimus Gaſſanitarum rex, qui Mahometanam perfidiam ſub Hamro Benacherib ſecundo a Mahometo Chalifa, amplexus eſt.

DE REGIBUS ALHAGIAZI SIVE GIARHAM.

CAPUT QUARTUM.

ALHAGIAZI Arabiæ provinciæ reges Giatham cognominantur ex primi sui regis nomine. Is autem erat ex filiis Cathan Jarabi fratris, qui toti provinciæ nomen dedit, ut supra notavimus. Giarhamo successit ejus filius Habd-talil, & huic Habd-almadan filius Gianściam, cui ejus substitutus est filius Nafela, & huic ejus filius Habd-almasih, id est, *servus Christi*, tum Masnad, Hamrus, Hateth, Hamrus, Basar, Masnad, qui postremus in Gente Giarham regnum tenuit. Hujus Gentis multorum regum nomina & memoriam antiquitas delevit. Ex his Ismaelem duxisse uxorem ferunt Arabum Historiographi. Multa adhuc de Arabibus essent nobis dicenda hic, sed instituti nostri præsens ratio id non patitur, nec reliqua nunc temporis permittit injuria.